D. MICHAELIS
FERRO
MANRRIQVE
QVÆSTIONVM
Moralium, & Vicarialium,
PARTES DVÆ.

RESOLVTARVM QVÆSTIONVM MORALIVM, ET VICARIALIVM,


PARS PRIMA.

In qua plura ad Vicarios & iudices Ecclesiasticos, Audientiásque eorum, simul & syndicatus attinentia digeruntur, cum aliquibus Quæstionibus ad Visitatores spectantibus.

Cum SVMMARIIS. *& triplici* INDICE. *vno Quæstionum, altero legum & iurium, tertio Rerum & Verborum locupleto.*

AVCTORE D. MICHAELE FERRO MANRRIQVE,
Iuris vtriusque Professore, Capellano Honorario Catholicæ Maiestatis, Protonotario Apostolico Pontificiæ Dignitatis, olim Vicario & Visitatore Generali Serenissimi Infantis Cardinalis Archiepiscopi Toletani in oppido Talaueræ, eiúsque districtu, &c. nunc Parocho proprio in Curato de Garuin, Val de la Cassa, & cæteris locis Toletanæ diœcesis, Vicariæque Toletanæ, &c.

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,
Sumptibus IACOBI & PETRI PROST, fratr.

M. DC. XL

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

Deo Opt. Max.

DICATVM OPVS, ET VT LEGENTES ILLVD DE EO BENEDICANT, BENEDICTIONIS SVÆ GRATIAM IN IPSVM INFVNDAT, HVMILITER SVPPLICATVM.

Ad Lectorem notabilis Præfatio.

POST tractatum de Præcedentiis Ecclesiasticis, primum partum studiorum nostrorum, secundum partum & fasciculum offerimus Lectori, ex ipsa praxi deductum, cupimúsque vt odorem suauitatis emittat: si paruulum existimaueris, respondebimus non esse ampliorem, quia provt in praxi officiorũ, dubia & quæstiones se offerebant, ipsæ notabantur; quæ autem ab illa priùs non fuerunt procreatæ, omittendas decernimus; ideóque quod inutile, aut penitus transcriptum dicitur, missum fecimus: licèt enim Plinius *lib. 3. epistol. epist. ad Marcum*, nullum esse librum adeò malum, qui prodesse non possit, affirmauerit; non ex hac regula præsentis profectus metiendus erit, nam in specie alias vtilitatis circumstantias desiderauimus, nempe vel alicuius opinionis nouæ inuestigare calumniam, aut casum in praxi iudicatum ostendere, vel sententiam aliquam apertiùs explanare, aut iudicandi modum faciliùs ministrare, seu quæstiones in terminis Ecclesiasticis declarare; hæc sunt vtilia quæ congessimus, & quæ ad scribendum persuaserunt, & ne Ioannes Gutierrez, iudex Ecclesiasticus Hispanus, ex tot & tantis qui in Regnis Hispaniarum iudicant & iudicarunt, sit in scribendo solus & primus Vicarius in Diœcesi Ciuitatens. vt constat *lib. 1. Canon. qq. cap. 12. n. 6.* quare secundum habere, licèt valde imparem, optauimus. In Authoribus recitandis non turbam multam dileximus, aliquibus tamen relatis, in quibus illa continetur, contenti fuimus. Materia quam elegimus, non est rudis indigestaque moles, quam aliqui sine aliqua Reipublicæ vtilitate scriptis tradiderunt & libris, sed quod ex ipsius Reipublicæ ortum fuit gubernaculo tam iudicio, quàm causarum patrocinio & studio, ex quibus vtiliora fiunt scriptorum monumenta, insuper & profundiora: si aliqua quæstio Lectori minus placuerit, aut in altera notas, & defectus inuenerit, altera fortassis placebit. Restat ergo pro culpis & erroribus veniam consuetam postulare, & pro labore vtili Authori gratiarum gratias, amice Lector, non negare, quas referre volumus, sine

super

ſuperbia, aut exaltatione propria, non referendo verba Euangelij apud Matthæum *cap.* 11. vbi Chriſtus Dominus gratias egit Deo Patri, quia reuelauit paruulis quæ à ſapientibus abſcondit, ſicuti aliqui Authores retulerunt, inter quos Parlador. *rerum quotid. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. illa enim verba extra ſuum caſum non ſunt protrahenda, ibi, & nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare; qui enim de ſuo ingeniolo impinguatus in immenſum vſque ad vſurpanda Dei verba gloriatur, audiat Apoſtolum Paulum ad Corinth. *cap.* 6. ibi, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras, &c. & *cap.* 10. ibi, nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, &c. Per hoc tamen ſecluſa illorum verborum applicatione in intentione, & cęteris qualitatibus Parladorij, & aliorum, nolumus contemptum imponere, eo maximè cùm idem Parlador. poſtea *quotid. quæſt. quæſt.* 18. §. 1. *num.* 2. ſic loquatur, & rogo, quid eſt omnino vel in cœleſtibus, nedum in his caducis futilibúſque rebus, quod illi Principi Deo omnipotenti & ineffabili vllo vmquam modo comparari, aut conferri queat. quæ verba cum verbis Pauli conueniunt, qui etiam participationem, & ſocietatem, aut comparationem cum illo Omnipotenti Principe nullatenus admittit.

Appro

Approbatio Vicar. Gener. Substituti.

D. MICHAELIS FERRO MANRRIQVE *resolutarum Quaestionum moralium & vicarialium* hasce duas partes legimus, easque tanquam praeclaras, iucundas, nouas & non vulgares, maximè tamen vtiles, ac Ecclesiae Catholicae doctrinae conformes, praelo subiiciendas, & publico bono in lucem edendas, meritò censemus. Lugduni 19. Decembris 1639.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, *S. Theologiae Doctor, & Vicar. General. Substitut.*

NIHIL contra fidem, nihil contra sanam doctrinam, nihil contra bonos mores in his duabus partibus *resolutarum Quaestionum moralium, & vicarialium D. Michaëlis Ferro Manrrique* reperi. Datum Lugduni die decima Ianuarij 1640.

BENEDICTVS PVYS, *Doctor Theologus, Canonicus & Caput Capituli in Ecclesia Collegiata S. Nicetij.*

CONSENSVS.

LIBRVM *resolutarum Quaestionum moralium, & vicarialium* in partes duas distributum *D. Michaëlis Ferro Manrrique* à Doctoribus lectum, probatúmque typis mandari, & in lucem edi, sumptibus IACOBI & PETRI PROST Bibliopolarum Lugdunensium, ego Regis in Lugdunensi Praefectura Consiliarius & Procurator consentio. Die 11. Ianuarij 1640.

PVGET.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis consensu, fiat vt petitur. Datum Lugduni die vndecima Ianuarij 1640.

SEVE.

SERIES

SERIES

Quæstionum, quæ hac prima Parte continentur.

c 14 An

33 An

73 De

LOCA

LOCA IVRIVM, QVÆ IN HAC prima Parte expenduntur, declarantur, conciliantur.

D. MICHAE

D. MICHAELIS FERRO MANRRIQVE

RESOLVTARVM QVÆSTIONVM moralium, & vicarialium,

PARS PRIMA.

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodo se gerere debeat iudex in vagorum matrimonijs.

SVMMARIVM.

1 *Quales ordinarij debeant licentiam concedere pro vagis copulandis in matrimonio.*

2 *Forensis qui puer à loco originis discessit, ordinarium originarium adhibere non debet, secus si nubilis iam exiuit.*

3 *Quid si vagus in pluribus locis habitauerit, saltim ordinarius originis & habitationis est adhibendus, & num. 4.*

5 *Quid si forensis & vagus locum immutauerit, ponitur praxis super his vagis copulandis, & super diligentijs Vicariorum, & num. 6.*

7 *Diligentia Vicariorum in matrimonijs forensium multum dependent ab arbitrio eorum.*

8 *Qui sint vagabundi declaratur.*

9 *Vagus si per plures annos in terra quadam habitauerit, an in alia antea habitata sit diligentia Concilij repetenda.*

10 *De vagorum matrimonijs plures Doctores remissiuè referuntur.*

CONCILIVM Tridentinum statuit *sess. 24. cap. 7. de reform.* vt in vagorum matrimoniis Ordinarij licentia interueniat, & Parochis præcipit, vt illis non intersint; sed dubium erit in practica, quo- 1

modo

modo talis licentia concedenda sit: si enim vagus, aut forensis pluribus in locis habitauerit, & sit in alio oriundus, dubitari poterit, an omnes locorũ Ordinarij debeant concurrere in tali licentia concedenda, an verò vnius, seu alterius loci Ordinarij licentia sufficiat, habui multoties in practica. & quamuis P. Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 25. num. 8.* Gutierrez *eod. tract. cap. 65 per tot. & num. 7.* Cenedo *canonicarum quæst quæst. 30. num. 69.* postquam vagorum declarationem exposuerint, de forensibus, & alienigenis loquantur, dicentibus etiam illos præhabita licentia supradicta debere contrahere: non tamen de præcedenti dubitatione specialiter scribunt.

2 Sit itaque prima resolutio, si forensis adeò puer à loco originis exierit, vt de matrimonio contracto non possit esse suspicio, tunc talis loci Ordinarius non erit adeundus, cùm cesset ratio per Concilium considerata, ne scilicet matrimonia iterum ab eisdem contrahantur, docent idem Sanchez, & Gutierrez *dicto loco.* Secus autem erit, si contrahens iam nubilis à loco originis exierit, hoc est habens, si fœmina, duodecim, si masculus, annos quatuordecim, & sæpe sic practicaui.

3 Quòd si contrahens pluribus in locis vagauerit, de rigore bene existimarem, quòd licentia talium locorum expectetur ab Ordinariis; si enim ratio Concilij est ne matrimonia duplicentur, congruum erit, vt in locis, in quibus contrahi potuerunt, eadem diligentia fiat, ne aliàs timor erroris in iudicibus inueniatur: sed nimiam credo hanc diligentiam, & aliquando nimis fastidiosam, & prolixam, cùm possit contingere contrahentes per vniuersã terram vagasse, & plura loca percurrisse, & difficile, seu impossibile ferè esset, illos ad has omnes diligentias grauare,

Itaque distinguerem, si forensis in vno, seu altero loco habitauerit, ita vt sine nimia difficultate possit in illis diligentia fieri, faciendam iudico, præcipuè si in talibus locis magis requieuerit, & præcipuè etiam, si alter horum locus sit eius originis, & vbi consanguinei, & noti inueniuntur. Quòd si econuerso plura sint loca, existimo quòd Ordinarius eligat præcipua, hoc est, originis & habitationis, vbi contrahens magis fuerit commoratus, & hoc sufficiat. nam etiamsi in alio loco matrimonium contraxerit, vtique ad talia loca originis, & habitationis principalis recurrendum fuit, ex causa diligentiæ, cùm contrahens teneatur exprimere in libello talia loca, & ita matrimonium notum erit in dictis locis originis, & habitationis principalis, & ex hac causa notum debet præsumi cum diligentia, quæ semel facta fuit à iudice ordinario super cuiusdam vagi matrimonio contrahendo, illud faciat publicum in loco; & eorum quæ publicè fiunt, ignorantia non accipitur, sed scientia præsumitur, ex Menoch. *de præsumpt. lib. 6 præsumpt. 23. num. 68.* cum pluribus relatis. Et ita si iterum ad eundem locum originis, & habitationis diuturnæ pro eadem diligentia recurratur, facilè de matrimonio iam contracto, & per aliam diligentiam notorio, notitia habebitur, & sic impedietur, iuxta rationem finalem Tridentini. 4

Dicitur fortassis, quòd forensis mutauit locum, & illum in quo verisimiliter matrimonium notorium erit, silentio prætermittet? Respondeo in hoc stari eius declarationi, iuxta quam iudex solùm tenetur diligentiam adhibere, quæ sibi sufficiens videatur, pro impedimento secundi matrimonij. quòd si forensis contraxerit, dolo, aut loci taciturnitate, de suo peccato tenebitur 5

coram

coram Deo, & hominibus, & in illo iudex particeps non erit, cùm iuxta allegata, & probata sententiam pronunciauerit. Couarr. *lib. 1. var. resol. cap. 1. num. 4.* cum notatis per eum.

6 Et iuxta hanc distinctionem iudicaui cùm essem Ordinarius in Diœcesi Segobiensi, & Toletana. vagi enim comparebant, & libellum porrigebant de sua intentione, & origine, & habitatione, & recipiebatur informatio, & ad locum talis originis, & habitationis litteræ requisitoriæ mittebantur pro diligentia Concilij, Riccius *in praxi aurea, resol. 437. num. 1.* nisi ratio puerilis ætatis, aut altera paupertatis & nimiæ distantiæ excusaret, iuxta supradicta. Et licèt aliquando dubitauerim, an talis diligentia sufficeret, si contrahens per plura loca vagasse fateretur; tamen re perpensa sufficere postea cognoui, si iudex iuxta declarationem forensis in locis declaratis diligentiam adhibeat, quæ sint originis, & habitationis principalis, & diuturnæ, & ita satis esse poterit arbitrari, eo maximè cùm Concilium non diligentissimum, sed diligentem tantùm iudicem exposcat.

7 Quapropter hæc quæstio multum dependet ab arbitrio iudicis, qui iuxta casus circumstantias se gerat, & arbitrium possibile cum aliqua diligentia exequatur: vnde in pauperibus coniungendis, & hi qui à remotis terris discesserant, siue sit vnus, aut plures, ortum fuit in praxi illos in matrimonio coniũgere, data informatione aliqua de libertate, & publicationibus ibi factis, & comminando pœnas bis coniugatis impositas, absque eo quod pro ampliori informatione, & publicationibus ad easdem terras transmittatur, declarando insuper contrahentes cum iuramento ipsos ad matrimonium liberos extare.

Aduertendum etiam est, quòd constitutio Conciliaris tantùm in propriè vagabundis procedit, id est, illis, qui nullibi habent domicilium proprium, sed per totum mundum huc & illuc vagantur, vt prædicti Sanchez, Gutierr. Cenedo *dictis locis.* Farinac. *quæstion. crimin. tom. 1. tit. de inquisitione, quæst. 7. num. 15.* cum multis ab eisdem relatis explicant & rescribunt: secus autem, si alienigena per octo, aut plures annos in vna eademque terra habitauerit, animo ibi permanendi; tunc enim cùm prædictus non sit vagus, diligentia Conciliaris non requiritur, iuxta declarationem Cardinalis relatam per Marzillam *lib. 3. tit. 14 de sponsal. & matrimon. super cap. 9.* ibi, *ne hoc genus hominum vagantium.* Declarat. Cardinal. *Non dicitur vagans illa mulier, quæ per octo annos in vnà eadémque terra habitauit,* &c. 8

Sed dubitari poterit, quòd etiamsi talis alienigena per plures annos in vna eademque terra commorauerit, poterit in alia priùs commorata matrimonium contraxisse; ergo inconueniens per Concilium cogitatum adhuc non cessat: ergo in tali terra eadem erit diligentia repetenda; sed nihilominus declaratio Cardinalium in eo fulcitur, nempe quòd talis mulier non est vaga, & quòd non est credibile si per eam priùs matrimonium esset contractum, non fuisset notum in præfato annorum interuallo à vicinis, & notis eius, qui regulariter in multis casibus relatis per Menochium *d. lib. 6 de præsumpt. præsumpt. 24. num. 26. & seqq.* præcipuè quando vicini deponunt de actu successiuo, vt matrimonium præsumuntur scire facta vicini. 9

De vagorum matrimoniis plures remissiones congerit Barbosa *super dict. sess. 24. cap. 7. de reformat. in Concilio Trid.* poterunt ergo consuli DD si 10

 latiùs

latiùs hæc materia examinari contendatur.

QVÆSTIO II.

An decimæ fructuum, quos Parochiani vnius Parochiæ in altera percipiunt, vni potius, quàm alteri debeantur, ad interpretationem textus in cap. cùm sint homines, *& similibus*, de decimis.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ prædiales Parochiæ in qua sita sunt prædia, sunt persoluendæ.*

2 *Adstante consuetudine Parocho sacramentali debentur decimæ, & quid requiratur in tali consuetudine.*

3 *Inter Ecclesias parochiales consuetudo super decimis quadraginta annorum spatium & curricula requirit.*

1 IN facti contingentia iudicaui in fauorem Parochiæ, in qua prædia sita erant, & inde erant decimę persoluendæ. nam quamuis controuersia orta fuerit inter sanctos Patres, an decimæ prædiales Parocho prædiali, aut sacramentali debeantur, hodie est magis vera, & communis opinio, quòd pertineant ad Ecclesiam, in cuius territorio colliguntur. ita cum Couarr. *lib. 1. variarum resolut. cap. 17. n. 8. vers. licèt magis communiter. gloss. verb. vllo seruitio, vers. alia autem prædia, in cap. 1. de censib.* & *ibi* Abb. & *in cap. nouum genus, num. 2. de decimis,* tradit eleganter Gratian. *discept. forens. tom. 3. cap. 595. num. 17. &* 18. vbi quòd contraria sententia procedit, quando ex aduerso de consuetudine soluendi Parocho sacramentali constaret. bona decisio Seraphini 908. *num.* 5. Gutierrez *lib. 1. practicarum quæst. quæst.* 17. *num. 1. & 2.* vbi leges Regias recenset; bona etiam decisio Putei 154. *num.* 1. *d. cap. cùm sint homines, cum similibus.* Riccius *in praxi aurea, resolut.* 69. *num.* 3.

Et ideo in præsenti casu, ex eo quòd magis vera opinio adstabat Parocho prædiali, per Parochum sacramentalem ad limitationem huius opinionis, nempe consuetudinis contrariæ, deuentum fuit, & ita operæpretium existimaui disputare, an dicta consuetudo legitimè probata extaret nam talis Parochus solùm probabat eam per duos actus, & duas solutiones decimarum in duobus annis: & Doctoribus inspectis inueni consuetudinem iuxta terminos in dict. cap. solùm probari per tempus decem annorum, ex eo quòd est consuetudo præter ius. Puteus *dict. decis.* 154. *num.* 7. Couarr. *dicto loco, & numero, §. quartò fortiori ratione.* Rebuff. *tract. de decimis, quæst.* 13. *num.* 53. Riccius *dict. resolut.* 69. *num.* 3. Moneta *tractat. de decimis, cap. 5. quæs. 4. n.* 101. Hercules Matescot. *variarum resolut. lib. 2. cap. 95. n.* 19. vbi refert sic tenuisse Rotam in vna Toletana decimarum coram Cantucio de anno 1581. posita inter decis. diuersor. 163. *part.* 2. & in alia Oxomen. decimarũ 18. Maij 1590. coram Cardinale Plato, & in Caliguritana decimarum 12. Februarij 1599. coram Corduba, & generaliter in quacumque consuetudine præter ius sufficere consuetudinẽ decem annorum, docuerunt relati per eumdem Monet. *tractat. de optione, cap. 2. quæs. 1. n. 6.* 2

Sed in prędicta specie omne dubium 3 fuit

fuit penitus extinctum, ex eo quòd lis erat inter duas Parochiales, inter quas nedum decem anni, verùm quadraginta præcisè requiruntur in decimis præscribendis. Abbas *in dict. cap. cùm sint homines, num. 6. penes finem.* Moneta *dict. tractat. de optione, cap. 2. quæst. 1. num. 9.* Marescot. *dict. cap. 95. num. 23.* qui refert Rotam in vna Toletana decimarum de Vargas 20. Maij 1596. coram Cardinale Blanchetto, & in alia ciuitatem decimarum 28. Iunij 1596. coram Gipsio. quare cùm Parochus sacramentalis suam limitationem & consuetudinem legitimè non probasset, fuit pro parte Parochi prædialis iudicatum.

QVÆSTIO III.

In rebus sacris & religiosis, & in sepulturis, quid operetur præscriptio, possessio & consuetudo, & lis orta super quadam sepultura, deciditur.

SVMMARIVM.

1. *Dominium ex præsumptionibus & indicijs præsumitur.*
2. *Præscriptio non cadit in re cuius commercium non est.*
3. *Limitatur, si adsit consuetudo.*
4. *Ratio testium in his quæ ad consensum & patientiam pertinent, non per visum, sed per auditum debet regulari.*

1 EXISTIMAVI pro actore, cuius probationes tam circa dominium, quàm circa præscriptionem ex vsu sepulturæ per 40. annos absque vlla controuersia, visæ fuerunt concludentes, dominium enim ex indiciis & præsumptionibus probari, docuerunt cum pluribus Menoch. *de arbitrar. centur. 1. cas. 42.* Mascard. *de probat. conclus. 535. num. 5. & concl. 538.* Gratian. *discept. forens. tom. 1. cap. 188. num. 7.* ex eo quòd est difficilis probationis: vnde cùm actor probaret possessionem pacificam sepulturæ per tot annos, & vsum eius in omnibus defunctorum suorum anniuersariis, & obsequiis, hæc sunt sufficientia indicia circa probationem dominij, quod saltim ex possessione præsumitur. idem Mascard. *concl. 539. n. 21.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 63. n. 9.* vbi quòd probata antiqua possessione rei, quæ antea erat in nullius bonis (veluti sepulcrum) ex tali possessione nascitur præsumptio dominij. & *num. 22.* loquitur de antiquissima possessione, vt ea quæ est 30. aut 40. annorum.

Itidem præscriptio (licèt non procedat in re cuius commercium non est, veluti res publica, aut sacra, & religiosa, vt per Balbum *tract. de præscription. 1. part. 6. & vlt. princ. num. 4. & 6. & 55.* vbi loca communia possunt inueniri ne transcribantur: & sepulturæ locus, licèt sit religiosus; auctoritate Episcopi. *cap. ad hæc, de relig. domib. cap. abolendæ, de sepultur.* & de iure vendi, aut ab aliquo possideri non possit. Ioan. Fab. *in §. religiosum.* & *ibi* Angel *Instit. de rerum diuis.* Abb. *in d. cap. abolendæ, num. 4.* 2

Hoc tamen de consuetudine receptum non est, ex his quæ longa manu conclusit Gratian. *discept. forens. tom. 1. cap. 110. n. 6. & seq. & tom. 2. cap. 210. num. 11.* Genuens. *in praxi Archiepisc. cap. 61. num. 9* quę consuetudo latè defenditur per Aloisium Riccium *in sua praxi fori, tit. praxis sepulturæ, decis. 665. num. 4.* vnde si de consuetudine datur alienatio, & possessio sepulturæ 3

succedit quòd per consequens admittatur præscriptio, & in terminis sepulchrorum, quòd admitti debeat, docuit textus *in l. monumentorum, C. de religios. & sumptibus funer.* qui loquitur in præscriptione longi temporis decem, aut viginti annorum, iuxta titulum in Codice *de præscript. longi temp.* Fortiùs itaque consideranda fuit hæc in præsenti præscriptio, cùm sit quadragenaria, quæ nedum inter laicos, vt *hic*, verùm contra Ecclesiam sufficeret, dixi *quæst.* 11. *num.* 3. & generaliter docuit idem Balbus *d. tract. de præscript.* 1. *p.* 5. *princip. num.* 1. *& seqq. cap. de quarta, cap. ad aures, & cap. illud, de præscription. Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccles.*

4 Non obstabant ea, quæ pro parte rei adducebantur. nam præterquam quòd probatio eius erat minus efficax, & aliqui testes in ipsa lite inueniebantur, non firmiter concludebant, quòd reus permisisset actori vsum sepulturæ non de rigore, aut obligatione, sed ex gratia, & permissione. & consensu, cùm ratio, quam per visum reddebant, non sit apta ad patientiæ, & consensus probationem, quæ potiùs auditui congruit, & non sufficit dicere quòd testis vidit, sed quòd audiuit pronunciationem consensus; nec etiam sufficit quòd reus fuerit præsens, cùm possit etiam in præsentia non consentire, *reg. is qui tacet, de reg. iur.* ita Farinac. *tract. de testibus, quæst.* 70. *cap.* 2. *num.* 115. *& cap.* 3. *num.* 156. cum Felino *in c. cum causam, col.* 8. *vers. Secundò limitatur, de testibus,* &c. & ita pronunciaui pro actore.

QVÆSTIO IV.

Non vulgaris.

An laicis Patronis possit intra Ecclesiam aliqua competere ordinatio.

SVMMARIVM.

1 *Laicis Patronis intra Ecclesiam nulla competit ordinatio, potestas, aut gubernatio.*

2 *Omnis dispositio publica in Ecclesia sapit dominium, & authoritatem.*

3 *Nec etiam committere possunt laici Patroni aliquam in Ecclesia ordinationem, aut dispositionem.*

4 *Contra authoritatem Ecclesiæ nulla currit præscriptio.*

5 *Patroni laici qui inconsulto Ordinario Ecclesiastico volunt disponere intra Ecclesiam, dicuntur* Acephali.

6 *Parochi & Sacristæ quod disponendo faciunt intra Ecclesiam, Patronis & laicis argumentum non præstat.*

7 *Laici Patroni directè, vel indirectè immunitatem & libertatem Ecclesiasticam violare non possunt.*

8 *Decretum contra eosdem laicos factum ponitur, itémque aliud ab eisdem obtentum impugnatur.*

9 *Exhortatio ad iudices superiores, tam fori Ecclesiastici, quàm sæcularis.*

IN oppido de Talauera, vbi iurisdictionem ordinariam exercui pro Illustriss. & Sereniss. D.D. Ferdinando Austriæ, Infante Hispaniarum, & Cardinale sanctæ Ro- 1

m...na

manæ Ecclesiæ, Administratore perpetuo huius Toletani Archiepiscopatus, Rectores, inquam, ipsius oppidi de more habebant disponere, inconsulto Ordinario, quòd imago Beatissimę Mariæ Virginis, de Prado nuncupata, de suo loco ad alium mutaretur processionis, rogatiuæ, aut ex altera causa, & ita cuidam in sacello existenti Capellano committebant, vt imaginem mutasset, prout de facto fecit. quod dum prohibere tractaui, minis & persuasionibus, etiam quòd esset prohibitum de iure, audacter asserui; & ad iura canonica recurrendo inueni firmam conclusionem, nempe talibus laicis Rectoribus etiam Patronis, nullam esse attributam in Ecclesia potestatem, ordinationem, aut gubernationem. bonus textus *in cap. nouerint 10. quæst. 1.* ibi, *Nouerint conditores basilicarum in rebus quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed iuxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem Episcopi pertinere.* bonus etiam textus in Patrono Ecclesiastico loquens, quod fortius est *in cap. si quis Episcoporum*, 16. q. 5. ibi, *Et omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio Ecclesia surrexit, pertinebit*, &c. & *in cap. nullus, ead. 16. quæst. 7.* ibi, *Nullus laicorum Ecclesias, vel Ecclesiarum bona occupet, vel disponat*, &c. & *in cap. non placuit, d. quæst. Non placuit*, inquit textus, *Laicum statuendi in Ecclesia præter Papam Romanum habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* idem disponitur 96. *distinct. cap. bene quidem*, & *in cap. pia mentis, & c. Fulgentius, ead. 16. quæst. 7.* & loquuntur in Patronis. ibi, *Sciturus sine dubio præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprij iuris habiturum.* & ibi, *Nihil tamen sibi fundator ex hac basilica nouerit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur.*

2 Considerabam etiam, & prædictis Rectoribus hoc medium proponebam, quòd omnis dispositio publica, & Ecclesiastica in Ecclesia sapit dominium, & auctoritatem, vnde ad eum, qui iurisdictioni præest, sine dubio pertinet, & tangit ex prædictis iuribus, & ex *cap. omnes basilicæ, ead. 16. quæst. 7.* & ita disponere de imagine Beatissimæ Mariæ ad effectum rogatiuæ publicæ, & processionis; & hoc intra Ecclesiam prædictis Patronis laicis omnino erat prohibendum, indecorum enim est laicum Vicarium esse Episcopi, & sæculares in Ecclesia iudicare, vt ait textus *in cap. in nona actione, d. 16. quæst. 7.*

3 Nec obstabat quòd prædicti Rectores committebant suo Capellano, & ipso medio de imagine disponebant, cùm regula, *qui per alium, de reg. iuris*, in contrarium repugnet, eo magis quòd *in cap. filiis, vel nepotibus*, disponitur in notationibus ante dictum capitulum, ibi, *Si ergo Ecclesiasticas facultates dispensandi facultatem non habent laici, multò minus Ecclesias ipsas quibuslibet ad regendum committere, vel aliis auferre valent*, &c. & sic prædicti laici Patroni nec per se, nec per alios disponere quicquam in Ecclesia possunt.

4 Minus etiam obstabat vsus, aut consuetudo longi temporis disponendi circa prædictam imaginem, & eius sacellum, inconsulto Ordinario; quia contra authoritatem, & iura Ecclesiasticæ disciplinæ, & pariter contra priuilegia libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ, nulla vnquam currit præscriptio. bona glossa *verb. per 40. annos, vers. sed illud loquitur, in cap. accedentibus, de priuileg.* & cum Felino *in d. cap. col. 4. in 5. fallen.* docuit Balbus

d. tract.

d.tract.de præscription. 1.*part.*6. *& vlt. princip. num.*7. §. *octauus casus*, *cap.*1. *cap.cùm inter, de consuetud.cap.decernimus.cap.quanto*, *de iudic. cap.Ecclesia sanctæ Mariæ*, *& cap. quæ in Ecclesiarum, de constit.* quæ vno contextu congessit Aufrer. *in repetit. Clement.* 1. *de offic.ordin.num.*15. Marescot.*variarum resolutionum lib.*2.*cap.*100.*num.*26.

5 Præterea si laici supradicti ita disponere in Ecclesia possent, vt sine superiore Ecclesiastico in rebus Ecclesiasticis committere & mutare valuissent, essent acephali, hoc est, sine capite, cùm nulli tribuissent obedientiam in prædictis rebus Ecclesiasticis. *cap. nulla* 93. *distinct.* contra quam etiam nulla admittitur præscriptio, *cap.cùm non liceat*, *& ibi* scribentes, *de præscript.* idem Balbus 1.*part.*6. *& vlt.princip.num.*2. §.*primus casus*, & latiùs 1.*part.*5.*princ. in quæst.*12 *per tot.*

6 Rursus non obstat quòd Parochi & Sacristæ mutant imagines suarum Ecclesiarum, etiam ad effectum rogatiuę, aut processionis sine licentia Ordinarij, quia respondetur hoc licere Parochis; habent enim authoritatem in suis Ecclesiis, quam habere laici nullatenus possunt. Sacristæ autem seruili modo illud operantur tanquam Ecclesiarum seruitutes, vnde ad actionem authoritate factam, seu faciendam non erit trahendum.

7 Denique quodcumque factum fuerit per laicos disponendo, aut intra Ecclesiam ordinando, negari non potest quin per illud immunitas & libertas Ecclesiastica violetur, & illam violare nedum directè, verùm etiam indirectè non possunt, vt per textum *in cap.non minus, de immunit. Eccles. cap.nouerint, de sentent. excommun.* latè DD. *in cap. Ecclesia sancta Maria*, *de constitut.* & quod fuit dictum in alia decisione, tenuit Rota per Seraphinum *decis.* 971. *num.*6. Gratian.*disceptat.forens. tom.*1. *cap.*94.*num.* 81.

Ex quibus decreui quòd contra prędictos laicos & Rectores etiam Patronos per censuras, & alia iuris remedia procedatur, qui cùm ad certum Tribunal Ecclesiasticum recurrerent, ibi data fuit illis manutentio, vt sine Ordinarij licentia de prædicta imagine disponerent, & attentis supradictis de decreto talis manutentionis valde miratus fui, dignæ prorsus, vt ad aures Pontificias delatæ, iudicem decernentem in perpetuum à iudicatura deponerent, ne aliàs Ecclesiam, & eius austeritatem intra Altare secularibus manibus committeret, & ministerium, hoc est, Prælaturam Ecclesiasticam, itémque iurisdictionem opprobrio & vituperio deinceps afficeret. 8

Ex prædictis non possumus non exhortari & monere in Domino, omnes iudices superiores tam fori Ecclesiastici, quàm secularis, vt sui muneris scopum ante oculos circumferentes, attendant, & existiment gubernationis ordinem & scalam ex variis tramitibus, quibus ipsa ædificatur, componi, ideo in Scriptura sancta quando Ieremiæ Prophetæ data fuit potestas super omnem terram, additum extat eidem potestati nedum quòd euellat & destruat, sed quòd etiam ædificet & plantet, *Ierem. cap.*1. Curent ergo iudices superiores, vt quòd ab inferioribus in ædificio ad bonum inceptum est, hoc etiam superædificent & plantent, non verò disperdant & dissipent, nisi ædificatum sit in malum. Quomodo ergo ratio bona reddi potest Deo, iudici omnium iudicum illorum ædificium bonum numquam dissipanti, si terræ iudices illius semitis in hoc non adhæreant? licèt enim multa sint quæ in mera iudicum superiorum gratia & liberalitate consistunt, & hæc fieri possint. 9

ſint ſicut ipſe Deus facit,quæ tamen ab ordine gubernationis, & ædificij declinant, & vt cæteri iudices non attenuentur in ipſo ædificio,hæc non ſunt ad gratiæ materiam protrahenda, cùm non expediant, ideò à iudicibus fabricantibus omittenda.

QVÆSTIO V.

Contra Clericum concubinarium, quomodo tertiò plectendum, & an celebrando ſpreto ſuperioris præcepto cum cenſuris, irregularitatis notam contraxerit.

SVMMARIVM.

1 *Conuerſatio Clerici, & cohabitatio concubinæ Clerici cum eo, magnam operatur concubinatus præſumptionem.*

2 *Concubinatus eſt difficilis probationis, & ſufficit in eo probatio arbitraria.*

3 *Quæ ſint pœnæ concubinatus tam de iure antiquo, quàm nouiſſimo.*

4 *Clericus qui ſpretis cenſuris concubinam non eiecit, & celebrauit, an dicatur irregularis, & an appellatio cenſuras fulminatas ſuſpendat.*

5 *Quid ſi appellatio ſit deſerta, aut ei renuncietur?*

6 *Quid ſi ſit illegitima?*

7 *In dubio iuris pro irregularitate non commiſſa eſt iudicandum.*

1 TERTIÒ fuit quidam Clericus de hoc crimine concubinatus accuſatus, & teſtes de cohabitatione, conuerſatione, imò domi retentione, poſt primam & ſecundam monitiones, & ſententias teſtificabant, in quo caſu talis conuerſatio magnam contra Clericum operabatur præſumptionem, teſte Rota per Seraphinum *deciſ.* 54. *num* 5. & ex ſuſpicione mulieris ſuſpectæ habitantis cum Clerico in domo ſua, ſpreta monitione, habendus eſt Clericus tanquam publicus concubinarius, ac proinde pœnis eo caſu ſtatutis punietur, vt ex aliis retulit Gutierr. *can. quæſt. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 78. Rurſus licèt Diaz *pract. crim. cap.* 79. & Gutierr. *d. cap. num.* 71. dicant quòd concubitus probatur ex conſuetudine, non tamen quomodo talis conſuetudo debeat in propoſito probari, apertè demonſtrant; vnde † cùm hoc delictum ſit 2
difficilis probationis, ſufficit in eo probatio arbitraria, & præſumptiua, ex tota concluſione Maſcardi 810. Farinac. *tractat. de teſtibus q.* 69. *n.* 215. Menoch. *de præſumption. lib.* 5. *præſumpt.* 17. *n.* 6. & ita retentio cum adminiculis primæ & ſecundæ monitionis, & iuſſionis, viſa fuit mihi iuridica, & ſufficiens probatio prædicti concubinatus, & eius conſuetudinis adiiciebant teſtes de diffamatione, & murmuratione totius loci, & plura verba circa abominationem talis concubitus tot vicibus reiteratæ, de qua diffamatione meminit ipſe Diaz *in eod. cap.* 79. *num* 1. & ita ſufficientia concurrebant adminicula pro probanda conſuetudine.

Ad pœnas autem huius delicti de- 3
ueniendo, conſiderabam hoc de iure communi totum eſſe arbitrarium, vt ex Diaz *d. cap.* 79. *num.* 3. Gutierr. *d. cap.* 71 *num.* 68. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 5. *caſ.* 418. *num* 5. facilè comprobatur: de iure autem nouiſſimo Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de reformat.* appoſita eſt quædam regula, & norma puniendi Clericos concubina-

rios beneficia, aut pensiones possidentes, quòd si ea, aut eas non obtinuerint, pœna carceris, suspensione, aut inhabilitate, aliisve modis, iuxta delicti qualitatem sancta Synodus præcipit puniri, & ita hoc vltimo casu adhuc in iudicis arbitrio remanet punitio prædictorum Clericorum beneficia, aut pensiones non habentium: vnde cùm præsens Clericus beneficiis, aut pensionibus caruisset, arbitratus sum in odium sui delicti tertiò perpetrati per 30. dierum transcursum esse suspendendum, & alia etiam pœna pecuniaria condemnandum, vt iuxta Concilij mentem de tali suspensione memorem eadem pœna suspensionis arbitrando puniatur.

4 Sed cùm in prima sententia præfato Presbytero fuisset præceptum sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, vt intra octo dies concubinam eiiceret de domo, & postea celebrauerit, an irregularitatem aliquam incurrerit, controuersum fuit? & nullam incurrisse declaraui ex sequentibus. Primò, quia ante prædictam sententiam protestans, in carcere adhuc retentus appellauit, de cuius appellationis validitate præter textum, & ordinarios *ibi, in cap. vlt. de appellation.* in specie tractat Scaccia *eod. tract. q.6. num.8. & seqq.* & sententia excommunicationis sub conditione, seu in diem lata, si appellatio subsequatur ante conditionem, seu diem, suspendit effectum excommunicationis, iuxta communem opinionem, ex Couarr. *in cap. alma mater, 1. part. §.10. num.6.* bonus textus *in cap. licèt, de sententia excomm. in 6.* & *in cap. ad præsentiam, de appellat.* & *cap. per tuas, de sentent. excommunicat.* idem Scaccia *d. tract. quæst. 17. limit. 22. num. 13.* Lancellot. *de attentat. appell. pend. limit. 21. num. 30. & 31.* Patèr Auila *de censuris, 2. part. cap. 5. disput. 5. dub. 11. §. tertia conclusio*, vbi Syluestrum, & Gutierrez recenset. Imò † etiamsi appellatio deseratur, aut 5
renuncietur, censura non ligat, quæ iam effectum semel non habuit. nam vel statim illum operatur, vel euanescit, & non conualescit, vt adnotauit Couarr. *d. num. 6.* & constat ex textu *in d. cap. licèt.* idem Auila *eodem loco, dub. 12. §. contrarium est tenendum.*

Secundò idem procedit, etiamsi ap- 6
pellatio sit illegitima. Idem Couarr. *in d. cap. alma mater, §.7. num.7. in fine.* Salcedo *in pract. crimin. cap. 33. §. nec etiam Clericus irregularis.* idem Auila *d. dub. 12 §. quòd si non est iusta,* cum Nauarro ab ipsis relato, & glossa *verb. in officiis in d. cap. solet*, & hoc intelligitur quando bona fide confidens, in appellatione celebrauit, præcipuè si sit ignarus iuris, secus in foro conscientiæ. Sed contra facere videtur glossa *verb. contra appellationem*, *in d. cap. in præsentia*, vbi addit legitimam, ex quo infertur non sufficere illegitimā appellationē, & docent Baldus, & Abb. *ibi*, possumus dicere, quòd non sufficiat in Iurisperito, secus in ignaro, qui ratione ignorantiæ in appellatione minus legitima confidit, & ita Innoc. *in d. c. in præsentia*, & Archidiac. *in d. cap. licèt, num. 3.* dicunt quòd talis non se debet gerere pro excommunicato, si de appellatione sua confidit, & subdit Archidiacon. quòd non erit irregularis.

Vnde ad propositum, licèt præfatus Clericus celebrauerit post sententiam: attamen ante illam protestando appellauerat, & illi non obstabat, quòd appellatio deserta ferè, renunciata esset, ex præcedentibus.

Tertiò quidquid in contrarium di- 7
ceretur, negari non poterat quòd articulus dubius erat, scilicet an desertio, aut renunciatio præiudicium afferret

circa

circa irregularitatem, & hoc dubium est iuris, in quo benignior interpretatio sumenda est, præcipuè in fauorem rei, & in foro exteriori, ita de mente Couarr. *in Clement. si furiosus, 1. part. n. 3. de homicidio.* concludit idem P. Auila *de censuris, 7. part. disput. 2. dubit. 5. §. aliter ergo respondetur*, vbi cum Nauarro iura in id loquentia, & aduertentia interpretatur. quare prædictus Clericus ab eadem irregularitatis nota fuit liberatus.

QVÆSTIO VI.

Non vulgaris.

An die Sabbati arietum, & aliorum animalium guttura impunè valeant manducari?

SVMMARIVM.

1 *Attento iure Canonico in consilio tantùm est positum, vt die Sabbatorum à carnibus abstineamus.*

2 *Prohibitio in prædictis carnibus à consuetudine prohibente dimanat.*

3 *In hoc puncto consuetudo perpendenda.*

4 *Quomodo & qualiter hæc consuetudo probetur.*

5 *Testes oppidi an sint suspecti in hac materia.*

6 *Consuetudo vitiosa, & nimia in his carnibus comedendis reprobatur.*

7 *Irrationabilis est consuetudo, & scandalosa, quæ disciplinæ Ecclesiasticæ contrariatur.*

8 *Immemorabilis consuetudo, aut expressus Ordinarij consensus iustis de causis assumptus, possunt carniũ comestionẽ in Sabbatis approbare.*

RECTORES quorundam popu- 1
lorum à fiscali fuerunt denunciati, ex eo quòd in prædicta die Sabbatina carnes, hoc est, guttura animalium manducabant: pro defensione tamen de consuetudine opposuerunt manducandi talia guttura in Sabbato, quando non est vigilia: vnde ad validationem talis consuetudinis fuit habitus recursus, & quidem attento iure Canonico in consilio tantùm est positum, vt die Sabbatorum à carnibus abstineamus, expressus textus *in cap. quia dies, de consecrat. distinct. 5.* ibi, *Admonemus, & in cap. de esu carnium, & ibi*, expressa glossa *verb. vel debuerit, eod. tit. distinct. 3. iuncto cap. Sabbato, in eod. tit. & distinct. 3.* † & ita 2
prohibitio ex vi consuetudinis dimanat vbi fuerit recepta, seclusáque tali consuetudine, & admissa contraria carnes comedendi, nullum peccatum, aut delictum committitur, cùm nec à iure, nec à consuetudine prohibitio valeat allegari.

Itaque in hoc puncto erit consue- 3
tudo perpendenda, cùm in diuersis partibus diuersa circa hoc traditio reperiatur, veluti in Cathalonia, & Francia, vbi carnes publicè talibus diebus manducantur, & sic in ciuitate Toletana, & aliis locis, prædicta guttura sunt in esu. bonus textus *in cap. illa autem 12. distinct.* ibi, *Alia verò quæ per loca terrarum regionésque variantur, sicuti est quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non.* & postea ibi, *Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè deuenerit. Quòd enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est. Mater mea Me-*

diolanum me consecuta, inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem: cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. At ille ait, Cùm Romam venio, ieiuno Sabbato, cùm Mediolani sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua: si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc, cùm matri renunciassem, libenter amplexa est. vnde glossa *verb. societate*, ponit versus, qui vulgò circunferuntur. Bonus etiam textus *in cap. 2. de obseruat. ieiuniorum.* ibi, *Item de illis, qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri consueuit, cùm hoc ab alijs molestè feratur, & oriatur inde illis occasio detrahendi. Respondemus quòd super hoc consuetudinem tuæ regionis facias obseruari, sic tamen quòd debilibus & infirmis propter hoc periculum non emergat.* Ex quibus iuribus manifestè constat, tum quòd super hoc non adest prohibitio, tum etiam quòd regionis consuetudo est attendenda, & obseruanda, docent Hostiens. *in summa, in d. cap. 2. num.* 8. & Panormitanus *ibi num. 5. in fine.* Syluester *in summa, verb. ieiunium, num.* 28. Ioan. Campanil. *diuers. iur. canon. rubr.* 12. *cap.* 16. *num.* 61. *vers. & vbi consuetudo.*

4 Vnde cùm in præsenti talis consuetudo guttura comedendi ab omnibus vicinis accepta fuerit, & obseruata: illos esse absoluendos manifestum erat, eo maximè quòd consuetudo quam probabant, erat quadragenaria, & amplius, & ferè immemorialis. Et licèt non sit in specie diffinitum in prædictis iuribus, qualis debeat esse consuetudo, an decem, seu quadraginta annorum; ex eo tamen quòd non est contra, sed præter ius, decennalis tantùm sufficeret, vt comprobaui suprà *quæst. 2. n. 2.* Seraphin. *decis.* 1159. *n. 3. & decis.* 639. *num.* 11. Balbus *de præscript. 5. part. 5. princ. quæst.* 12. *num.* 2. multo meliùs admittenda erit consuetudo quadragenaria, quæ etiam contra ius releuat. DD. *in cap. fin. de consuetud.* idem Balbus *vbi proximè.* Gratian. *disceptat. forens. tom. 2. cap.* 395. *num.* 6. cum pluribus relatis, & ita intelligenda erit ad text. *in dict. cap illa autem,* 12. *distinct.* ibi, *hoc autem de consuetudine ita intelligendum est, quæ vel vniuersalis Ecclesiæ vsu, vel temporis prolixitate roboratur,* &c. vt prolixitas per tempus decem annorum in hoc puncto intelligatur, cùm sit consuetudo præter ius, in qua iuri, aut statuto Ecclesiæ non detrahitur, quo casu non ei adhuc esse necessariam temporis diuturnitatem, sed tantùm actuum frequentiam, tenuerunt de veriori opinione plures relati per Marescot. *lib. 2. variarum resolut. cap.* 100. *num.* 23. Itaque ex prædictis sententiam absolutoriam in fauorem Rectorum & vicinorum contra fiscalem accusantem pronunciaui.

Eodem modo eamdem causam alia vice terminaui, in qua similis consuetudo quadragenaria fuit allegata & probata. Et licèt pro fiscali opponeretur testes esse suspectos, tum quia erant eiusdem oppidi, tum fortiùs, quia commodum suum defendebant in comedendo prædicta guttura, ex Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cas.* 106. *num.* 13. Farinac. *de testibus, quæst. 60. num.* 496. cum pluribus relatis; verùm ex eodem Menoch. *eodem loco, num.* 21. quando tractatur de innocentia probanda, etiam domestici admittuntur. Rursus eo casu quo agitur de probanda consuetudine in vniuersitate, etiam testes vniuersitatis sunt admittendi, vt ex Felino & Tiraquello docuit idem Farinacius *vbi suprà, num.* 494. vnde cùm in prædicta causa testes oppidi deponerent de innocentia Rectorum, & de consuetudine 5

dine circa esum gutturum, debuerunt admitti, licèt secundariò de suo commodo, tractarunt ex Mascard. *de probation. lib. 3. conclus.* 1358. *num.* 59. & 60. nam consuetudo difficile probari potest per exteros oppidi, seu vniuersitatis, quia licèt aliquoties rem, seu casum cognouerint, non tamen tantis vicibus ad consuetudinis probationes sufficientibus, quæ requirit actuum frequentiam, ex traditis per Marescot. *d. cl. cap.* 100. *num.* 1. & 2. & sic marito sufficiunt vicini, vnde causa in eorum fauorem fuit absoluta.

6 Insuper in alia consimili causa fuit idem quoad eadem guttura pronuntiatum, petitum tamen fuit quod aliàs animalium partes vulgò *alças y faldas*, vicini comedebant in die Sabbati, iuxta vniformem consuetudinem, cuius virtute easdem partes licitè comedere potuisse declarari contendebant. Sed in contrarium motus fui, ex eo quòd hæc consuetudo iam vitiosa & nimia videbatur, & contra omnem locorum vsum, & in dies voluissent illam extendere vsque ad omne animalium corpus authoritate propria, absque Principis Ecclesiastici consensu, vnde tanquam consuetudo irrationabilis, & occasionem scandali præstans, eam abiicere decreui arbitrio iudicis. Menochius *de arbitrar. lib. 2. cas.* 82. *in princ.* & *in fine*, exemplificat in consuetudine inhonesta, & scandalosa, qualis est præsens, quia tendit contra vsum communem, & Ecclesiasticam disciplinam, quę introductum habet, vt in his Hispaniæ partibus ad summum guttura supradicta comedantur, & adhuc in aliquibus locis istud non admittitur.

7 Vnde fit irrationabilis cõsuetudo, & scandalosa, quæ disciplinæ Ecclesiasticæ contrariatur. glossa *verb. rationabilis, in fine, in cap. fin. de consuetud.* Menochius *d. cas.* 82. *num.* 6. Panormitanus *in d. cap. vlt. num.* 5. vbi relinquendum dicit arbitrio discreti iudicis. Idem sentiunt plures relati per Viuium *in suis communibus opinionibus, in verb. consuetudo, num.* 80. & faciliùs erat hoc arbitrium in hoc casu ex eo quòd vicini loci non poterant hanc consuetudinem introducere circa mores Ecclesiæ, circa quod statuere non possunt. nam solùm potest introducere qui condere & constituere, vt est communis sententia relata per eumdem Viuium *in dictis communibus opinionibus, in verb. consuetudo, quòd per priuatum*, &c. *num.* 50. Panormitanus *in dict. cap. vltim. de consuetud. num.* 8. Quare præceptum fuit dictis vicinis, vt à prædicta nimia consuetudine in posterum abstinerent, quam damnosam & bonis moribus contrariam declarauimus, cum eisdem gutturibus in die Sabbati contenti.

Aliud dicendum esset, si adesset immemorabilis consuetudo, aut expressus Ordinarij consensus, iustis de causis assumptus, qui tanquam statutum, & immemorabilis consuetudo vim statuti habens (Seraphinus *decis.* 303. *num.* 4. & *decis.* 707. *num.* 3. Caputaq. *decis.* 227. *num.* 2. Marescot. *variarum resolutionum lib.* 2. *cap.* 101. *num.* 8.) prædictam carnium comestionem possent canonicare, vt in aliquibus locis canonicatum extat totius porci corpus in Sabbato manducare. 8

QVÆSTIO VII.

Contra Clericum blasphemum.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia illud est proprium, tribuere Deo quod ei non conuenit, vel detrahere quod conuenit.*

2 *Blasphemia & hæresis quomodo distinguantur.*
3 *Quæ sit blasphemorum pœna.*
4 *An pœna imposita super beneficiis intelligatur super Capellaniis, & quæ Capellaniæ dicantur beneficia Ecclesiastica.*
5 *In materia pœnali strictior interpretatio sumenda.*
6 *Quæ pœna in praxi fuerit imposita blasphemo.*

1 NON dubitabatur de blasphemia. dixit enim Clericus, quòd si Deus hoc dixisset, ipse replicaret esse mendacium, & blasphemorum proprium est tribuere Deo, quod ei non conuenit, vel detrahere quod conuenit, ex relatis per Farinac. *tom. 1. de delict. & pœnis*, *q. 20. num.* 11. Salcedo *in pract. crim. c.*110. §.*& quia sæpissimè*, & *ibi* ponit discrimen inter blasphemias non hæreticales, & hæreticales. Simanc. *cont. hæreses, cap.*8.*num.*1.7. *&* 8. Castro *de iust. hæret. punit. cap* 12.*col.*2. *vers. quicumque ergo, & col.*7. ibi, *Si quis autem è contrario aliquid intus, vel extrà Deo diceret, quod à diuina esset bonitate alienum, & tamen quod dicit, non credit ita esse, hic talis blasphemus dicetur, & nõ hæreticus.*

2 Cùm ergo talis Clericus tribuisset mendacium Deo, quod ei tanquam summæ veritati non conuenit, blasphemus fuit: ex eo autem quòd non credidit quod dixit, cùm fuisset ex passione animi, & iracundia, & postea interrogatus id declarauerit, affirmans se talia non dicturum, hæreticus non fuit, quia in eo blasphemia, & hæresis distinguuntur. nam illa in dicendo, hæc autem in credendo consistit. Parladòr. cum aliis *quotidian. quæst. quæst.* 18. *num.* 6. vnde eius punitio ad Ordinarium pertinebat, ex prædictis.

3 Dubium autem versabatur circa pœnam infligendam dicto Clerico, quandam Capellaniam collatiuam habenti propter constitutiones synodales Archiepiscopatus Toletani, & Bullam Pij V. incipit, *Cùm primum*, quibus Clerici habentes beneficia pro prima vice fructibus vnius anni, pro secunda priuatione beneficiorum, & pro tertia depositione omnium dignitatum, & exilio puniuntur, refertur Bulla *in constit. synod. tit. de maledic.* & refert Farinac. *d. quæst.* 20. *num.* 63.

Vnde dubitatio fuit orta, an scilicet hæc pœna super beneficiis intelligatur super Capellaniis, & augebatur, quia collatiuæ, dicuntur beneficia Ecclesiastica. plures referunt, Lara *de Capellan. lib.*2. *cap.*1. *num.*16. Garcia *de benefic. part.*1. *cap.*2. *num* 95. & quia Pius loquitur generaliter, ibi, *Omnium & quorumcunique beneficiorum*, &c. 4

Verùm contrarium videbatur ex eo quòd in materia pœnali, & stricta strictior etiam interpretatio sumenda est. textus *in l. si Præses, & in l. si de interpretatione, ff. de pœnis. cap. odia*, cum *ibi* notatis, *de regul. iur. in* 6. Alex. *cons.* 113. *Viso instrumento, num* 9. *lib.* 2. Grammatic. cum aliis *decis* 74. *num.* 8. & quòd verbum *beneficium* restringatur, quando materia est odiosa, aut non pateretur extensionem, sed repugnaret, ex Felino *in cap. postulasti, col.* 7. *num.* 3. §. *circa gloss. vers. secunda conclusio, de rescript.* docuit Rebuff. *in praxi beneficiali, in princip. cap. quid sit, & quot modis dicatur beneficium, num.*15. *&* 16. Panormit. *in cap. tua nobis, num.* 3. *de verb. signific.* cum aliis. 5

Vnde reiecta pœna super Capellania, pœna carceris, & pecuniaria, prædictum Clericum duxi condemnandum, iuxta eandem constitutionem, & Bullam eiusdem Pij. Et quia blasphemia grauis erat, insuper præcepi, vt coram duobus, in quorum præsentia blasphemiam 6

miam protulerat, condignam sui delicti satisfactionem præstitisset, veritatem summam in Deo confitendo, non autem mendacium, & errorem esse, quidquid in contrarium diceretur, quod ideo particulariter conuenire iudicaui; quia reus aliis delictis, & etiam iuramentis obnoxius, à futuris blasphemiis. hac pœna illi onerosa retraheretur.

QVÆSTIO VIII.

Non vulgaris.

An Parochus possit concedere licentiam simplici Sacerdoti per Ordinarium non approbato exercendi & administrandi sacramenta Eucharistiæ, Baptismi, Matrimonij, & Extremæ vnctionis, in Ecclesia suæ Parochiæ, & an propter hoc possit puniri.

SVMMARIVM.

1 *Approbatio per Concilium requisita cadit solùm in sacramento Pœnitentiæ, in cæteris autem Sacramentis non requiritur, & sic in illis Parochus dare potest assensum, & hoc de iure procedit.*

2 *In praxi autem secus est, quia Ordinarij dant approbationem in omnibus Sacramentis, & refertur constitutio Tolet. & casus practicatus.*

3 *De iure communi non videtur iustum punire Parochum, ex eo quòd assensum in dictis Sacramentis præstiterit.*

4 *De iure verò speciali puniri potest, si adsit ius speciale postulans approbationem in omnibus Sacramentis.*

5 *Valida tamen erunt Sacramenta cum Parochi licentia, excepto Pœnitentiæ sacramento.*

DVBIVM non est de sacramento Pœnitentiæ, cùm expressè per Concilium Ordinarij approbatio requiratur, *sess.23. cap.15. de reformat.* nec etiam de sacramento Matrimonij, ex eodem Concilio *sess.24. cap.1. de reformat.* ibi, *Vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia*, &c. vbi iam Parochus potest simplici Sacerdoti matrimonio licentiam assistendi concedere. Idem similiter de sacramentis Eucharistiæ, Baptismi, & Extremæ vnctionis, quia eadem est ratio, quæ in sacramento Matrimonij, & quia cùm Concilium in Pœnitentia tantùm approbationem exposcat, per consequens in cæteris Sacramentis illam superfluam iudicauit, & approbatio cùm sit correctoria iuris communis, ex quo Parochus omnia poterat in sua Parochia, vltra casum expressum accipi non debet, sic tenent Syluester *verb. vnctio, num.4.* Nauarr. *in manuali, cap. 22. de sacramento Baptismi, in fine.* P. Sanchez *de matrimonio, tom.1. lib.3. disput.10. n.10.* Sà *in suis Aphorismis, verb. Parochus, num. 11.* Cenedo *in quæst. canonicis, quæst.30. num.71.* cum Rodrig. & Henriq. per eum relatis, & de sacramento Vnctionis extremæ, Eucharistiæ, & Matrimonij, est textus *in Clement.1. de priuileg.* ibi, *Non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali*, &c. 1

Sed quamuis hoc de iure certum sit, attenta tamen praxi dubitabile videtur, ex qua Ordinarij semper approbationem, 2

tionem, nedum in Pœnitentiæ sacramento, verùm etiam in omnibus concedunt, & è conuerso Parochi ex hac causa aut nunquam, aut parum iuris communis regalis vtuntur, cùm eorum locum tenentes, & substituti, semper per Ordinarios approbati generaliter existant; inde possumus cogitare quòd hæc licentia Parochis concessa per eorum non vsum in desuetudinem abierit, & è contrario per frequentem vsum Ordinariorum approbationem in Sacramentis omnibus concedendi sit aliquo modo inueterata, & offuscata, præcipuè si constitutiones Synodales in loco approbationem absolutam exposcant in omnibus Sacramentis, & eorum administratione, absque Sacramentorum distinctione, prout constitutio Synodalis Toletana 7. *de pœnit. & remiss.* ibi, *Ni administrar Sacramentes, ni a oyr de pœnitencia a ninguno*, &c. & hinc ortum habuit aliquando praxis puniendi Clericum cum Parochi licentia, & sine approbatione Ordinarij Sacramenta supradicta administrantem.

3 Verùm, re maturiùs considerata, existimo tutius esse contra tales Clericos, aut Parochos ad punitionem non procedere. nam etsi parum ipsi licentia iuris in eorum fauorem vtantur: possunt tamen, si velint, ad eius vsum accedere; & quamuis Ordinarij approbationem absolutam Presbyteris concedant, non ideò ius suum Parochis adimunt, & negant. vnus namque si iure suo alteri etiam communi vtatur, viam illi iterum eodem iure vtendi non excludit, vnde quod lege & iure permittente fit, pœnam mereri non potest, gloss. *verb. alioquin, in l. vtique, ff. de damno infecto.* & hoc attento iure communi.

4 Si autem iure extraordinario constitutio Synodalis approbationem in omnibus Sacramentis, & eorum exercitio desideret, poterit Clericus absque tali approbatione, & Ordinarij licentia Sacramenta prædicta administrans per eundem Ordinarium puniri pœna in tali constitutione contenta, prout aliquando puniuisse quendam memor sum, & iusta est constitutio approbationem generalem præfiniens, cùm ad Ordinarium, non autem ad Parochum pertingat examinari, an Clericus ad administrandum aptus sit, vel non, & ita hinc resultat, quòd si Clericus spreto examine Ordinarij administret, corripi potest.

Sed validum erit Sacramentum ad quod ex supradictis tantum Parochi licentia requiritur, dummodo non sit sacramentum Pœnitentiæ. 5

QVÆSTIO IX.

Contra Clericos in homicidio participes.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas nedum ex homicidio, sed ex eius acceleratione incurritur.*
Paria enim sunt interficere, vel iniustè percutere, ibid.
Percussor fit irregularis ex vulnere graui, non lethali, quando febris, & infirmitas mortalis inde causatur, ibid.
Dantes operam rei illicitæ sunt in culpa, ibid.
Causa sufficit quòd sit ad mortem directa, licèt remotè, ibid.
2 *In dubio facti pro irregularitate iudicandum est.*
3 *Ponitur quæstionis, & casus resolutio.*

ACCVSATI

1 ACCVSATI fuerunt duo Clerici quòd violenter manus imposuerunt in quemdam hominem, qui paulo pòst viam vniuersæ carnis ingressus ansam dedit existimandi ex tali impositione vitam amisisse, & hinc etiam accusatio facta fuit tanquam de Clericis homicidis. Causa fuit agitata,& pro parte Clericorum proponebatur, defunctum ex rixa non defecisse, cùm ipse iam penè mortuus ex aliis causis ambulasset, & ita rixam non fuisse mortis causam, Medici, & alij cum iuramento firmarunt. Pro parte autem Fiscalis, qui in locum vxoris querelantis, & iam per pactum à lite recedentis, successerat, arguebatur rixam mortem accelerasse, ex eo magis attenta hominis viuentis debilitate: vnde ad conclusiones iuris deuentum fuit, quarum prima est, quòd irregularitas nedum ex homicidio, sed ex eius acceleratione incurritur; paria enim sunt interficere, & iniustè percutere,ex quo mors sequatur. ita Nauarr. *in manuali cap. 27. n.223.* per textum *in cap. Presbyterum, & in cap.ad audientiam, de homicid.* bonus textus *in cap.continebatur, & in cap.de catero,eod.tit.* Couarr.*in Clement.si furiosus,de homicidio, 2.part.§.2.num.9.* P. Auila *de censuris, 7. part. disput.4. sect.1.dubit.5. §.secunda conclusio*, vbi tradunt quòd percussor sit irregularis ex vulnere graui, non lethali, quando febris, vel infirmitas mortalis inde causatur, & ita hoc in casu cùm Clerici violenter manus imposuissent in hominem, & ex impositione febris, seu eius ægritudo ad extremum illum perduxisset,videtur quòd originaliter causata fuit mors ex rixa, & ita inducitur irregularitas, cùm rixantes fuissent in culpa,ex eo quòd dederunt operam rei illicitæ, ex his quæ scripsit Gutierrez, alios referens, *canonicar. quæst. lib.2. quæst.6. num.7.* & causa sufficit quòd sit directa sufficienter ad mortem, licèt sit aliquantulum remota, quod bonus vir arbitrabitur. Couarr. *in d.Clement. §.4.n.9. §.hinc etiam constat.* Gutierr. *d.cap.6. num.19.*

Sed difficultas erat in præsenti, an rixa mortem accelerauerit. Medici enim, ad quos huius dubij declaratio pertinet,Auila *vbi proximè*, affirmabãt: alij autem negabant,& ita res erat dubia super facto, & in dubio facti pro irregularitate iudicandum est, cùm semitam debeamus eligere tutiorem. idem textus *in d.cap.ad audientiam,& in cap.significasti, eod. tit.de homicidio,* qui loquuntur in dubio facti.idem Pater Auila *de censuris, 7.part.disp.2.dubit.5.§.quo supposito*, vbi distinguit in dubio iuris, ex quo nullus est censendus irregularis, nisi in casibus à iure expressis, ex text.*in cap.is qui, de sent. excommunicat. in 6.* idem resoluit in specie, DD. referens nuncupatim, Gutierr.*d.lib.2.cap.6.num.171.& seqq.* Leo *in Thes.fori Eccles.part.3.cap.9. de irregular. num.28.* Maceraten. *var.resol.lib.3.resol.16. num.20.* & est iuridica, & congrua distinctio, & resolutio. 2

Quam sequutus in præsenti iudicaui in dubio præfatos Clericos esse irregulares,& ad cautelam egere Apostolica dispensatione, & interim in susceptis Ordinibus ministrare, & ad maiores promoueri non posse. idem textus *in d. cap. significasti.* Insuper etiam pœna triginta aureorum,& expensarum cuilibet iniunximus, & ita causa fuit sub correctione resoluta. 3

* * *

C QVÆST.

QVÆSTIO X.

De excommunicationis sententia legitimè promulganda.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur DD. de hac quæstione tractantes.*

2 *Prima solemnitas est quòd monitiones tres, vel vna pro tribus, cum termino competente, arbitrio iudicis excommunicationem præcedant,*

In praxi vna tantùm ponitur monitio, & hac excommunicationem comitatur, ibidem.

3 *Quid si illa monitio vnica à iudice remittatur.*

4 *Omittere illam ex proposito temerarium est.*

5 *Respondetur ad rationem in contrario adductam.*

6 *Secunda solemnitas est, vt excommunicatio sit scripta, à qua solemnitate ex causa licet recedere.*

7 *Per vsum, & consuetudinem contrariam tolli potest hac solemnitas.*

8 *Excommunicatio ad terrorem lata, an si non scribatur, sit pœnalis, & quomodo cognoscatur esse ad terrorem, vel effectum non habuisse.*

9 *Excommunicatio ferenda, & comminatoria sine solemnitatibus, an pœnas inducat.*

10 *Quid si iudex imperitia, vel obliuione solemnitates omittat.*

11 *Quid in casibus repentinis, & vbi periculum est in mora.*

12 *Tertia solemnitas est, quòd causa excommunicationis describatur, & ponitur praxis.*

13 *Ponuntur alia solemnitates, & quid in praxi de illis obseruetur.*

14 *Reprehenduntur illi, qui has solemnitates minus obseruant.*

DISSERVIT Menochius in specie *de arbitrar.cas.*541.vbi formam, & solemnitatem, ac insuper pœnas in promulgatione mala sententiæ excommunicationis, & iura Pontificia *in cap.sacro, de sent.excomm. & in cap.1.e d.tit.in 6.* cum aliis vberrimè explicauit,& vltra relatos *ibi* tractant Hieronymus Campanil. *diuersor. iuris can. rubr.*11. *cap.*15. *num.* 76. *& seqq.* P. Auila *tract. de censur.* 2. *part. cap.*2.*disp.vnica, & cap.*5.*disput.*5.*dub.* 7. Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap.*24.*& in practic. Eccles. quæst.*706. Piasecius *in praxi Episcop.part.*2.*cap.*4. *art.*13. *num.*4. *& seq.* Riccius *in praxi aurea,res.*594 Leo *in Thesauro fori Eccles.p.*3.*c.*7.*n.*106. *& seq.* Gutierr. *can. quæst.lib.*1. *cap.*4. Maceraten. *var.resolut. lib.*1 *resol.*71. idem Riccius *collectan.decis.part.*4. *collect.*757. Cerola *in pract. Episcop. verb. excommunicatio causa formalis.* Non repeto Couarr. & Summistas,nec principaliter ea,quæ circa ius præfati DD. ampliando & limitando aducunt; solùm autem circa factum, & stilum dubito, an solemnitates *d.cap.sacro, & cap.*1. in practica obseruentur.Solemnitates sunt, 1

Prima, vt monitiones tres, vel vna pro tribus, cum termino competente arbitrio iudicis excommunicationem præcedant, ex dictis DD. & est certa conclusio, circa quam in praxi aduerto, quòd monitiones tres nunquam fiunt,sed vna tantùm,quod iam vsu receptum est. Auila *d.disput.*2. & hæc vnica monitio concurrit, & comitatur ipsam sententiam excommunicationis. non enim seorsum decernitur, & scribitur, licèt aliter fieri debere do- 2

ceat

ceat Campanil. *d.cap.* 15. *num.* 84. quòd obſeruentur quando iudex aliud velit, & diſiunctim moneat, & hoc facilè admittere non debet. Si enim tres monitiones ſeparatim decernerentur, eſſet nimis grauare partes, & iuſtitiæ complementum cum difficultate, & prolixa mora adminiſtrare. & vt hæc inconuenientia ceſſent, iuſtè vſus obtinuit, vt vna & trina monitio cum ipſa ſententia pronuncietur.

3 Sed quid ſi illa vnica monitio à iudice omittatur, vtrùm ſit ſuſpenſus. Dico, quòd ſi obliuione factum fuit, aut bona fide, & intentione, credendo non neceſſarium, ſuſpenſus non iudicabitur, cùm culpa excludatur, ex dicendis infrà *num.* 6. & idem ſi vſus, & ſtylus prædictam monitionem excluſerit, vt infrà *num.* 3. prout in vnaquaque audientia apparuit: ſi autem ex dolo, & propoſito, videtur etiam idem dicendum, quia ille ſtylus trina canonica monitione præmiſſa, iam tanquam propter formam adhibetur, & quia Pontificis mens *in d. cap. ſacro, & cap.* 1. nempe quòd cenſuræ, & excommunicationis ſententia non ſubitò, & ex abrupto pronuntientur, omiſſo etiam illo ſtylo poteſt obſeruari, & ab eo non depẽdet, cùm iudex abſque ipſius obſeruatione ſententiam ex animo decernat: vnde ſi mens, & finis Pontificis ceſſat, ceſſare debet pœna per eum appoſita.

4 Verùm ego nunquam hac cogitatione procedere auſus fui. nam omittere illam ſolemnitatem ex propoſito, ſapit aut malitiam, aut contemptum, & licèt cum ipſa ſententia huiuſmodi monitio fiat, & vno verbo, hoc tamen propter prolixitatem, & circuitum introductum fuit, & ſic cùm hoc verbum, hic ſtylus in locum trium monitionum ſuccedat, eodem rigore, & pœna accipiendus erit, & vltimò quomodocumque hodie fiat, forma iuris adimpleretur, & illam omittere ex propoſito, temerarium eſt: vnde per conſequens ſuſpenſio ligauit, ex *d. gloſſa, verb. temerarius*, & ex *d. cap.* 1. † Non 5
obſtat ratio ſuprà tradita, quòd non dependet ab hoc ſtylo mens, & finis Pontificis, & quòd qui peccat in ſolemnitate, ſeruatis cæteris ſubſtantialibus, quoad rem peccare non videtur, quia Pontifex hanc ſolemnitatem, & cæteras ſupradictas requirit, tanquam ad finem inducentes, vnde qui eas non ſeruat ex dolo, & contemptu, Pontificis legi iuſtæ reſiſtit in re graui, & peccat in vtroque foro, ex dicendis *infr. quæſt.* 19.

Secunda ſolemnitas eſt, vt excom- 6
municatio in ſcriptis proferatur, & hoc ſemper obſeruatur propter ſuſpenſionem, textus *in d. cap.* 1. etſi aliquando ignaros iudicauerim quoſdam iudices contrarium facientes; quod erit licitum, quando periculum ſit in mora, vel ex alia cauſa, nempe quòd Notarius non adſit, & in aliis caſibus per eoſdem DD. relatis, vt dicetur infrà *n.* 11.

Ex quibus conſidero, quòd per 7
vſum, & conſuetudinem contrariam tolli poteſt hæc ſolemnitas ſcribendi ſententiam excommunicationis, vt ex Couarr. adnotauit Gutierr. *d. lib.* 1. *c.* 4. *num.* 15. Ex quo infero idem de omnibus ſolemnitatibus contentis *in d. cap. ſacro, & cap.* 1. cùm hæc ſolemnitas ſit præcipua, & quod in ea vſus poteſt inducere, poterit per conſequens in cæteris, per eandem rationem.

Quid autem ſi ad terrorem, & pro- 8
pter formam præcipiatur aliquid, ſub pœna excommunicationis tantùm, abſque declaratione, & hoc ſine ſcriptis, iudico non intrare ſuſpenſionem iuris, quia hæc excommunicatio fuit vana, & inanis, & textus *in d. cap.* 1. non loquitur de tali excommunicatione, ſed

de ea, quæ vera & firma fuit, & ideò præcipit, vt exemplum tradatur excommunicato, vt se defendat, quod propriè in excommunicatione vana non cadit, comprobatur hoc ex Lapo *alleg.*73. & Domin. *in d. cap.*1. per Genuensem relatis *in praxi Archiep. d. cap.*24. *num.*3. dum inquiunt non esse locum *d. cap.*1. quando excommunicatio non habuit effectum, licèt alij contrarium sentiant, quorum opinio vera non est. nam in excommunicatione vana, & quæ non ligat, nec effectum operatur, non potest suspensionis pœna considerari, ex *d. cap.*1. tam ex eius litera, quàm ex eo quòd talis excommunicatio non est. excommunicatio, & ita non entis nullæ sunt qualitates, & Pontifex interrogatus respondisset se non loqui de excommunicatione vana, & inani, quæ ex eo quòd talis est, non indiget, quòd maturè imponatur, nec tertio potest præiudicium generare, & ideò in ea cessat ratio & intentio Pontificis *in d. cap.* 1. Quando autem cognoscatur, an excommunicatio sit ad terrorem, vel nó, hoc ex circumstantiis, & modo loquendi iudicis coniicitur, & similiter iudex rogatus si oportuerit, declarauit.

9 Rursus dubium est, an prohibitio textus *in d. cap.*1. procedat in excommunicatione comminatoria, & ferenda, seu in lata, & declarata; & ex vna parte videtur, quòd loquitur tantùm in excommunicatione lata, ibi, *Quisquis igitur excommunicat*, &c. verbum enim *excommunicat*, de præsenti latam excommunicationem significat; & ideò Archidiaconus *in d. cap.*1. *num.*9. pro verbo *excommunicat*, exposuit, id est, *excommunicare intendit*, tradunt omnes DD. vt per eundem Auilam *d.* 2. *part. cap.*2. *disput. vnica*, & est exemplum in Bulla Cœnæ, vbi Pontifex incipit, *Item excommunicamus*, &c. Facit ratio, quia in tali excommunicatione requiritur maturitas, *d. cap.*1. ex eo quòd statim ligat. Ex alia parte contrarium videtur, quòd prædicta prohibitio extendatur ad excommunicationem ferendá, quia talis sententia excommunicationis est, veluti, quando dicimus: Faciat hoc sub pœna excommunicationis, seu sub interminatione excommunicationis, & textus *in d. cap.*1. dat formam in pronunciatione sententiæ excommunicationis; teneo tamen primam partem tanquam magis probabilem, & literæ, & menti Pontificis magis aptam, & insuper piam, & rigoris ibi contenti modificatiuam.

Iterum quid si iudex, vel imperitia, 10
vel carnali obliuione, excommunicationem latam sine scriptis fulminet, & pronunciet? Dico, quòd si ignorantia iuris hoc fecit, non excusabitur, cùm teneatur ius non ignorare, & erit temerarius si ius ignorans officium iudicis exerceat. gloss. *in d. cap.*1. *verb. temerarius*; sed si ius sciat, & in eo sit sufficienter versatus, vnum, aut præsens capitulum ignoret, quod adhuc diligentissimo continget, durum erit hanc ignorantiam condemnare. nam etsi leges, & constitutiones ignorare liceat, text. *in l. leges sacratissimæ*, & *ibi* Baldus, & cæteri, *C. de legibus*, & *in l. constitutiones*, *C. de iuris, & facti ignor.* hoc tamen cum aliquo temperamento humanæ naturæ adaptabili, & possibili existimo intelligendum. Si autem casuali obliuione iudex hanc solemnitatem, & cæteras omittat, clarum est, quòd excusabitur. nam *in d. cap.*1. requiritur temeritas, & dolus. ibi, *temerarius*, & glossa *in eodem verbo*, & vbi intrat obliuio homini naturalis, excluditur dolus, & malitia, alioquin puniremus iudicem absque culpa pœna, text. *in d. cap.*1. cùm *ibi* culpa expresè ad pœnam, & punitionem requiratur.

eadem

eadem gloſſa, ibi, *Quòd ſi excommunicator non fuit in aliqua culpa*, &c.

11 Ex prædictis reſultat idē dicendum in caſibus repentinis, & ſubitaneis, in quibus variis ex cauſis ſententiam excommunicationis promulgari verbo & viua voce oportuerit, aut quia Notarius, ſeu alia neceſſaria ad ſcribendum haberi non poſſunt, & periculum eſt in mora, ex gloſſa recepta *in d. verb. temerarius*, & refert, & tenet idem Genuenſis *d. praxi Archiepiſcop. cap.* 24. *num.* 5. vbi ex hac ratione, ſubdit excuſatum fuiſſe Vicarium Neapol. à pœna *d. c.* 1. ex eo quòd quendam viua voce in caſu repentino excommunicauit.

12 Tertia ſolemnitas eſt, quòd cauſa excommunicationis deſcribatur, & hoc etiam obſeruatur. nam ſemper illa, vel propter inobedientiam, vel contumaciam pronunciatur, & in actis de tali inobedientia, & contumacia conſtat: ita cum Couarr. & aliis ſcripſit idem Auila *de cenſuris* 2. *p. cap.* 5. *diſput.* 1. *dub.* 6. & tenent cōmuniter DD. Ricc. *d. praxi aurea, & reſol.* 394. §. *vlterius.*

13 Circa tamen alias ſolemnitates, nempe quòd monitio fiat præſentibus perſonis idoneis, vel coram teſtibus, etiamſi monitiones ſint extraiudiciales, iuxta Genuenſem *in practic. Eccleſiaſt. quæſt.* 705. hoc non obſeruatur. nam cùm monitio excommunicationem comitetur, nota fit contumaci, & inobedienti per Notarium tantùm, quando excommunicationem notificat, in qua notificatione aliquando ponuntur teſtes, aliquando non, iuxta ſtylum, aut diligentiam Notarij, licèt de iure negata per reum notificatione controuerſum ſit, cui potiùs credatur, de quo Iul. Clarus §. *fin. quæſt.* 53. *num.* 17. & circa alteram ſolemnitatem, quòd tradatur excommunicato exemplum excommunicationis infra menſem, non eſt in vſu ſolùm, ſi excommunicatus vult, prædictum exemplum petit à Notario, vel à iudice, & dari præcipit, niſi aliud oportuerit; ſed excommunicati, non ſemper prædictum exemplum poſtulant. nam notificatione facta, de ſuo iure comparent allegando.

Quapropter cenſura digni ſunt illi, qui cùm officium iudicis habeant, ſe in eo exercendo, & meſſi aliena; abſque duce excommunicationis ſententiam aliquando pronunciant, forma iuris prætermiſſa, vt aliquando vidi; aut ſi in hoc capite non deficiunt, ipſam ſententiam latam, & ferientem multoties ſcribunt, abſque dolore alieno, prudentiæ, & ſobrietatis in re adeò graui, & Eccleſiæ conſortij ſeparanti, & Conciliaris Trid. documenti *in cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de reformat.* aliquanto immemores, placuit hæc circa praxim verbis breuibus adnotare, non enim ferre poſſum aliquorum commentaria, quorum prolixitas faſtidium potius generat, quàm ſolatium. & ideò plures DD. non repeto, & plura omitto, aut quia in relatis continentur, aut quia peritis ſunt manifeſta. 14

QVÆSTIO XI.

Non vulgaris.

De iudice Eccleſiaſtico, an poſſit pernoctare, & ciuitatem circuire, vulgò rondar, *cuſtodiæ Clericorum, & Eccleſiæ cauſa, & an Clerici cum armis inuenti poſſint legitimè per ſecularem iudicem ſpoliari.*

SVMMARIVM.

1 *Nocturna deambulatio non eſt de*

per se actus iurisdictionis.

Concessa iurisdictione, omnia praeambula, & praeparatiua intelliguntur concessa, ibid.

Concesso antecedenti, conceditur & consequens, ibid.

Nullus videtur dolo facere, qui suo iure vtitur, ibid.

2 *Quocumque modo iurisdictio exerceatur, etiam noctis tempore exerceri potest.*

3 *Spiritualis iurisdictio sine discrimine personarum penes Episcopum, & eius iudicem resídet.*

4 *An iudex Ecclesiasticus teneatur auxilium saeculare implorare ad exercendam iurisdictionem in laicos, dum noctis tempore in delicto apprehenduntur.*

5 *Quid de Clericis in habitu saeculari inuentis.*

6 *Non in omnibus casibus auxilium saeculare requiritur, & quid obseruetur in praxi.*

7 *An contra pernoctationem iudicis Ecclesiastici, sit non habere familiam armatam, & an de iure illam possint habere, & de facto illam habeant.*

8 *An iudex saecularis, & eius ministri, possint arma Clericis adimere, & proponitur consuetudo.*

9 *Refertur dubium contra dictam consuetudinem.*

10 *Statutum respiciens publicam vtilitatem, non contra personas Clericorum, sed bona, probabile est quòd teneat; sed contrarium verius.*

11 *Ponitur resolutio circa arma per laicos Clericis ablata, loquendo in terminis iuris.*

12 *Saluatur factum laicorum ex eo quòd Clerici sunt reperti in delicto.*

13 *Ad iudicem Ecclesiasticum attinet, non ad saecularem, super poenis Clericorum cum armis deambulantium, & super eorum priuatione cognoscere.*

14 *Probabile esse laicos arma Clericis auferentes in censuris Bullae Coenae incedere, quod duobus modis declaratur, & remedium contra laicos Clericis praestatur.*

15 *Consuetudo in dictorum armorum spoliatione laicos excusat.*

EXTRAORDINARIA est haec quaestio, in qua dico quòd iudices Ecclesiastici aliquando, & aliquibus noctibus peruigilant ciuitatem, vt inde si quid inter Clericos peccati resultauerit, ad ipsorum notitiam deueniendo coërceant: fuit tamen dubitatum per laicos, an talis pernoctatio, seu deambulatio dictis iudicibus sit permissa? & esse permissam ex eo iudicaui, quia talis deambulatio non est de per se actus finalis iurisdictionis, sed ad aliud tendit, nempe ad punitionem, seu correctionem Clericorum, in quos iudex dirigit gladium iurisdictionis suae, quam omni tempore potest exercere, sine discrimine diei, vel noctis, & ita concessa iurisdictione conceduntur omnia praeambula, & praeparatoria ad ipsam exercendam, ex *l.2.* vbi DD. *de iurisdict. omn. iudic.* & concesso antecedenti, conceditur & consequens, & è contra, ex iuribus vulgaribus, *in l. ad rem mobilem, & l. ad legatum. ff. de procuratoribus.* vnde si iudex Ecclesiasticus non excedit de nocte terminos iurisdictionis Ecclesiasticae, iniustè possunt querelari laici de ipsius nocturna vigilantia, cùm nullus videatur dolo facere, qui suo iure vtitur, *regul. nullus, de reg. iur.* cũ similibus. 1

Ex quibus infertur, quòd quomodocumque iurisdictio Ecclesiastica exerceatur, tam in Clericos, quàm in laicos, in casibus permissis, & mixti fori, de quibus Aufrer. *de potest. Eccles. super,* 2

*ſuper laicis,tit.*2. Paz *in praxi* 2.*tom*.2. *prælud. num*.1.*& ſeqq*. Parlador.*quotid. different. diff*.9. §.2. vtroque modo licitè poteſt iudex Eccleſiaſticus noctis tempore prædicta iuriſdictione vti.

3 Rurſus infertur quòd cùm iuriſdictio ſpiritualis abſque perſonarum diſtinctione reſideat penes Epiſcopum, & eius iudicem, & Vicarium, optimè poterit hic iudex pernoctare certis noctibus, vt pro tali iuriſdictione ſpirituali moneat,& ſuadeat omnes in peccato degentes ab illo recedere, & hoc abſque ſtrepitu & figura iudicij.

4 Sed dubium erit,an iudex Eccleſiaſticus teneatur auxilium ſeculare implorare,vt poſſit laicos, & Clericos in habitu iunctos ſæculari carceribus mãcipare.Dubium facit,quia de nocte, & vbi tempus, & opportunitas non eſt, videtur quòd Eccleſiaſticus auxilium petere non poſſit. Verùm reſpondetur, poſſe ante noctẽ hunc caſum prudenti cautela præuideri, & ita tale auxilium in pernoctando ſecum ferre; quod ſi non dolo, aut malitia omiſſum ſit, & caſu accidat capere laicum in cauſa mixti fori, non dubito quòd etiam ſine auxilio capi poſſit, dummodo ſequenti die notitia detur iudici ſæculari, vt cauſæ conſcius capturam factam ratificet. nam ea quæ repentino motu contingunt, humano nequeunt ſubiacere iudicio,& ita licitum eſt iudici ſæculari capere Clericum in flagranti, vt dicitur,delicto,ex relatis per eundem Aufrer.*de poteſt.ſæcul. in Eccleſ. fallent*.4. §.*& in ſumma*. Parlador. *quot. differ*.9. *num*.1. & hoc de capiendis laicis.

5 De Clericis verò in habitu non Clericali inuentis, videtur quòd etiam auxilium requiratur. nam ſi ipſi in habitu,& figura ſunt laici,tanquam tales ſunt iudicandi, & ita brachium intrat ſeculare. Verùm contrarium verius eſt. nam etſi Clericorum habitus ſit ſæcularis,& interim dum de Clericatu conſtat, ſint vt laici iudicandi; hoc tamen ceſſat poſtquam veritas, hoc eſt, eſſe Clericos,apparet, & ita ſi iudex Eccleſiaſticus recognoſcat quendam de nocte habitum ferentem ſæcularem, & poſtea eo cognito eſſe Clericum inueniat,extinguit veritas fictionem: vnde iudex abſque auxilio poterit eum capere,nec dicatur, quòd ad recognitionem ſaltim, brachium prædictum expectetur. nam leges Regiæ ſolùm in captura, & carceratione loquuntur: vnde ad alium caſum non ſunt pro trahendæ, & cùm iudex Eccleſiaſticus reuelata facie, & habitu, Clericum ſuum capiat,non eſt curandum de alio circa auxilium, cùm hoc tantùm circa capiendos laicos ſit authoritate Regia ſtabilitum.

Et non in omnibus caſibus. nam in 6 iudicio criminali contra laicum ad punitionem culpæ non eſſe eo caſu auxilium poſtulandum, de iure, & de practica Salmanticenſi, teſtatur cum aliis Paz *d.praxi* 2.*tom*.2.*præludio, num*.56. & refert dubitans Salzedo *in practica crimin.cap*.149. *num*.7. Aceued.probat *in l*.15.*tit*.1.*lib*.4.*Recopil.num*.10. licèt hoc in praxi non obſeruetur,ſed generaliter auxilium imploratur:vbi autem illa obſeruantia, & conſuetudo fuerit, tenenda eſt, ex prædictis.

Quamuis ea quæ dicta remanent, 7 probabilia in iure videantur, de facto tamen poterunt impugnari,ex eo quòd iudex Eccleſiaſticus non habeat familiam armatam ad pernoctandum, vt ſcribit Couarr. *practicar.quæſt.cap*.35. *in fine, verſ. alioqui*, cuius dictũ neſcio quomodo procedat. nam quilibet iudex Eccleſiaſticus habet miniſtros laicos,Alguacellum,Fiſcales,Notarios, & curſores, qui poſſint cum ſuis armis deambulare noctu ciuitatem. Imò etiã in Diœceſi eiuſdem Præſulis, vbi Vicarius

carius fui generalis, Promotor fiscalis pernoctabat aliquando, quod meliùs cæteri ministri laici agere potuerant, & ita non ex defectu armorum, nec ministrorum, debet pernoctatio prætermitti. Similiter etiam nec ex iuris defectu, cùm possit Episcopus, & iudex vices eius gerens, tales ministros, & familiam armatam pro sua tuenda iurisdictione congregare, & tenere. ita Aufrer. *d. tit. de potest. Eccles. super laicis, num.* 18. Leo *in Thesauro fori Eccles. part.* 1. *de Synodo, cap.* 9. *num.* 16. *& pluribus seqq.* vbi tam Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. §. *in causis verò,* quàm plura alia pro hac sententia reſcribit. plures etiam refert Maceraten. *var. resolut. lib.* 3. *resolut.* 14. *num.* 1. plurimos Campanil. *diuersor. iur. Canon. rub.* 12. *cap.* 13. *n.* 88. Salcedo *in pract. crimin. cap.* 150. *num.* 23.

8 Sed modò videamus, omisso quòd iudex Ecclesiasticus possit pernoctare, & arma Clericis adimere, an idem legitimè faciat iudex sæcularis, eiúsque ministri, & quo pacto eorum factum saluari possit? Fateor ll. Regias, & consuetudinem laicorum spoliãdi Clericos arma portantes, testantur & referunt Couarr. *d. cap.* 33. *num.* 7. *& lib.* 2. *var. cap. fin.* §. *tricesimosexto.* Aufrer. Dueñas, & alij relati per Parlador. *dict. differentia* 9. §. 4. *num.* 3. & per Gutierr. *pract. quæst. lib.* 1. *quæst.* 12. Salcedo *in pract. crimin. cap.* 55. § *pro quo etiam mirè facit, & seqq.* Azeued. *in l* 4. *num.* 2. *tit.* 6. *lib.* 6. *& in l.* 9. *num.* 3. *lib.* 1. *recop.* Mexia *sup. pragmat. panis* 5. *conclusio. num.* 58.

9 Dubito tamen disputationis gratia, quòd prædictæ ll. & consuetudo ipsarum condi, & introduci potuerint. nam loquuntur directè in personas Clericorum, in quibus Princeps omni caret iurisdictione iure diuino & humano, vt omnibus constat, nec satisfacit ratio, Couarr. & prædictorum asserentium delationem armorum in Clericis esse contra publicam vtilitatem, qua stante Clerici subsunt legibus sæcularibus, quia hæc vtilitas iam per Canones, & iura Pontificia talem delationem prohibentia præuenta, & considerata erat, & ideò circa hanc vtilitatem Clerici priùs suberant iuri Canonico, ex hoc iure sunt iudicandi, & puniendi, alioqui etiam posset Princeps sæcularis statuere quidquid ius Canonicum stabilitum habet ratione publicæ vtilitatis, & ex obliquo auferre omnem iurisdictionem Ecclesiasticam. nam iure Canonico statutum est, vt Clerici delinquentes puniantur per iudicem Ecclesiasticum, ex eo quòd publicè interest ne delicta maneant impunita; consequenter ergo posset Princeps stabilire, quòd ratione huius publicæ vtilitatis Clerici per laicos iudices punirentur, quod absurdum nemo doctus negabit. Non ergo sufficit, quòd adsit publica vtilitas, vt Clerici legibus sæcularibus circa eorum personas subiaceant; nisi in legislatore adsit imperiũ, & iurisdictio, vt benè disputans tenuit in terminis Genuẽsis *in praxi Archiep. cap.* 74. & mandare vt arma ab eis auferantur, præsupponit iurisdictionem in mandante respectu personarum, quæ, vt constat, exemptæ sunt à tali Principis statuto, & mandato.

Aliud enim est quando statutum 10
publicam vtilitatem respiciens non dirigitur in personas Clericorum, sed in eorum bona, & non est per ius Canonicum quidquam circa talem vtilitatem definitum, tunc enim probabile est, quòd Clerici comprehendantur, non ex vi legis, seu statuti, sed ex vi rationis naturalis, & iustitiæ, ad tradita per Petrum Surdum *conſ.* 301. *vol.* 3. vt in exemplis congestis per eundem Salzedo *in d. pract. d. cap.* 55. §. *ex quibus*

nonnulla.

nonnulla. Parlador. *quotid. differ. different. 9. §. 4. num. 7. & seqq.* Gutierr. *lib. 4. practicar. qq quæst. 38.* Mexia *d. conclus. 5. num. 69. 71.* & alij. Sed contrarium est verius, & probabilius, ex his quæ in specie respondet, & considerat ipse Genuensis *d. cap. 74.* & ex dicendis infrà *quæst. 102. num. 3. & seq.*

11 Et ita reuertendo circa arma, quæ laici adimunt à Clericis, existimo, hoc non esse legitimum, & magis de facto, quàm de iure procedere; plurimę enim sunt leges laicorũ in variis mundi Regnis, super Clericis, & eorum bonis disponentes, de quarum valore, & iurisdictione forsan poterit dubitari, cùm attenta ipsarum lectura magis à Principe Ecclesiastico, quàm à sæculari factas esse censeatur.

12 Saluari tamen potest factum laicorum arma prohibita Clericis adimentium, non vi legum sæcularium, ex prædictis: nec iuris Canonici, cùm ipsi non sint ministri, & iudices Ecclesiæ, sed ex eo quòd Clerici sunt reperti in flagranti delicto, & ita possunt arma ab eis auferri, in quibus consistit delictum, & eo modo intelligo leges Regias, dummodo ea intentione auferantur, vt intra 24 horas præsententur iudici Ecclesiastico, vt super priuatione armorum, & aliarum pœnarum iuris Canonici delictum arbitrio suo commensurando puniat.

13 Et circa prædictas pœnas, & cognitionem earum, Couarr. & cæteri relati existimant adeundum esse iudicem Ecclesiasticum; non autem circa priuationem armorum, circa quam etiam adeundum, sub correctione meliùs sentientis iudico. & affirmo, præcipuè cùm in aliquibus casibus, vel ob defensionem, & inimicitias capitales, vel in castris, vel ex aliis causis contingat licitam esse hanc armorum in Clericis delationem, & ad illam suorum iudicũm licentiam obtinuisse: vnde multo meliùs hæc cognitio, seu priuatio non sæcularem, sed Ecclesiasticum iudicem pertingit, & ita censent Marta *tract. de iurisdict. part. 4 cent. 1. casu 7. per totum*, & speciatim *num. 20.* Vgolinus *tract. de potest. Episcopi, cap. 13. §. 12. num. 3.* quos refert, & sequitur Campanil. *diuersor. iur. Can. rub 4. num. 19.*

Ex quorum dictis probabile videtur prædictos laicos, arma Clericis auferentes in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & *cap. si quis suadente Diabolo, 14. q. 4.* faciliter incurrere, quod ego intelligerem, seclusa prædicta consuetudine, item alio modo, nisi ea intentione adimant, vt postea iudici competenti arma præfata manifestent, quòd si secus faciant, conueniri possunt coram iudice Ecclesiastico per Clericum spoliatum, vt arma sublata restituantur, ex his, quæ aduertit idem Aufrer. *d. tit. de potest. Eccles. super laic. n. 16. §. vigesimotertio*, licèt contrà sentiat Gutierr. *d. q. 38. num. 7.* cum Mexia ab ipso relato. 14

Consuetudo tamen introducta spoliandi Clericos armis, à Pontificibus cognita, & permissa, excusabit sæculares ministros, vt censuris supradictis non subiiciantur, etiamsi talia arma iudici Ecclesiastico non manifestent, prout consuetudine teneatur, ex dicendis *quæst. 15. in fine*, & firmat Iacobus de Grassis *decis. aur. lib. 4. cap. 18. num. 158.* 15

QVÆSTIO XII.

Contra mulierem lenocinium exercentem.

SVMMARIVM.

1 *Lenocinium est mixti fori.*

2 *Inimicitia capitalis ex testimonio, aut depositione resultat.*

3 *Vt testes concordent, omnis interpretatio facienda.*

4 *Lenocinium dicitur probatum si mulier semel quæstus causa illud exerceat, retinendo & inducendo mulierem, & hominem ad copulam, & accommodando illis domum ad actum, & hic effectum habuerit.*

5 *Amicus inimici capitalis non dicitur talis, & ideò licèt ei diminuatur de fide, non in totum repellitur.*

6 *In his quæ tunc difficilis probationis, prout adulterium, lenocinium, & alia, testes singulares iunctis adminiculis plenè probant.*

7 *Sine adminiculis testes singulares probant lenocinium, & adulterium.*

8 *Pœna lenocinij est arbitraria, & quæ sit recepta in praxi, traditur.*

9 *Circumstantiæ lenocinium aggrauantes quæ sint.*

10 *Resolutio casus describitur prout fuit practicatus.*

1 QVÆDAM mulier de lenocinio accusata fuit, ex eo quòd mulieres coniugatas cœlibes, & alias in domo retinebat, seu receptabat, & etiam masculos, vt inuicem coirent, quæstus & lucri causa. Lis coram me fuit agitata tanquam iudice Ecclesiastico: huiusmodi enim delicta, vtpote mixti fori, ex relatis infrà *num.* 8. per tales iudices pluries puniuntur, & dubitaui, an lenocinium legitimè probatum extitisset, & eo casu, qua pœna plectendum veniret.

2 Circa primum videbatur quòd non, quia testes arguebantur inimici capitales, ex eo quòd mulier testis fuisset contra ipsos in causa criminali, ex quo resultabat inimicitia capitalis ex parte eorum, contra quos testimonium prolatum fuit, vt per textum *in cap. cùm P. de accusat.* iunctis aliis, docuit & limitauit Farinac. *in prax. crimin. tom.* 1. *quæst.* 49. *num.* 76. & 77. vnde hi testes, qui contra mulierem deposuerunt, aduersùs quos ipsa primò deposuit in causa criminali, capitales inimici reputabantur per ipsam, & per consequens repellendi Ex parte autem delicti obiiciebatur quòd semotis prædictis testibus remanebant alij, qui obiecti non erant, ex quorum dictis lenocinium sufficienter apparebat, vnus enim deponebat quòd mulier vocauit ipsum intra domum suam, & quadam pecunia importunè ab ipso extorta, ad coitum incitauit cum quadam fœmina intra domum retenta, & violenter intra cubiculum eos clausit, & clausos habuit per aliquod tempus, & quòd mulieris causa plures deflorabantur, & cognoscebantur fœminæ turpiter per viros. Idem deponebat alia mulier testis, addens quòd ab inquisita precibus, & suasionibus inducta cum quodam masculo coiuit intra domum mulieris pretio per ipsam ab homine recepto, & quòd clausit ostium vt coitus fieret, prout factus fuit, ex quibus duobus testibus sine aliis postea dicendis sufficienter lenocinium arguebatur.

Ad quod præsuppono quòd prædicti duo testes concordant. nam etsi vir 3
fœminam non declaret, nec etiam fœmina virum: tamen vt testes non dicantur singulares, omnis interpretatio facienda est, vt cum pluribus rescripsit idem Farinac. *tom.* 2. *quæst.* 66. *num.* 322. & ita credendum est, & interpretandum quòd hi testes masculus, & fœmina fuerunt illi, qui per mulierem inquisitam ad turpitudinem coacti in eius domo sese cognouerunt, & ita deponunt de vno & eodem facto, & sunt concordes, & contestes.

Vnde

4 Vnde succedit conclusio in materia lenocinij quòd dicatur probatum si mulier semel causa quæstus illud exerceat, retinendo & inducendo mulierem, & hominem ad copulam, aut accommodando illis domum ad actum, & hic effectum habuerit, vt per gloss. *in l. palam, §. non est ignoscendum, in verb. prostituunt, ff. de ritu nuptiar.* docuit Farinac. *prax. crimin. tom. 5. de delictis carnis, quæst. 144. §. lenones, num. 38. & 39. & num. 35. & §. domum accommodans,* vbi diuersimodè ampliat *num. 47.* dummodo effectu subsequuto, & *n. 49.* etiam accommodans amicis sine pretio, & *num. 51.* etiamsi accommodans sit masculus, seu fœmina. addo bonum text. *in l mariti, ff. ad l. Iul. de adult. §. plectitur*; & licèt *ibi* loquatur de marito, tamen idem sentit textus, de quocumque, & casus parificat, vt in principio *§. plectitur.* Præterea deponebat prædicta mulier testis, quòd plures personæ fœminæ, & masculi fuerunt per inquisitam receptæ, & copulati in effectu, prout ipsa, & quòd hoc viso noluit ampliùs ad domum mulieris accedere; & alius testis idem deponebat, nempe quòd homines, & mulieres introducebat, vt commiscerētur, & quòd stetit per vnam mensem cum rea, & ne illa videret, discessit. Et alter quòd inquisita homines & mulieres defendebat, seu occultabat in domo, fornicationis causa, & vidit quòd quendam Franciscum, & mulierem incerti, seu taciti nominis occultauit in domo, & clausit in cubiculo, vbi lectulum habebat, & discessit illos clausos relinquendo, & postea veniens, & aperiens exierunt, & quòd prædicta rea de hac arte gloriari audiuit. Alius aiebat, quòd vidit mulierem ingredi domum inquisitæ velata facie, & quòd postea dictus Franciscus introiuit, & insuper de magna nota, & scādalo. Ex quibus iā probatio delicti superabundare videbatur, cùm ex prædictis testibus copulæ effectuatę apparerét, causa, seu medio prædictæ mulieris, accōmodando domum suā prædictis masculis, & fœminis, quæ amicæ eius sunt, præsupponendæ, & præsumendæ, & ita etiam quòd in his de pretio non constet intrat lenocinium, ex Farinacio *vbi supr. num. 49.*

Vlteriùs alij tres testes, præter illos, 5
aduersùs quos mulier testificauit, non in totum sunt repellendi. nam etsi probentur amici illorum, animus tamen inimici mei capitalis, etsi sit intimus, nō dicitur etiam inimicus capitalis, ideò non in totum repellitur, sed ei de fide minuitur. idem Farinac. *d. tom. 2. q. 53. num. 46.* Alter autem tertius testis, etsi confiteatur se esse mulieris inimicum, non tamen constat, nec addit capitalem, vnde etiam aliquam fidem facit, idem Farinac. *d. quæst. 53. num. 54* & hi tres testes dicunt de muliere quòd introducebat homines: & alia, & vnus eorum deponit, prout dictum est, quòd vidit quendam Franciscum, & mulierem claudere in cubiculo, vbi mulieris iacebat lectulus, & aliquam fidem facit.

Amplius etsi testes prædicti non 6
fuissent contestes, sed singulares, stetisset probatum lenocinium. nam in his quæ sunt difficilis probationis, prout adulterium, lenocinium, & alia, Farinac. *d. praxi tom. 3 quæst. 86. num. 35* testes singulares iūctis adminiculis bene probant in criminalibus, etiam quoad pœnam ordinariam, ex pluribus, quos congerit idem Farinac. *d. 2. tom. quæst. 64. num. 302.* licèt ipse *num. 303* dissentiat quoad pœnam ordinariam.

Et adhuc soli testes singulares sine 7
adminiculis probant adulterium, seu lenocinium in genere, quando non de certo actu probando agitur, sed de lenocinio in communi, vt hîc, & hoc

etiam in criminalibus, Hippol. Rimin. & Bertazolius, relati per eundem Farinac *d.tom.2.& quæst.64. num.*230. & est communis opinio, ex pluribus congestis ab eodem Farinacio *d.praxi.tom.*5. *quæst.*136. *cap.*2. *num.*29. & ita illi duo testes, qui suprà remanent concordati, siue sumantur vt contestes, siue vt singulares, vtroque casu delictum remanet probatum, quia cùm vnus deponat de vno actu, & alter de alio, concordant in radice delicti, nempe lenocinij, quod probari contenditur. Baiardus *ad Clarum*, §. *adulterium, num.*33.

8 Circa pœnam autem huius delicti illam esse arbitrariam de iure Canonico, & ciuili multis congestis firmauit idem Farinac.*d.tom.*5.*de delictis carnis, quæst.*143.§ *pœna lenocinij, num.*4. Menoch.*de arbitrariis, quæst.lib.*2.*cas.*534. *num.* 45. Sed magis recepta illa pœna est tam in iudicibus sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, vt mulieres & masculi de hoc delicto conuicti cum mitra deambulent per vias publicas, vulgò *encorar a la verguença*, ex Claro *in pract.* §. *final.quæst.*69.*num.*24.*vers.lenones.* Scripsit cum aliis idem Farinac. *d.* §. *pœna lenocinij, n* 7. licèt ipsi cùm mitra ponãt fustigationem; & circa pœnam huius delicti notandum est dictum Anton. Gomezij *in l.*80.*Tauri, num.*71. ibi, Si verò hoc delictum committatur contra aliam mulierem non coniugatam, nec honestam: tunc imponeretur pœna arbitraria, modò sequatur, & consummetur delictum, modò non argumento prædictorum iurium, &c. & *num.*73. contendit ipse Gomezius pœnam mortis imponendam esse lenonibus, quando contra mulierem coniugatam & honestam pretio accepto, & effectu subsequuto, & ita innuit quòd contra mulierem non coniugatam, nec honestam, minor pœna possit imponi, etiam effectu non subsequuto, nempe pœna mitræ, & diffamationis publicæ, seu fustigationis, ex Claro, & cæteris per Farinacium relatis.

Vnde in nostro casu, etiamsi de effectu non constaret, securè poterat imponi prædicta pœna, quæ aggrauanda erat ex circumstantiis occurrentibus, & ita violenta persuasio, prout hîc, & inclusio terribilis in cubiculo, & pro congruo tempore, & pro pretio, & accommodando domum, & in pluribus mulieribus, & vxoratis (nam ideò nomina occultantur) iuncto magno scandalo, de quo deponunt omnes testes, hæc omnia aggrauantia lenocinium, Tuschus *in eodem verbo, conclus.* 290. *n.*8. *&* 9. fortiter vrgebant, vt pœna mitræ, & diffamationis imponeretur. 9

Sed mitiùs agendo existimaui, vt pœna mitræ non apponeretur, sed tantùm diffamationis cum aliqua pecuniaria, pro consuetudine in parua quantitate; quando autem delictum non sufficienter probatur, vel obiectantur testes, sed non in totum, iam aliquoties eo casu pœnam exilij sum memor apposuisse; secus verò cùm delictum lenocinij substantialiter apparet, tunc namque pœna corporalis imponenda est magis, aut minus dura, prout ex circumstantiis constiterit, & in huiusmodi delicto semper hoc obseruandum duxi. 10

QVÆSTIO XIII.

Contra cariùs ob dilationem pretij vendentes.

SVMMARIVM.

1 *Delictum vsurarium est mixti fori, & per iudices Ecclesiasticos punitur.*

2 *Ad*

2 *Ad probationem huius delicti articulandum est in specie, quòd ob dilatam solutionem res cariùs vendita fuit.*

3 *Proponitur dubium in contrarium, & quòd vsura indiciis, & præsumptionibus probatur.*

4 *Vsura ex sola dilationis præsumptione non probatur ex forma ipsius in foro exteriori, in interiori autem intentio mala peccatum operabitur.*

5 *Præsumptio dilationis pretij tanquam vnica non est sufficiens ad probandum vsurarum delictum, quod certis & constantibus argumentis est probandum.*

6 *Ponitur resolutio casus & praxis.*

7 *An in hoc casu reus etiam ab vsuris liberatus sit in expensis condemnandus, & affirmatiuè tenetur, contra Ioan. Gutierr.*

1 HOc delictum etiam per iudices Ecclesiasticos punitur inter laicos, cùm sit mixti fori, vt ex Couarr. & Nauarro, notauit Paz *in praxi 2. tom. 2. prælud. num. 25. & 26.* Farinac. latè *tom. 1. praxis crimin. q. 8. num. 134. & seqq.* & aliquando cognoui de talibus causis, & sequutus sum sententiam, & praxim Gutierr. *lib. 1. canonic. quæst. c. 39. num.* 14. & Cenedi *in collectanea ad Decretales*, ad text. *in cap. nauiganti, de vsur. num.* 3. vbi in foro exteriori, vt laici de hoc crimine conuincantur, illud in specie articulari, & probari deberi existimant.

2 Nempe quòd ob dilatam solutionem res cariùs vendita fuit, & ita temporis dilatio fuit pretio æstimata, & vsura commissa, aliàs enim nisi de hoc requisito constet, non debet contractus ex ipsius forma (hoc est, ex eo quòd res cariùs sit vendita, vltra latitudinem iusti pretij) per iudicem in foro externo iniustus declarari.

Verùm dubium vrgebat contra præfatam praxim, nempe quòd ipsa dilatio solutionis, iuncto eo quòd venditor cariùs vendidit, sit sufficiens vsuræ demonstratio & præsumptio, præcipuè cùm hoc delictum valde occultari soleat per venditores delinquentes ne probari possit. Gutierr. *d. cap.* 39. *& num.* 14. & quòd vsura indiciis, & præsumptionibus probatur, Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cas. 235. num. 29. & de præsumption. lib. 3. præsumpt. 22. per totum.* 3

Sed respondetur hoc in casu vsuram ex prædicta præsumptione iure non probari, cùm ex forma ipsius non sit contractus vsurarius iudicandus, ex decisione textus *in d. cap. in ciuitate, de vsur.* Gutierr. *d. cap.* 14. & Cenedo *super d. cap. nauiganti. num.* 5. & hoc in foro exteriori: in interiori autem intentio deprauata peccati labe non carebit. 4

Præterea prædicta præsumptio esset vnica, quæ non sufficit, Menoch. *d. præsumpt. 122. num. 7.* & non est concludēs, nam ex dilatione solutionis, & carioris pretij, inde vsura concludenter non arguitur, cùm potuit propter alium finē, seu dubium id iustificari, ex *d. cap. nauiganti*, vel quia pretium erat id quod communiter currebat, & ita licèt vsura præsumptionibus, & indiciis arguatur, hoc de certis, & concludentibus accipiendum necesse est, non de incertis, & infirmis. 5

Vnde in similibus causis, cùm essem iudex, declaraui vsuram non adesse, ex eo quòd constitit pretium illud esse commune, vel quòd pro illo pretio in pecunia numerata pactum fuit factum, & postea suasionibus apposita dilatio, vel quòd dubium inerat in valore rei ad tempus dilationis, atque ideò forma tantùm contractus nullam suspicionem induxit contra reum, quæ conclu- 6

denter ipsum damnaret, sed tantùm ipsa forma ansam dedit inquirendi, cuius causa illum absoluimus, & in expensis condemnauimus, propter prædictam ansam, qua fiscalis fuit ingressus, vt pluries obseruatur, & tradit Ceuall. *contr. comm. quæst. 539. num. 14. & seqq.*

7 Nam licèt Gutierr. *d. cap. 39. num. 14.* reum dicat esse ab expensis liberandum, cùm pretium creditum iustum esse, & commune quod in promptu currebat, in sui defensionem probauerit, hæc tamen defensio post accusationem Fiscalis per reũ facta eius ingressum vitiare non debet, præcipuè si super pretio in summaria testes Fiscalis affirment illud creditum esse præter rigorosum, & supremum, quod *de contado*, vt dicitur, transibat, qui testes iuncta forma cõtractus aliquod mali odoris indicium, seu suspicionẽ, imò probationẽ generabat, quę Fiscalem legitimè propulsauit, & ita, licèt postea reus melioribus, seu pluribus numero testibus, suam exceptionem comprobauerit, negari tamen non debet, quin Fiscalis nedum sine malitia, verùm cum causa accasionem proposuerit, & ita propter eam expensarum condemnatio fieri debet, prout aliquando feci.

QVÆSTIO XIV.

Non vulgaris.

An licitum sit Clericis, & Religiosis Ecclesiæ immunitatem, manibus, & pugnis defendere.

SVMMARIVM.

1 *Ratione, & auctoritate probatur hanc defensionem non esse licitam.*

2 *Qui se iudicem facit, vbi non est, delictum committit.*

3 *Ponitur praxis circa immunitatis processum.*

4 *Sententia immunitatis est exequibilis.*

5 *Auctoritate reprobatur contra dictam defensionem.*

6 *Defensio naturalis est, & pro ipsa ad iudicem non est recurrendum in discrimine vitæ, seu bonorum, & factum de facto debet euitari, & vim vi repellere licet.*

7 *Ecclesia in Clericis repræsentatur, & iniuria Ecclesiæ illos tangit, & è conuerso.*

8 *Plures sunt casus, in quibus immunitatis cessat priuilegium.*

9 *In his casibus debet adesse iudicis Ecclesiastici declaratio.*

10 *Refutatur praxis in contrarium recepta.*

11 *Distinguitur vt prima sententia de consilio procedat, & declaratur auctoritas D. Thomæ.*

12 *De rigore secunda sententia accipiatur.*

13 *Statutum est Regium vt laici iura, & priuilegia Ecclesiastica non infringant.*

14 *Ponitur praxis quam possunt Clerici, & Ecclesiastici obseruare.*

15 *Etiam cùm damno sæcularium licitum est Ecclesiasticis Ecclesiam defendere.*

16 *Adhibetur forma, cum qua defensio Ecclesiæ per Clericos, seu Religiosos est assumenda.*

QVòd non sit licitum, ratione & auctoritate probatur. Ratione, nam Clerici non sunt iudices Ecclesiæ, ita vt, an illi præiudicium fiat, valeant iudicare, cùm hoc ad Episcopos 1

Episcopos,& Archiepiscopos, & cæteros Ordinarios,& Vicarios eorum tanquam ad Ecclesiæ capita pertineat, qui gladio excommunicationis extenso, & Ecclesiæ armis vtentes, ea in rebelles, & eius priuilegia contemnentes euaginant.

2 Et ita qui se iudicem facit vbi non est, delictum committit vsurpatæ alienæ iurisdictionis. Azeued. *in l.1. num.1. tit.6. lib.3 recopil.* cum relatis,& potiùs videtur quòd puniri debent Clerici, si se ad Ecclesiam defendendam introducant.

3 Et hinc recepta est praxis, quòd quoties ministri, & iudices sæculares Ecclesiam violant, extrahendo confugientes ad eam, quòd ad iudicem Ecclesiasticum recurratur, qui cognito summariè quòd delinquens à loco sacro fuit extractus, sub censuris precipit iudici sæculari, vt ipsum restituat, aut compareat ad dicendum quare id fieri non debeat, quo præcepto iudex sæcularis si non restituit, comparet, allegando suæ intentionis fundamenta, & copia datur extracto recepto priùs à iudice sæculari iuramento, quod in causa innouauit,& postea substantiatur processus,& ex eo iudex Ecclesiasticus, aut Ecclesiæ immunitatem seruari præcipit, aut non debere declarat.

4 Et sententia in fauorem immunitatis lata, etiamsi appellatio sit interposita, aut interponenda, exequutioni mandatur, cùm spolium Ecclesiæ sit ante omnia restituendum, ex *cap. literas, de restitut. spoliat.* & *ibi* scribentes, & ita practicatur: vnde si defensio immunitatis Ecclesiasticum iudicem de iure,& de facto expectat, apud quem arma Ecclesiæ reposita inueniuntur, quibus tueatur, Clericos & Parochos in ipsius Ecclesiæ defensionem manus & vires apponere non debere legitimè consequitur.

Auctoritate videtur etiam probari, ex illa sententia Beati Thomæ Episcopi Cantuariensis. nam cùm Regis satellites ipsius vitam & animam perdere voluissent,& ad Ecclesiam, in qua venerabilis Episcopus diuinas laudes decantabat, accessissent, ipse semotis iis Ecclesiæ aditus præcludere conantibus ostium aperuit, illis vsus verbis ad suos, Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum, & ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo, &c. ergo Clerici Ecclesiæ immunitatem violenlenter defendere non debent, cùm more castrorum, hoc est, cum violentia, & armis ex eodem Thoma, non sit defendenda: auctoritate etiam probatur Couarr. & aliorum, quos refert *lib.2. var. cap.20. in fine*, vbi tenet, non licere Clericis armis immunitatem Ecclesiæ defendere, & quòd ad euitanda scandala sic cautum fuit per edictum Regium. 5

6 Ex alia parte videtur, quòd Clerici iustè manibus, & pugnis Ecclesiam, & eius priuilegia tueri possint. nam licèt ipsi non sint iudices, nec excommunicationis armis vti queant in Ecclesiæ defensione: interim tamen negari non potest, quin vti ministri Ecclesiæ de facto, & sine figura iudicij ipsam possint pro viribus defendere, si enim defensio naturalis est, & pro ipsa non est ad iudicem spectandum in discrimine bonorum,& vitæ, text. *in l.1. C. vnde vi.* cum multis Farinac. *in praxi tom.5. tit. de homicidio, quæst.135. num.168. & num.226.* loquens in Clericis, per text. *in cap. suscepimus, ad finem, de homicidio.* Quare ergo Clericis Ecclesiam eorum Dominam, & Matrem defendere non licebit, quando ipsius bona iura, & immunitatem auferri de facto vident? factum autem sine iure factum, de facto debet defensionis causa emendari, vt per quascumque causas res nascitur,

nascitur, per easdem dissoluatur, & sic dicitur quòd vim vi repellere licet.

7 Nec dicatur hoc præcedere in propria defensione, non verò in aliena, & quòd Ecclesiæ damnum Clericorum non est proprium. nam Ecclesia in Clericis repræsentatur, per quos loquitur, regitur & gubernatur, cuius Sacramenta & thesauros ipsi expendunt, & à quibus alimenta percipiunt, & ideò Clerici tanquam Ecclesiæ principale membrum ex iniuria eidem facta iniuriantur, vt cum aliis scriptum reliquit Farinac. *in prax. crimin. tom.3. quæst. 105. num.291.* sentit Genuensis *in practicab. Eccles. quæst.281. num.1. vers.hæc defensio,* vbi quòd priùs Clerici, & postea quilibet de populo potest Ecclesiam defendere, & pro ea agere, *cap.si quis, & ibi glossa, verb. personis, de rebus Eccles.* & è conuerso etiam Ecclesia de iniuria Clerico facta iniuriatur. idem Farinac. *d. num. 291. in fine.* idem Genuensis *in eadem practicab. quæst.567. num.7.* vnde non mirum si pro defensione Ecclesiæ Clerici manibus, & pugnis vti possint.

8 Nec etiam dicatur, quòd sunt plures casus, in quibus immunitas non intrat, & hoc notoriè *cap. inter alia, de immunit. Ecclesiar.* Bulla Gregorij XIV. relata per Leonē *in tract. fori Eccles. p.1. cap.13. num.16.* Couarr. & Gomez *in locis communibus*, vt per Paz *in praxi, 5.p.1.tom.cap.3 § 3.* quibus plures addi possunt relati per Cenedum *collectan. ad Decretal. super eod. cap.* inter alia *num.4*, quos ideò, vt semper, non repeto; & tunc cùm iudex sæcularis possit reum extrahere sine licentia Episcopi, ex his quos congerit Paz *vbi suprà num.* 2. illum Clerici defendere non valebunt.

9 Nam respondetur, quòd hæc notorietas declaratione iudicis Ecclesiastici debet comitari, recepta informatione casus, & eius notorietatis, & subsequuta declaratione, quòd immunitas non intrat tunc recta via, & iure, potest confugiens ad Ecclesiam, per ministros, & appaitores sæculares extrahi, aliàs notorium, & magis iuris, vt præsens sine probatione, & iudicis declaratione nihil releuet. Farinac. *de delictis & pœnis, quæst.21. num.88. & pluribus seqq.* vbi tota materia notorij iuribus, & auctoribus congesta inuenitur.

Et licèt contrarium praxi receptum testetur cum Couarr. Paz *vbi suprà num. 2.* hæc tamen praxis veritatem contrariam non infirmat. nam extrahi ex eo quòd immunitates non deposcunt, & quia non profuturam existimant, hanc praxim introduxerunt: si autem illam deposcerent, ad Ecclesiam restituerentur quousque declaratio notorij sequeretur, & ita omissio eorum Ecclesiæ priuilegia frangere, & in eius damnum praxim introducere non debet, quæ omnino iniusta apparet, ex Bulla Gregor. XIV. vbi decreuit laicos extrahere non posse confugientes ad Ecclesiam, etiam in casibus, in quibus ipse Pontifex immunitate non gaudere, declarauit sine licentia Episcopi, & in casu quo ipsam denegaret 10

Vnde sub correctione existimarem, distinguendo quòd prima sententia procedat de consilio, honestate, & pietate, & ita consultum sit Clericis euitare rixas cum laicis, remittendo ipsarum definitionem ad iudicem Ecclesiasticum, vt sub censuris immunitatem defendat, & declaret, & quia honestum non est Clericos manus apponere violentas, imò pium non se violenter defendere, sed priùs pro Ecclesia, si opus fuerit, mortem subire, & in his terminis intelligatur Couarr. contrarium sentiens, cum relatis per eum, etsi in 11

armorum

armorum defensione loquatur, quod diuersũ esse ab hac quæstione, colligitur ex eo quòd satis est, inquit, quòd iudex Ecclesiasticus sub censuris immunitatem tueatur, & ita innuit meliùs esse hoc medium eligere quod fortiùs eligendum, stante statuto, & edicto Regio, licèt illud magis ad Episcopos, & Ordinarios Ecclesiasticos pertineret. In eisdem etiam terminis accipiendum est exemplum D. Thomæ, vt scilicet pietatis sit exemplum, non rigoris. nam ideò pro Ecclesia sanguinem effundere non dubitauit, quasi diceret, pium est quòd non armis, sed sanguine Ecclesia tueatur.

12 De rigore verò, & iure stricto secunda sententia procedat. nam licèt meliùs faciant Clerici, si se cum laicis non ingerant, ne detur occasio scandali, & quòd laici etiam cum eis pugnare manibus tentent, possunt tamen, si velint, Ecclesiæ immunitatem de facto tueri, ex rationibus suprà relatis, & quia vim vi repellere licet; quare ergo si laici iniusto, & irreuerentiali animo scandalum causantes Ecclesiam iniuria afficere non verentur, Clericis hoc est scandalum adiudicandum, qui talem iniuriam prouocati animi dolore non patiuntur?

13 Et si contra Clericos statutum Regium est ne id faciant, etiam aliud Regium est contra laicos, vt iura & priuilegia Ecclesiastica non infringant, *l. 2. & 4. tit. 2. lib. 1. recopil.* aut quomodo quis videns sua bona per publicum latronem auferri, ipsorum defensionem ad iudicem referre, æquo animo poterit tolerare, quando iure eadem defensio permittitur? præcipuè si testes non habeat ad bonorum furtum probandum, ita etiam mirum non est si aliquãdo Clerici Ecclesiã de facto defendant, præcipuè si postea testes non adsint, quibus violatio immunitatis appareat.

Sed ne hæc defensio modum, & prudentiæ terminos excedat, priùs per Clericos confugiens cautè occultandus est intra Ecclesiam, vt inquisitus inueniri nequeat: si autem sit captus, sermonibus, & piis precibus sæculares sunt exhortandi, vt sacrilegij peccatum non committant, & quòd iniuriam Ecclesiæ non imponant, postea in casu contumaciæ absque scandalo, si fieri possit, aliqua cautela, seu manibus confugiens est liberandus à sæcularibus, absque eorum damno; nisi hoc ad iudicem per Clericos remittatur, quod licèt sit securius: prædicta tamen defensio ex prædictis, & conditionibus præhabitis permittenda videtur, præcipuè, vt dixi, cùm violatio fortè improbabilis postea existat, & Ecclesia suis priuilegiis fraudata remaneat, veluti si vnus Clericus adsit in Ecclesia eo tempore quo apparitor sæcularis confugientem extrahere contendebat, quo casu cùm non possit de extractione plenè constare per depositionem vnius, tunc poterit aliqua vi sine damno apparitoris is Clericus extrahendum liberare, & eo casu cùm aliter damno Ecclesiæ prouideri nequeat legitimè, talis defensio exerceri valet, ex his quæ congerit idem Farinac. *in sua praxi d. tit. de homicidio, quæst. 125. num. 158. per textum in l. 1. C. vnde vi*, cum aliis multis, etsi manifestum esset extractionem esse iniustam, & periculum in mora, vt in exemplo proposito, teste eodem Farinac. *de immunit. cap. 2. num. 47.* 14

Dixi *sine damno apparitoris*, & secularium, & adhuc cum illo prædicta defensio licita videtur, ex text. eleganti *in cap. dilecto, de sententia excommunicat. in 6.* vbi Pontifex præcipit, vt pro defensione rerum & bonorum cuiusdam Decani aduersùs inuasorem nedum gladio spiritali excommunicationis, sed temporali armorum vtatur, & *ibi* 15

E notat

notat Innocent.*num.* 1. *in verb. Decano,* & Franch. Ioan. Andr. & alij, Farinac. *d. tit. de homicid. num.* 228. qui textus satis vrget, & pro hac parte concludit, notat Genuensis *in practicab. Eccles.*
16 *quæst.* 545. *vers. subdit tamen.* † Sed cum moderamine hæc defensio applicanda est, cum conditionibus, & qualitatibus prædictis, cùm iniuriæ Ecclesiæ sufficienter per censuras iudicis succurratur, aut poterunt Clerici & Religiosi Ecclesiæ portas ministris claudere sæcularibus, & illis violentiam attentantibus, violenter ipsam defendere. nam solùm tenentur ipsi portas Ecclesiæ, ipsius iudicibus, non autem aliis aperire, vt aliquando consului, & restat hæc quæstio nouiter explicata.

QVÆSTIO XV.

Non vulgaris.

An licitum sit Episcopis, seu eorum Vicariis generalibus, aliquid accipere pro expediendis dispensationibus à Rom. Cur. emanatis, vulgò derechos tassados, *absque excommunicationis, seu simoniæ incursu.*

SVMMARIVM.

1 *Refertur tenor dispensationum matrimonialium.*
2 *Dispensationis emptio, seu venditio simonia est.*
3 *Dispensatio est actus annexus sacramento Matrimonij, vel Ordinis, seu beneficio.*
4 *Dictio* si *aliquid etiam minimum comprehendit.*
5 *Referuntur aliæ declarationes.*
6 *Iura solita recipi in dispensationibus, non sunt munera gratiosa, sed debita.*
7 *Simoniæ labes in minimis non cadit.*
8 *Aliter est si adest pactum, aut praua intentio.*
9 *Pro labore expeditionis illa iura recipere non est simonia, & referuntur exempla, & quod securius procedit, stante consuetudine.*
10 *Refertur praxis circa hoc.*
Cessante ratione legis, cessat ipsa lex, ibid.
Sine peccato non intrat simonia, ibid.
11 *Dictio* si *aliquid minimum comprehendit, secundùm subiectam materiam.*
12 *Dictio* quicquam, *& dictio* prorsus, *etiam similiter secundùm subiectam materiam intelliguntur.*
13 *Declarantur verba quædam sacræ Congregationis.*
14 *Verba præfata vtcumque sumantur, non sunt recepta.*
15 *Optima legum interpres obseruantia, ibid. & alia multa de illa, & eius potentia.*
16 *Consuetudo aliquando excusat.*

NEGATIVA sententia, nempe quòd non liceat, probatur ex ipsarum dispensationum tenore, ibi, *Per Apostolica scripta mandamus quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris, aut præmij, etiam sponte oblati, à qua te omnino abstinere debere monemur,* &c. & *ibi* in calce, *Volumus autem quòd si spreta monitione nostra huiusmodi aliquid muneris, aut præmij occasione dictæ dispẽsationis exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris,* 1

ris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras, &c. quod eo fine statuitur, ne aliquo munere recepto simoniæ vitium committatur, vendita dispensatione quæ gratiam continet Dei, Petro, & eius successoribus concessam, dicente Domino, *Quodcumque ligaueris in terra, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

2 Et ita dispensationis emptio, seu venditio tanquam rei spiritualis efficit simoniam, iuxta eius definitionem. Hostiens. *in summa, num.* 1. *& summa Angelica in verb. simonia, n.* 1. Sylu. *ibi n.* 1. & cæteri Summistæ *toto tit. de simonia.*

3 Præterea dispensatio matrimonialis impedimenti, est actus antecedens ad sacramentum Matrimonij, vel ad sacramentum Ordinis, si est ad Ordines, vel ad beneficia, si ad ea dispensatur, & dependet à iurisdictione spirituali, quam Papa super mundum exercet, & ita ex omni parte illam vendere, seu emere pacto, & pretio pecuniæ simonia est, aut quia est res spiritualis, aut spiritualibus annexa, ex eadem definitione, vnde officialem iura prædicta pro dispensationis exequutione, & ipsius occasione recipientem præter excommunicationis sententiam simoniæ vitium etiam incurrere videtur.

4 Et quoad excommunicationem vrget illa dictio, *si aliquid etiam minimum comprehendens*, vt cum multis notauit Cenedo *in suis singularibus, singul.* 5. *num.* 1.

5 Vrget etiam, & videtur concludere quædam sacræ Congreg. declaratio relata per Cerolam *in prax. Episcopali* 2. *part. verb. dispensatio.* ibi, Primò, an pro dispensatione sit aliquid soluendum Episcopo, siue eius Vicario, vel Notario? Respondetur ex sacr. Congreg. *declarat* 519. in meis in hæc verba. Decretum illud quod solet poni in literis dispensationum, vt nihil muneris, aut sponte oblati accipi possit pro illarum exequutione, ita intelligendum esse, vt neque Ordinarius ipse, nec Vicarius quicquam prorsus pro mercede laboris, quem in ea re susceperit, capere possint, & ita intelligendum esse illud quod dicitur in dispensationibus: Notarij verò pro examine testium quartam partem aurei, seu ducati accipere possunt, & pro literis absolutionum, & dispensationum in foro conscientiæ tantùm, nihil à quocumque accipi possunt, quemadmodum Romæ obseruatur, quod idem censuit declaratio 520. in meis, refert etiam Leo *in suo Thesaur. for. Eccles. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 49. vbi quòd sic declarauit Congreg. & Gregor. Papa XIII. vt ait decisio super Concil. Trid. *in cap.* 5. *sess.* 22. §. *cognoscatur.* Gratian. *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 57. *num.* 20. Nicol. Garcia *de benefic.* 8. *part. c.* 1 *à num.* 102. vbi refert declarationes supradictas, & *num.* 103. est vna quæ ait, non obstante consuetudine immemorabili in contrarium, & *num.* 105. ponit verba dispensationum suprà *num.* 1. relata, & *n.* 109. ait quòd illud verbum *muneris* excludit donatiuum, & illud *præmij* excludit stipendium, & *num.* 110. ait quòd non excusantur iudices consuetudine etiam immemorabili, tum quia est corruptela, tum quia est interrupta per dictum decretum, quod vult gratis fieri dispensationes, & *num.* 113. ait conuinci sententia contraria Thomæ Sanchez, & aliorum, *de matrim. lib.* 8. *disput.* 35. *à n.* 9. & *num.* 114. refert pro hac sententia Cerolam, & Leonem *vbi suprà*, Genuensem, & Sbrocium *in suis locis.*

Affirmatiua sententia, nempe quòd sit licitum, ex ea fulcitur ratione, quia illa iura, quæ pro expeditione dispensationum officiali, seu Vicario præstantur: sunt iura debita, non gratiosa, & 6

sic non munera, nec præmia, vti aduertit Ioan. Gutierr. hanc partem tenens *tract. de matrim. cap.* 128. *num.* 2. vnde cessat difficultas, quia prohibitio loquitur de muneribus gratiosis, non de debitis. Insuper cessat simoniæ periculum excluso munere. Rursus illa iura, etiam supposito quòd essent gratiosa, & gratuita, sunt in parua quantitate plus, aut minus pro consuetudine regionis, & audientiæ Ecclesiasticæ taxa, seu tabula iurium prestandorum, vulgò *Arancel de derechos*, quæ iura antiquitus dari sunt solita absque vllo pacto pro labore, seu occupatione expeditionis.

7 Simoniæ autem labes in paruo munere, sine pacto recepto, & cum recta intentione, minimè in vtroque foro contrahitur, textus expressus *in cap. etsi quæstiones*, ibi, *quantitas muneris, de simonia.* notant Hostiensis *d. summa, tit. de simonia*, §. *qualiter committitur, n.* 1. *vers. sed munus.* Syluest. *in summa, dict. verb simonia, num.* 16. *vers. vnde in paruis muneribus.* Summa Angelica *in eod. verb. simonia* 5. *num.* 2. Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *cas.* 517. *num.* 17.

8 Ex quibus alter est, quando pactum præcessit etiam in sex solidis. *cap. ex tua, eod. tit.* vel cum praua intentione, quod ad Deum pertinet: vnde cõstat ex iuriũ prædictorumr eceptione, simoniã considerari non posse. Vlteriùs † illa iura
9 recipere pro labore, & occupatione expeditionis, non pro ipsa dispensatione, non est simonia. Exemplum in consecranda Ecclesia, & labore consecrationis, cuius respectu licitum est aliquid accipere. idem in visitatione, Hostiens. *d. loco num.* 2. Summ. Angel. *eod. loco simonia* 2. *num.* 17. vbi iura refert. Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *de Reformat.* & in terminis Vicariorum docuit Nauarr. *in manual. cap.* 23. *de simonia, num.* 101. §. *ibi.* Addo quòd etiam pro pretio, & causa principali immediata potest dare quis aliquod temporale pro obligatione exercendi munus Vicarij Episcopi, vel Parochi, vel Capellani, vel Concionatoris vnum annum, mensem, aut hebdomadam, secundùm Innoc. recept. *in cap. quoniam, ne prælat. voces suas*, &c. ead. summa Angel. *simonia* 2. *num.* 19. quod clariùs procedit stante consuetudine laudabili soluendi ex pòst facto prædicta iura, à qua initium taxa fortassis sumpsit, *cap. ad Apostolicam, de simonia.* gloss. *verb. pro exequiis, in cap. suam, eod. tit.* & *ibi* in vtroque loco Panorm. & cæteri scrib. Sum. Angel. *d. simonia* 2. *num.* 21. & *verb. consuetudo, num.* 12. Hostiens. *d. summa, & tit. de simonia*, §. *qualiter committatur, num.* 6. Syluester *in summa eod. verb. num.* 8. Nauarr. *d. cap.* 23. *num.* 105. § *ad secundum*, ex quibus aliud est, si per pactum aliquid soluatur, etiam cum consuetudine, ex text. *in cap. cùm in Ecclesiis, de simonia*, & *ibi* gloss. *verb. consuetudo.*

Quod ita praxi canonicatum extat, 10
quasi non sit talis hæc receptio ex eo quòd debita, & parua, vt accipientis animum allicere, vel peruertere soleat, præcipuè attenta personarum accipiẽtium qualitate, & donationis, seu receptionis tempore; recipiuntur enim talia iura post examinatam, & expeditam dispensationem absque pacto præhabito, quæ omnia ex medulla textus *in d. cap.* etsi quæstiones pro exclusione simoniæ manifestè concludunt, ex quo venit quòd si excommunicatio in dictis dispensationibus lata eò tendat, vt simoniæ vitium obuiet, & excludat, conuenienter erit inferendum illam rectè non includi, cùm hæc lexitimè excludatur; testante enim ratione legis, cessat ipsa lex, & cessante causa, effectus consequenter cessare vulgò dicitur, alioquin exclusa simonia, & peccato

cato mortali excommunicationem ligare ineptè diceremus, cùm sine illo nunquam operetur, nec effectum sortiatur in foro conscientiæ, *cap. nemo, & cap. nullus* 11. *quæst*.3. *cap. Romana*, §. *caueant, de sentent. excommunicat. in* 6. Couarr. *in cap. alma mater*, 1. *part*. §. 9. *num*. 1. *de sentent. excommunic. & in reg. peccatum*. 2. *part*. §. 5. *num*. 3. *de reg. iur. in* 6. Campanil. *diuersor. iur. canonic. rub*. 11. *cap*. 15. *num*. 2. *&* 76. Sà *in suis Aphorism. verb. excommunicatio, num*. 8. & alij plures, & ita Thomas Sanchez *d. lib*. 8. *& disput*. 55. *à num*. 9. apertè cum aliis sentit, & tenet iura prædicta non includi in prohibitione, & mente Pontificis, nec fini dictarum dispensationum aduersantur, qui est simonia, & sic minimè in dicta prohibitione continentur, & procedit hæc ratio securè in foro conscientiæ, in quo, vt dixi, peccatum, & simonia requiritur ad incursum excommunicationis dictarum dispensationum. nam in eodem foro veritas præualet verbis, & sequuntur hanc partem Thomas, & alij plures cum eo, Gutierr. *vbi suprà num*. 6. & Salas *de legibus, disp*. 20. *sect*. 10. *n*. 99. dicens quòd Commissarij dispensationum possunt accipere stipendium, non obstante clausula.

11 Ex prædictis respondetur ad fundamenta contraria, nam licèt finis excommunicationis sit simonia: hæc tamen non intrat in iuribus prædictis, quia non sunt de gratiosis, sed debitis, nisi præter ea aliquid considerabile pacto habito recipiatur, & ita illa dictio *si aliquid*, in dispensationibus contenta, licèt aliàs minimum comprehendat, hoc tamen in casu, intelligenda necessariò est, iuxta subiectam materiam, ita vt si quid considerabile non paruum, & gratiosum recipiatur ex pacto, tunc excommunicatio liget, ex eo quòd adest materia simoniæ, ad eam incurrendam apta, tradit eleganter ex sententia Card. Zabarellæ *in Clement*. 1. *q*. 9 *de foro compet*. Tiraq. *in l. si vnquam, verb. omnia*, vel partem aliquam, *n*. 21. *C. de reuoc. donat*. vt dictio *aliquam*, de quocumque minimo intelligatur, dummodo sit aptum illud minimum, ad effectum, de quo quæritur, & quòd ex subiecta materia, aut addat, aut ampliat, ex Franc. Aretin. per eundem Tiraq relato, refert cum Crauett. *consf*. 756. *n*. 7. *ver*. 4. *dico*. Menoch. *consil*. 291. *num*. 51. *&* 52. Cenedo *d. singul*. 5. *num*. 3. cum pluribus relatis; si enim prædictum aliquid in iuribus præfatis & debitis sumeretur, non esset aptum illud minimum ad effectum simoniæ, de qua est timor in literis dispensationum, & ita intelligendum venit iuxta subiectam materiam.

Maior versatur difficultas in declaratione Sacr. Congreg. per Zerolam, & Leonem relata, & Gregor Pap. XIII. quæ valde vrgens est, nisi dicamus quòd illę duæ dictiones *quicquam*, quæ idé est ac *aliquid*, Tiraq. *in d. l. si vnquã, in eod. verb*. & dictio *prorsus*, quæ idem est ac *omnino*, Tiraquell. *in d. l. verb. reuertatur, num*. 87. similiter iuxta subiectam materiam accipiatur. De dictione *aliquid*, & *quicquam* iam dixi, de dictione *omnino*, & *prorsus*, expressè idem Tiraquell. *eod. verb. reuertatur, num*. 81. ex *cap*. 1. *in fine*, & *ibi* glossa *de dispensat. impub*. & aliis, & in eodem *verb. num*. 37. vbi generaliùs verba impropriam significationem assumere ex subiecta materia pluribus ostendit, alioquin ferendum & credendum non est, Sacr. Congregationem declarasse simoniam quæ iure non probatur, & peccatum quod tale non constat, & quòd absque illo excommunicationis nodus prædictos Episcopos, & Vicarios ex paruis iuribus non gratiosis, sed debitis innodaret. 12

E 3 Vltc

13 Vlteriùs illa verba dictæ declarationis, *etiam pro mercede laboris*, non sunt ad iurium prædictorum pro stipendio laboris signatorum exclusionem ponderanda, quia dicta declaratio tractat de muneribus, & præmiis, vt in principio constat, & postea addit quòd hæc munera, & præmia etiam pro mercede laboris non recipiantur, veluti in consuetudine, quam reprobat Gutierr. *dict. cap. num.* 4. non verò ponderanda sunt dicta declarationis verba contra mercedem iurium prædictorum, quia illa non sunt munera, nec præmia, de quibus tantùm loquitur declaratio, & tenet Gutierr. *d. cap.* 128. *num.* 2.

14 Vtcumque sit, etiamsi in dictis pluribus procedere credatur declaratio (quod non debet) receptam non vidimus, imò praxis, & obseruantia contrarium explicatum tenet, nempe quòd prohibitio illa recipiendi quicquam muneris, aut præmij in dictis dispensationibus cōtenta, nō intelligatur de iuribus taxatis, ex rationibus prędictis, sed de aliis receptionibus, præter iura prædicta, in quibus loquitur idem Gutierr. *d. c.* 128. *n.* 4. negans receptionē etiam de consuetudine, etsi enim obseruantiæ potestas ea est, vt sacrum Concil. Trident. receptum in aliquibus non faciat, vt videmus in his partibus, imò & in aliis, omnino non receptum reddit, nil mirum si eadem obseruantiæ potestate prædicta sacr. Congreg. super eodem Concilio declaratio non recipiatur, & eadem dispensationum prohibitio declaretur.

15 Cùm vltima sit legum interpres obseruantia, & cuiuscumque dispositionis Seraphin. *decis.* 1410. *num.* 3. *& decis.* 507. *num.* 2. Gratian. *disceptat. forens. tom.* 2. *cap.* 377. *num.* 20. *& cap.* 572. *num,* 30. *tom.* 3. *&* 544 *num.* 31. & in omni materia dubia tam facti, quàm iuris interpretatio ab obseruanaia desumi debet. idem Seraphin. *d. decis.* 1410. *n.* 16. *& n.* 26. quòd obseruantia longa nō solùm inseruire potest pro interpretatione, sed pro prçscriptione, ex Puteo *dec.* 15. *lib.* 3. & quç inducuntur de iure cōmuni positiuo, faciliùs tolli possunt per obseruantiam. Lancellot. *de attentat. appell. pend. cap.* 12. *limit.* 49. *num.* 2. Menoch. *consil.* 466. *num.* 35. *lib.* 5. quos refert, & sequitur idem Gratian *d. tom.* 2. *cap.* 383. *num.* 20. *&* 3. *tom. cap.* 546. *num.* 48. ex Ruino *cons.* 12. *num.* 3. *lib.* 5. Bec. *cons.* 101. *num.* 47. etiam affirmat obseruantiam iuri communi conformem debere præualere, ex quibus concluditur quòd ex prædictis hæc obseruantia iusta est, cùm peccati & simoniæ labe careat, & ex hoc nedum dubium rerum præcisum est illam admittere, cùm in prohibitione dispensationum, & Sacr. Congreg. declaratione non censeatur comprehensa, quia loquuntur de gratiosis muneribus, & præmiis, non autem de iuribus debitis taxatis pro stipendio laboris, & quia non aduersantur fini & menti Pontificis, vt ait Sanchez, & ponderaui *supra n.* 10. & in casu dubio prædictam prohibitionem, & declarationem declarat, & præualere debet, cùm sit iuri communi conformis, & tollat ea, quæ positiuum ius stabilitum habet, præcipuè si sit obseruantia longa, prout hæc talis apparebit, in vnaquaque Audientia Ecclesiastica, tunc enim nedum interpretatur, verùm præscribit, ex Seraphino, & Puteo relatis.

Et consuetudo in aliquo casu excusat à pœna supradicta excommunicationis, Aufrer. *de potestat. secul. in Eccles. regul.* 3. *fallent* 12. Ceuall. *com. contr. com. quæst.* 619. *num.* 5. loquentes in consuetudine torquendi Clericos per laicos, cuius vi laici exequutores, & mandantes excusantur, & liberantur à pœna, & incursu excommunicationis, vt 16

in

in cap. vniuersitatis, de sentent. excommunic. & non obstante prædicta excommunicatione, sic in Gallia, & Romana Curia vsitatum, refert Salcedo *in pract. criminal. cap. 125. §. torqueri per laicum,* & ego credo quòd vniuersaliter practicatur, & sic cõsuetudo excommunicationem aliquando excludit, vt in nostro casu sub correctione sanctæ matris Ecclesiæ illam excludere censemus saltim in foro conscientiæ, in quo relata pro opinione affirmatiua securè ponderantur, & hæc sit vna generalis responsio ad omnia in contrarium allegata, & ad dictas declarationes, quæ in foro exteriori fortiùs vrgent.

QVÆSTIO XVI.

Non vulgaris.

De visitatoribus; an præter procurationes consuetas aliquid valeant recipere, ad interpretationem textus in cap. exigit, de censibus, in 6. & *Concil. Trident.* sess. 24. cap. 3. de reformat.

SVMMARIVM.

1 *Procurationes de iure antiquo non in pecunia, sed in victualibus soluebantur.*

2 *Ex Concil. Tridentino in arbitrio visitandorum est positus modus solutionis.*

3 *Quid si præter pecuniam, vel victualia visitator accipiat, & si pecuniam recipit, reus est.*

4 *Vera & noua traditur declaratio ad* d. cap. exigit.

5 *Alia etiam declaratio describitur ad eundem textum.*

6 *Quid si non pecunia, sed esculentum, aut poculentum vltra consuetum recipiatur, quod si sit modicum, nihil interest.*

Visitator recipere medicinam non potest, ibid.

7 *Ponitur sententia Authoris, & quid de iure communi, & particulari, tam in procurationibus visitatoris, quàm equorum vecturis.*

8 *An visitator præter procurationem, possit à laicis accipere.*

9 *Consuetudo in procurationibus an debeat habere requisita quæ de iure communi in ea requiruntur, & proponitur affirmatiua sententia.*

10 *Negatiua defenditur, & tenetur.*

Quando summariè proceditur, non curatur de apicibus iuris, ibid.

In consuetudinibus iuri conformibus sufficit aliquo, etsi breui tempore, sic esse obseruatum absque aliis requisitis.

11 *Ponitur alia declaratio Concilij Trid.* & d. cap. exigit.

Ex iure antiquo *in cap. 1. §. penult. de censibus, in 6.* procurationes non in pecunia, sed in victualibus tantùm permittebantur, quam constitutionem confirmauit, & pœnis muniuit, textus *in d. cap exigit.* & similiter omne munus prohibuit suspensionis, & dupli pœna. 1

Postmodum autem Concil. Trid. *d. loco*, in optione visitandorum reliquit, vel soluere pecunia taxata id quod erat antea consuetum, vel victualia subministrare, nisi consuetudo sit, vt neutrum offeratur, quæ erit obseruanda. 2

Vnde ponamus quòd præter pecuniam taxatam, vel victualia, visitator aliud accipiat, vtrùm suspensionem textus 3

textus

textus *in d. cap.exigit*, & etiam dupli pœnam incurrat in praxi, poterit dubitari? Et quidem, si pecunia recipiatur præter consuetam, & taxatam, in dubium est suspensionem, & dupli pœnas intrare, cùm hoc sit munus, & de pecunia expressè loquuntur iura *in d. cap.1.§.penult. & cap.exigit,de censibus, in 6.* Syluest. *in summa verb. suspensio, num. vigesimo primo.* Leo *Thesaur. fori Eccles.part.3. cap.8. num.61.* Piasecius *in praxi Episcop.part.2. cap.3. num.14.* Riccius *in praxi fori, tit.praxis visitat. decis.612.num.1.* Gratian. *disceptat.forens.tom.1.cap.57. num.16.& 17.* Nauarr.*cons.1. de censibus*, refert Barbos. *remission. ad Concil.in d.cap. Concil.fol. 102.num.8.& seq.*Cerol.*in pract. Episc. 1.p.verb.visitatio,§.ad sextum.*

4 Verùm hoc intelligendum est in terminis *d.cap.exigit*, nempe de recipientibus ab Ecclesiis,ibi, *Duplum eius quod receperint Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur*,&c.& ibi, *Nouerint se suspensos,quousque de duplo huiusmodi, grauatis Ecclesiis*,&c. ex quo infero quòd si non ab Ecclesiis munus recipiatur,pœna suspensionis, aut dupli non ligabit.

5 Rursus, etiamsi ab Ecclesiis intelligendum est non de paruissima quantitate, sed de considerabili, quæ vt officium visitationis non impendatur,efficiat,vt *in textu*,ibi, *sibi visitationis officio non impenso*, &c. nam textus loquitur de peccato mortali in principio, ibi,*audacia*, id est, contra ius,ex interpretatione Archidiaconi *in d. cap. exigit.*& ibi,*delinquentibus*,& ibi, *temeritas.* quod peccatum etiam requiritur ad suspensionem saltim de facto, & practica, vt cum aliis adnotauit P. Auila *de censuris,3.part.disp.3. dub.3. §.secunda conclusio.* imò adhuc de iure, ex text.*in cap.1.de sent.excommun.in 6.* & *ibi* glossa *verb. obseruari*, vbi quemadmodum ad excommunicationem causa requiritur, nempe contumacia, aut inobedientia,& sic peccatum mortale, vt dixi suprà proxima quæstione, sic etiam in suspensione eandem causam requiri præcipit textus *in d. c. 1.* & docet Syluest. *d.summa, & verb.suspensio,num.4. vers. excepta autem.* Leo *d.Thesauro,& cap.8.num.60.* Nauarr.*in manuali, cap.27. num.156. vers.sexta.* licèt ipse *num.151. & 159.* & alij relati per P.Auilam *d.loco*, teneant posse etiã pro peccato veniali suspensionem imponi; sed attentis suspensionibus congestis ab eodem Syluestro *d.verb. suspensio,num.6.* Couarr.*in Clement. si furiosus,de homicid.§.2.num.6.& 7.*Auila *d.3.part.disput.5.per tot.* Leo *d.cap.8. à num. 25. & seqq.* pro graui causa, & malitia esse semper impositas colligitur.

Si autem non pecunia, sed esculentum, aut poculentum à visitatoribus vltrà procurationem recipiatur, glossa *verb.munera,in d.cap.exigit*, tenet modicum esculentum, aut poculentum, licitè accipiendum, quia non sit verisimile,quòd aliquem moueat,argumento textus *in cap.etsi quæstiones,de simonia*,& dixi *suprà quæst.15.num.7.* idem existimat Cerola *in pract.verb.visitatio, 1.part. §.ad sextum, vers. primum dubium*,cum Franc.Innoc. Ioan. Andr. & Hostiens. *in d.cap. exigit*, & hæc sententia Cerolæ procedit in esculentis, quæ consumuntur in mense, licèt non necessariò, & ita visitatorem recipere medicinam non posse, refert Barbos. *d.loco num.9.* sentiunt cum Cerol.Riccius *d. decis. 612. num.9.* & Gratian. *d. cap.57. num.19.* & referunt Gemin. *in cap.1.§.procurationes,num.7.de censibus, in 6.* sentit etiam Piasecius *in dict. prax. part. 2. cap. 3. num. 14. §. non epulæ.* 6

Ego

7 Ego sic hanc rem comprehendo, quòd si esculenta præter procurationem recipiantur ab Ecclesiis visitatis, & sint non parua, ita vt officium visitationis non impendi faciant quòd tūc ex mente textus *in d. cap. exigit*, & ex decreto Concil. loquente de victualibus necessarijs, pœna suspensionis, & dupli sicut in pecunia recepta locum habeat. Si verò esculenta, aut non ab Ecclesiis visitatis, aut ab eisdem in parua minucia recipiantur, quòd tunc prædicta pœna non rectè contra visitatorem perpendatur, quod de iure communi procedit: secus autem, si constitutio synodalis in loco receptionem Clericis prohibeat, prout in Diœcesi Toletana statutum nouiter est, tunc enim seruanda erit instructio, & facultas visitationis tam circa munera, quàm circa iura visitatoris, & Notarij, & itidem consuetudines laudabiles sunt seruandæ præstandi tam victualia à laicis, quàm equorum vecturam; quemadmodum enim consuetudines nihil præstandi seruandas præcepit Concilium, sic etiam è conuerso dicendum erit, nam vtroque casu pro consuetudine seruanda colligitur ex eod. Concil. & in Diœcesibus seruari præcipiuntur consuetudines dandi vecturam, vt in Toletana, in qua olim ego visitationem exercens pro Sereniss. Infante Card. practicatum vidi, imò adhuc cæteræ consuetudines laicorum præstandi victualia etiam obseruaui, & similiter ad obseruantiam proceditur contra eos.

8 Verùm autem visitator à laicis præter procurationem consuetam aliquid recipere possit. Dico, quòd visitatio Ecclesiastica dirigitur principaliter in Ecclesiam, & Ecclesiasticos; in laicos verò non passim, sed incidenter in aliquibus administrationibus patronatibus, & causis mixti fori ad Ecclesiam pertinentibus: vnde prohibitio recipiendi munera in visitatione ad illos non debet extendi, nisi quatenus generaliter munerum receptio in iudicibus prohibetur, de qua prohibitione ampliando, & limitando disseruit, plura cumulans Farinac. *in prax. criminal. tom. 3 quæst. 111. art. 10 per tot.* aliter dicendum esset si facultas visitationis receptionem munerum, nedum in Ecclesiis, vt *in d. cap. exigit*, & in Ecclesiasticis, vt in Diœcesi Toletana, verùm etiam in laicis, omnimodo vetuisset, tunc enim à visitatoribus illud esset necessariò obseruandum.

Consuetudo autem, cuius meminit Concilium *d. cap. 3.* quomodo intelligenda, & accipienda sit, dubitari potest, videtur enim quòd ad eā omnes qualitates requirantur, quas congerit glossa finalis *in cap. final. de consuetudine*, & *ibi* communiter scribentes, nempe temporis diuturnitas, quòd consuetudo sciente Principe, & iudicio contradictorio sit obtenta, & etiam sit rationabilis, vt cum aliis scripsimus *tract. de præcedentiis Ecclesiast. cap. 18. num.*.. 9

Verùm contrarium est dicendum. nam visitatores accedentes ad Ecclesias summariè, & attenta tantùm veritate super consuetudine se informant, aut verbo, vel scripto, & sicut inueniunt obseruari, sic faciunt: quando autem proceditur summariè, & attenta solùm veritate, non curatur de apicibus iuris. Matta *tract. de clausulis, clausul. 156.* Vlteriùs hæ consuetudines non sunt contra ius, imò conformes iuri, siquidem obseruari præcipiuntur à Concilio Trid. & à lege *in d. cap. exigit*; quare in ipsis obseruandis sufficit per aliquos actus, & aliquo tempore vtcumque breui, aliquando ita obseruatum fuisse absque aliqua temporis diuturnitate, & aliis requisitis, vt cùm Rota docuit Marescot. *variar. resolut. lib. 2. cap. 100.* 10

cap. 100. *num.* 23. vbi plures congeruntur.

11 Et sic accipiendum est Concilium, & *d.cap.exigit*, in illo verbo, id quod erat antea consuetum, id est, per aliquos actus, seu per aliquod tempus vtcumque breue obseruatum, & sic ego fecisse memor sum dum vsitarem easdem Ecclesias, & censeo regulariter ab omnibus fieri, licèt non omnes fundamenta iuris, quibus dubia dissoluuntur, percipiant.

QVÆSTIO XVII.

Duo testes, vnus de visu, & alter de auditu, & confessione extraiudiciali, an probent sponsalia.

SVMMARIVM.

1 *Vnus testis de visu, & alius de confessione extraiudiciali plenè probant.*

2 *Confessio extraiudicialis probata duobus testibus semiplenè probat absente parte, & præsente plenè probat.*

3 *Fallit de æquitate Canonica secundùm vnam opinionem, licèt aliud secundùm aliam doceatur.*

4 *Retinetur prima opinio, & comprobatur.*

5 *Adhibito adminiculo securè procedit.*

6 *Declaratio extraiudicialis non vitiat iudicialem.*

Dicta testium non sunt cauillanda, sed coadiuuanda, ibid.

7 *Crimen oppositum contra testem debet specificè probari.*

8 *In causa matrimoniali pro matrimonio non requiruntur testes omni exceptione maiores, secus contra matrimonium.*

9 *In dubio pro matrimonio iudicandum est.*

IVDICAVI pro sponsalibus, & matrimonio de futuro, ex vnico teste, qui de mutua promissione expressè, & de visu deponebat, imò & amplius, *l.* 1. *ff. de sponsal.* P Sanchez *de matrimon. lib.* 1. *disput.* 5. *num.* 1. Gutierr. *de matrimon. cap.* 5. *n.* 1. & ex alio teste, qui de confessione extraiudiciali mulieri circa eandem promissionem mutuam absente parte, & verosimiliter testabatur, ex quibus duobus testibus simul iunctis plena sponsaliũ probatio resultabat in causa matrimoniali, quia vnus alteri adminiculatur, docet in terminis Mascard. *de probation. tom.* 2. *conclus.* 1033. *num.* 11. cum aliis relatis Maceraten. *var. resol. lib.* 2. *resol.* 7. *num.* 1. Surdus *decis.* 12. Gutierr. *de iuram. confirm. cap.* 54. *n.* 2. & hi alios referunt. † nam licèt aliàs confessio extraiudicialis probata duobus testibus semiplenè probet absente parte, & præsente probet plenè, idem Surd. *d. decis.* 12. Gutierr. *d. cap.* 54. vbi docent cum pluribus, testem de visu, & duo de confessione extraiudiciali absente parte coniungi ad faciendam plenam probationem. 1 2

De æquitate tamen canonica confessio extraiudicialis tantum probat absente parte, quàm præsente, cùm præsentia ex veritate & mente, quæ respicitur illo iure, suppleatur ex eodem, iuxta communem, vt per Ceuall. *in suis commun. quæst.* 17. licèt Gutierr. *d. c.* 54. contrarium teneat. 3

Sed prima opinio melior est, quam probãt multi relati per Gratian. *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 44. *num.* 59. Genuensis *in practicab. Eccles. quæst.* 768. & ita si 4

præsentia

præsentia suppletur in præsenti, & de confessione adest vnus testis, semiplenè probabit. nam si duo adessent, plenè concluderent. Gratian. *in eod. loco, ibi.* quia quòd per duos testes probatur seplenè, per vnum semiplenè, vnde hæc miplena probatio, & altera de teste de visu, faciunt plenam probationem, ex prædictis DD.

5 Quæ conclusio adhibito adminiculo securè procedit, idem Mascard. *d conclus.* 1033. *num.* 25. nam mulier hîc cum viro confrontata ita intrepidè negare, & eum non cognoscere iurauit, & affirmauit, vt meum animum contra ipsius dictum inclinauerit, & postea frater eius pro ipsa fœmina examinatus aliquã declarauit, quæ ipsa firmiter tacuit, & ita frater, & fœmina non concordabant in dictis.

6 Pars autem fœminæ repulsas dedit contra testes præfatos, & quòd primus extraiudicialiter vocatus à viro, vt quod sciebat coram aliquibus declararet, respondit eum dicere quod ipse vir assereret in specie. ex quo nihil certum poterat inferri nam præterquam quòd illa declaratio fuit extraiudicialis, & sine iuramento, & ita vitiare non debet iudicialem, ad tradita per Farinac. *de testibus quæst.* 66. *num.* 193. & iuratam, cùm sit alterius classis, potest intelligi sic quòd testes, & vir eandem rem sciebant, & ita voluit testis illud asserere quod vir asserebat, & ex dicto testis constabat hoc sic esse, quia quòd ipse poterat declarare, & declarauit, hoc idem vir præsens sciebat, & dicta testium sunt adiuuanda, non cauillanda. Farinac. cum pluribus *tract. de testibus, quæst.* 65. *num.* 74. & non concludit argumentum suspicionis, quod fallax potest inueniri. quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. *l. neque natales, ff. de probat.* alia nota eiusdem testis, nempe quia concubina erat viri, & in actu venereo cum eo visa, non bene probabatur per vnicum testem, tam quia vnicus, quàm quia inimicus viri, à quo percussus fuit, vt ipsum confessum fuisse testes reprobatorij testabantur. Alter etiam testis de confessione deponens similiter non concludenter notabatur. nam licèt sit puella ætatis requisitæ, quam dicunt testes reprobatorij mulieris esse fidei vacuam; hoc tamen generale obiectum per virum legitimè excludebatur, cuius testes approbatorij ipsius puellæ vitam, & mores generaliter approbabant.

Illud autem quòd puella fur erat, 7
non concludenter constabat in processu, & crimen oppositum contra testem debet probari, & specificè cum adiectione loci & temporis, vt ex *cap. præsentium, de testibus, in 6* & aliis DD. notauit Farinac. *de testibus, quæst.* 56. *num.* 142. & est textûs *in l.* 2. *tit.* 10. *lib.* 4. *recopil* & *ibi* scribentes illud etiam quòd puella testis ambulabat aliquoties per vias habitu masculino, iudicaui esse magis voluptatis, seu pueritiæ causa, quàm malitiæ, aut impudicitiæ.

Accedebat quòd in causa matrimo- 8
niali pro contrahendo matrimonio non requirũtur testes omni exceptione maiores, sed sufficiunt ordinarij, secus si de separando. Farinac. *d. tract. de testibus, quæst.* 61. *limit.* 6. *n.* 100. *& seqq.* refert pro vtraque parte Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 21. *in annotationibus, num* 24. vbi plures DD possunt inueniri, & adhuc quòd sufficiunt inhabiles fauore matrimonij, tenuit P. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disput.* 41. *num.* 5.

Accedebat etiam quòd in dubio pro 9
matrimonio iudicandum est tanquam pro re fauorabili, *cap. ex literis. de probation. & cap. final. de re iudic.* Abb. *in cap tua nobis. in fine, de dispensat. impub.* vnde ex prædictis existimaui prædi-

ctam causam esse in fauorem matrimonij terminandam.

QVÆSTIO XVIII.

Circa textum in cap. si quis suadente diabolo 17. q. 4. *praxis, & annotatio; & an absolutio Bullæ Cruciatæ ad forum externum extendatur.*

SVMMARIVM.

1 *Refertur praxis procedendi in his causis vsque ad sententiam definitiuam.*
2 *Rursus praxis quæ sit post illam.*
3 *Absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, sitne absolutus etiam pro foro exteriori.*
4 *Ecclesia non iudicat de occultis.*
5 *Absolutio Bullæ tantùm prodest pro foro poli interiori.*
6 *Non est de mente Pontificis iurisdictioni Ordinariorum præiudicare per Bullæ concessionem.*
7 *Respondetur ad quandam declarationem in contrarium.*
8 *Clericus qui cum dicta Bullæ absolutione celebrauit, an irregularis iudicandus? & resoluitur posse de toto rigore, sed etiam aliud posse iudicari de benignitate.*
9 *Illud verbum* satisfacta parte *in Bulla Cruciata contentum, quomodo intelligendum.*
10 *Iniuria facta Clerico dicitur facta toto Ordini Cleri.*
11 *Clericus offensus est prima pars quæ debet satisfieri, & sufficit.*
Sub nomine satisfactionis iniuriæ satisfactio continetur, ibid.
Forma & praxis obseruanda in absolutionibus virtute Bullæ Cruciatæ.
12 *Ignorantia probabilis excusat.*
Probatur iuramento illã allegantis, ibi.
In Clerico ordinariæ scientiæ distinctiones extraordinarias postulare non debemus, ibid.
Ignorantia quando dicatur probabilis arbitrarium est, ibid.
13 *Dispositio textus* in d. cap. si quis suadente, *ad omnes Clericos extenditur.*
Clericus qui habitum, & tonsuram non portat, cùm offenditur, an faciat incurrere, & quid de alguacello virgam non portante, ibid.
Præsumptiones quando sint violentæ arbitrarium est, & ex illis minoranda pœna est, ibid.

MVLTOTIES in Ecclesiasticis iudiciis fulminantur causæ circa sacrilegia, & violentas manuum in Clericos iniectiones, virtute textus *in cap. si quis suadente diabolo* 17. *quæst.* 4. Fiscales enim conqueruntur criminaliter de sacrilegis, & postulant declarari incursos censuris contentis *in eod. cap.* & insuper pœnis iuris condemnari, & causa fulminata, & discussa, constito, de sacrilegio, & violentia, declaratur ad petitionem Fiscalis, aut partis querelantis, si ad eius instantiam causa sit agitata, reum nempe incursum stare, & censuris latis *in d. cap. innolutum,* & vlteriùs arbitrio iudicis pœna exilij temporalis, aut pecuniaria, adiicitur contra reum, & in expensis condemnatur, quæ praxis procedit quando sacrilegi statim capturãtur, & super sacrilegio volunt audiri, possunt enim legitimas exceptiones habere, in his enim processibus si captura subsequitur, refertur declaratoria excommunicationis ad sententiam definitiuam; quando verò rei commisso 1

commiſſo ſacrilegio fugiunt, ſeu latét, & capturari non poſſunt, tunc ſtatim conſtito per ſummariam de ſacrilegio, poterunt declarari tanquam Clerici notorij percuſſores, & hæc praxis prodeſſe valet, tam ad effectum cenſurarum, quàm vt rei ſe in carceribus præſentent, & ſic practicaui, & vidi practicari, itaque reis capturatis, vel præſentatis ſententia pronunciatur, vt dixi.

2 Poſtea autem niſi appellatio ſubſequatur, reus coram iudice petit abſolutionem, & viſo an percuſſio ſit grauis, aut leuis arbitrio eius, abſoluit de leui percuſſione parito priùs iudicato, ex text. *in cap. peruenit, de ſentent. excommunic. & Extrauag. Perlectis*, relata per Nauarr. *in manual. cap. 27. num. 76.* & latè per Gutierr. *canon. quæſt. lib. 1. c. 5. à num. 11 vſque ad 19.* cum Couarr. & Syluestro, & aliis Hoſtienſ. *in ſumm. lib. 5. tit. de ſent. excomm. §. ſed & dicunt.* Sententia autem interloquutoria ſuper abſolutione ſic ego in practica dictabã, *Que ſe declara el ſacrilegio por leue, y como tal ſe le de abſolucion pagando la condenacion, y coſtas, y ſi huuiere deſtierro, o otra penitencia ſe ha de decir, y ſobre el deſtierro, o penitencia ſe le encarga la conſciencia para que le cumpla dentro del termino que le eſta mandado, o luego que pueda*; è conuerſo verò ſi percuſſio fuerit grauis, & enormis, interloquendum eſt, *Que ſe declara el ſacrilegio por graue y enorme, y como tal acuda por abſolucion ante ſu ſed dentro de tal termino, o ante ſu Nuncio Apoſtolico con facultad de legado* de latere, ex text. *in c. quòd tranſlationem, de ſentent. excomm.* Iacob. de Graffis *in deciſ. aur. conſc. 1. p. lib. 2. cap. 49. num. 58.*

3 Dubium tamen ſe mihi obtulit aliquando in quadam ſacrilegij cauſa offendens, namque abſolutus fuit virtute Bullæ Cruciatæ, cum ſatisfactione, aut beneplacito offenſi, & poſtea Clericus offendens ſine alia abſolutione celebrauit, dubitabatur coram me an irregularitatis nota ſubſequuta fuerit? Cuius dubij reſolutio dependebat ab illa quæſtione, an ſcilicet Bullæ abſolutio ad forum tantùm interius, aut etiam ad exterius extendatur.

Nam primo caſu cùm Eccleſia non 4 iudicet de occultis, remanſit offendens excommunicatus quoad ipſam, & per conſequens iudicabit eum irregularem celebrando, per text. *in cap. 1. verſ. ſciturus, de ſent. & re iud. in 6. & in cap. fin. in fin. & in cap. is cui, de ſentent. excomm. eod. libro.* Nauarr. *in manual. d. cap. 27. num. 244.* Couarr. Salcedo, & alij relati per Riccium *in ſua praxi aurea, reſol. 134. num. 1.* vbi ampliat & limitat.

Secundo autem caſu indubium eſt 5 irregularitaté excludi ſi abſolutio Bullę vtrumque forum comprehendat, ſed certius eſt illam tantùm in foro pœnitentiali procedere ex mente, & contextu Bullæ, & ſubiectam eius materiam, & quia loquitur ad Confeſſarios, vt poſſint abſoluere, vnde præmittere videtur confeſſionem, & ſic forum pœnitentiale conſcientiæ, his, & aliis, ſic tenent moderni Theologi, & Canoniſtæ ſimul cum Couarr. Ioan. Gutierr. Ledeſm Henriq. & aliis, vt per P. Auilam *de cenſur. 2. part. cap. 7. diſput 3. dub. 12. §. ſecunda opinio.* Cerol. *in prax. Epiſc. verb. abſolutio, §. ad ſecundum.* Parlador, *quotid. different. differentia 119. §. 1. num. 7.*

Nunquam enim de mente Pontificis 6 fuit iuriſdictioni Epiſcoporũ onus, & vilipendium imponere, ſed tantùm animarum ſaluti conſulere, & ſi abſolutio Bullæ ad externum forum ſe extenderet, ſuperfluum eſſet vt Epiſcopi, & eorum Vicarij contra ſacrilegos violentos procederent, & incurſos decla-

rarent, simulque absoluerent, vnde praxis veraciter declarauit prædictam absolutionem in foro externo non habere.

7 Nec obstat declaratio quædam relata à fratre Ioanne de la Cruz Ordinis Prædicatorum *in sua epitome de statu Religionis, lib. 2. cap. 7. §. secunda conclusio.* per quam declarationem Pius V. Pont. Max. concessit quòd prædictæ absolutiones, satisfactione præmissa in foro contentioso suffragentur, quia loquitur ad effectum Iubilæi, & Indulgentiarum consequendum, in quibus terminis, & non in aliis, prædicta declaratio certa est, admitti poterit.

8 Quapropter hac tanquam vera opinione retenta dicendum erit Clericum sic absolutum celebrando irregularitatem contraxisse, vt firmiter tenuit Cerol. *d. § ad secundum*, vbi contrariam opinionem sentit esse erroneam, ex Franc. de Pen. *in director. 2. p. comment. 25. §. breui ergo addendo. fol.* 227. & hanc opinionem veram esse de rigore, tenuit Emmanuel Rodrig. *in explicat. Bullæ*, *in addition. ad § 9. num. 52. vers. verdad es*, quamuis contrarium de æquitate fieri suadeat, & refert idem Auila *vbi suprà*, *§. ex dictis sequitur*, dicens iudicem posse cum benignitate acceptare absolutionem Confessoris, & repellere causam super irregularitate. Idem aduertit Genuensis *in praxi Archiep. cap. 25.* vnde rigore iuris attento existimo veram esse sententiã suprà dictam, nempe absolutionem Bullæ non prodesse pro foro fori, nisi iudex aliud misericors obseruet, sed tantùm pro foro poli.

9 Et adhuc pro eo se offerebat dubitatio nam illud *satisfacta parte*, propriè intelligitur de censuris fulminatis ad instantiam partis pro debitis, vt ex Ludouic. Lop. notauit Cenedo *canon. quæst. q. 32. in fine.* sentit Parlador. *d. differentia* 119. *n.* 5. & ita non pro iniuriis.

Rursus iniuria facta Clerico fit etiã 10
Ordini clericali, & ideò ex hac causa in ipsius Ordinis, & omnium Clericorum fauorem immunitas, textus *in d. cap. si quis suadente diabolo*, lata fuit, vt scripsit Hostiensis *in summ. lib. 5. tit. de sentent. excommun. §. sed & dicunt. 2. col.* ex text expresso *in cap. contingit interdum, de sentent. excommun.* & ita satisfactionem videbatur esse petendam ab omnibus Clericis loci, seu ab Episcopo, qui est caput Ecclesiæ.

Sed nihilominus, licèt illa immunitas 11
generica sit, & satisfactio illa propriè in debitis loquatur: non ideò negandum est, quòd Clericus offensus sit prima pars quæ suam offensam possit renunciare, & Ordo clericalis, seu Episcopi secunda: vnde satisfactio sufficit si à principali parte petatur, & sub nomine satisfactionis etiam iniuriæ satisfactio continetur, ex eod. text. *in d. cap. contingit*, atque ita satisfactio Clerico percusso, seu offenso, poterit Clericus offendens, seu laicus, absolui in foro conscientiæ virtute Bullæ Cruciatæ, admonito per absoluentem offendente, quòd se gerat vti excommunicato, & non celebret, quousque habeat absolutionem externam, sine qua actum externum agere non poterit sine incursu irregularitatis ex iudicio Ecclesiæ.

Nisi aliqua ignorantia probabili ex- 12
cusetur, vt per text. *in cap. Apostolica, de Clerico excomm. minist.* Couarr. Sacced. & aliis, notauit Riccius *d. praxi aurea, & resol. 134. num. 3. §. limita nunc*, ex qua ignorantia iudicaui immunem dictum Clericum, qui cum iuramento declarauit se ignorare aliam absolutionem esse in foro fori petendam, & ignorantia iuramento probatur illam allegantis, ex his quæ congessit Menoch. *de arbitrar. cas. 186. num. 2.* & absolutus similiter id non admonuisse

certiora

certiorauit, & non debemus in Clerico paruæ literaturæ extraordinarias distinctiones exposcere, cùm non requiratur quòd sit multum curiosus in sciẽdo, ex Panormit. *in d. cap. Apostolicæ, in primo notab.* Cerol. *d. prax. Episcop. 1. p. verb. ignorans, vers. sexto, in fine,* & magis vbi sunt opiniones pro & contra, & ignorantia quando dicatur probabilis, iudex arbitratur, Menoch. *d. cas. 186. in fine*; vnde ex prædictis Clericum absolui ab irregularitate contra eum opposita.

13 Alium autem offendentem Clericum in minoribus condemnauimus, nam ad omnes Clericos depositio, textus extenditur in illo absoluto verb. *si quis*, & notant Rebuff. *in repetit. eiusdem canon. num. 7.* Iacob. de Graff. *decis. aur. lib. 2. cap. 47. num. 28.* Pater Auila *de censur. 2. part. cap. 5. disput. 3. dub. 11. §. secunda conclusio*, & licèt hic Clericus non ambularet in habitu, & tonsura tempore rixæ, potuit & debuit offendens esse Clericum aduertere, cùm illam qualitatem aliis vicibus portauerit, vnde eius ignorantia probabilis nõ fuit, & notat idem Auila *d. loco dub. 13. §. quartus casus.* facit simile quod tradit Azeued. *in l. 5. num. 6. & 7. tit. 22. lib. 8. recop.* de eo qui offendit famulũ, vel Alguacellum non portantem virgam iustitiæ, vt non excusetur, si officia iustitiæ administrabat. Offensa autem probabatur in actis aliquibus violentis præsumptionibus, eò magis, quia duo testes offendentem cum ense in manu ab offenso surrexisse, & fugisse deposuerunt, vnde manifestum reddebatur delictum ex sententia Bart. *in l. 3. ff. de furtis*, licèt alij contrà sentiant. Rursus vnus testium addidit cum ense intincto sanguine, & insuper quòd offensus nõ potuit sibiipsi easdem percussiones facere, imò quòd earum expensas offendens soluit, duo testes deposuerunt, ex quibus, & aliis probatum fuisse delictum apparuit, nam arbitrio iudicis relinquitur, quando præsumptiones sint violentæ, & sint sufficienter probatæ, & sufficiant ad condemnandum, vt ex pluribus Farinac. *prax. crim. tom. 5. quæst. 86. num. 91.* Verùm, quia, vt ipse auctor aduertit *d. loco num. 110.* quoties delictum punitur ex præsumptionibus quantumcumque violentis, mitior punitio debet imponi, ideò in hoc casu offendentem incursum in censuris Canonis declarauimus, & ab eis tanquam super graui percussione non absoluimus, sed ad Papam, seu Legatum eius pro absolutione remittimus, nec addimus aliam exilij pœnam, sed vnam pecuniariam pro Fiscali, & in expensis, quòd si probationes clariores fuissent, grauiori mucrone puniendum duxeram.

QVÆSTIO XIX.

Non vulgaris.

An Ecclesiasticæ constitutiones per Ordinarios promulgatæ obligent in foro interiori.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur plures Doctores de hac materia tractantes.*

2 *Ponitur conclusio quædam totam quæstionem, & materiam amplectens.*

3 *Declaratur conclusio in illo verbo* lex, *vt omnis tam Ecclesiastica, quàm sæcularis comprehendatur.*

4 *Declaratur illud verbum* iusta, recepta, promulgata, & non reuocata,

cata, *tanquam hæc omnia requirantur.*

5 *Declaratur illud* circa finem grauem disponens, *ad excludendum finem vilem.*

6 *Declaratur alia clausula, ibi,* de cuius legislatoris intentione, *&c. quasi quòd intentio tacita, vel expressa requiratur.*

7 *Declaratur illa clausula* cum adminiculo scandali, seu contemptus, *vt ex illo peccatum efficiatur.*

8 *Declaratur illa de consuetudine contraria, circa quam dicitur quid obseruetur cum certis modificationibus additis.*

9 *Defraudantes tributa Regia, aut vectigalia, seu piscantes in fluminibus vetitis, seu in pascuis pascentes, ligna & arbores in alienis syluis cadentes, frumentum sine priuilegio vltra taxam vendentes, quomodo sint in conscientia iudicandi.*

10 *Declaratur alia clausula conclusionis*, de iusta causa in contrarium interueniente.

1 LICET Alphonsf. de Castr. plura scripserit circa legis moralis, & pœnalis obligationem, *tract. de lege pœn. lib. 1. cap. 5. 8. 9. & 10.* & plura etiam Nauarr. *in manuali. cap. 23. quæ lex hum. oblig. ad mort. num. 48. & seqq.* Syluest. *in sum. verb. lex, num. 8.* Caiet. *in sum. verb. Clericus. §. verum, & verb. ieiunium, §. quoad quæstum.* Dominic. Soto *de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 4. 5. & 6.* Sum. Angel. *verb. lex, num. 3. & 4.* Couarr. *in reg. peccatum, 2. part. §. 5.* Gutierr. *Canonic. qq. lib. 2. cap. 27. n. 11. & sequentibus.* Ceuall. *com. contr. com. tom. 1. quæst. 71. num. 8.* Cenedo *canonic. qq. q. 17. num. 8.* idem Nauarr. *in cap. fraternitatis 12 q. 2.* Ioan. Parlador. *quotid. different. differ. 12.*

Non tamen ex eorum dictis adhuc facilis infertur explicatio; vnde ego sic breuiter hunc articulum considero, lex quæcumque, & synodalis constitutio iusta, & promulgata, recepta, & non reuocata, circa finem grauem disponens, & de cuius legislatoris intentione apertè, aut tacitè constat voluisse obligare in foro conscientiæ, in ipso obligat, maximè cum adminiculo scandali, seu contemptus, nisi consuetudine, & acceptione contraria fuerit contrarium communiter acceptum, aut nisi aliqua iusta causa interueniat. 2

Declaro hanc conclusionem, dixi *lex quæcumque* generaliter, ad includendum leges sæculares, quæ etiam sicut Canonicæ, & Ecclesiasticæ possunt obligare in foro interno, vel ad mortale, vel ad veniale, ex relatis suprà, maximè à Castro *d. cap. 8.* Sot. *d. art. 4. 4. conclusio.* Syluest. *num. 9.* & Parlador. *in d. loco.* & extenditur hæc declaratio vsque ad leges etiam pœnales, quarum pœnæ culpam ad interius forum pertinentem ex lege morali non extinguit, vt eleganter docuerunt Castro *d. c. 10.* Gutierr. Couarr. *suprà*, nisi de facto, aut acceptione, contrarium sit receptum, vt infrà dicetur *num. 8.* 3

Dixi *iusta, promulgata, recepta, & non reuocata.* hæc enim omnia ad hoc, vt in vtroque foro lex obliget ex prædictis Doctoribus præcisè requiruntur, & est notissimum in iure. 4

Dixi etiam *circa finem grauem disponens.* nam etsi transgressio legis in re parua inducat ad peccatum saltim veniale, Couarr. *vbi suprà,* & cæteri, ex eo tamen quòd legislator legem circa vilem forum promulgasset, in foro interiori obligare non voluisse re ipsa videretur. 5

Addidi, *de cuius legislatoris intentione apertè, aut tacitè constat voluisse* 6

obligare

obligare in foro conscientia. nam legislatoris intentio tacita, seu expressa necessariò requiritur ad inducendam obligationem in prædicto foro; si enim apertum esset in lege quòd in conscientia non ligaret, dubium totaliter cessaret. Syluest. *vbi suprà num 9 vers. Primò.* Sot. *d.art.4. col.9. penes finem,* ponens exemplum in constitutionibus sui Ordinis ad culpam non obligantibus. idem describit de suo Ordine Castro *d.cap.8.col 4.* & è conuerso, si similiter apertum esset in lege Canonica, seu Ecclesiastica, quæ vim habet spiritualem quòd ligaret in foro conscientiæ, omne dubium excluderetur; tacitè verò constabit de obligationis intentione, ex verbis præceptiuis, prohibitiuis, & enixè, aut seuerè mandantibus, aut ex grauissima pœna imposita in odium transgredientium. Castro *d.tract.de pot. l.pen. cap.12. col.4. vers. quia sæpe, & cap.5. §. quidquid in iure Canonico,* vbi aduertit quòd verba *decernimus, statuimus, ordinamus, volumus, sancimus,* quæ communiter apponuntur in constitutionibus synodalibus, non ideò de per se solùm obligationem interiorem designant, nisi pœna grauis pro mortali culpa comes apponatur, veluti excommunicatio maior, Castro *d.§.* Nauarr. relato *cap.23.num.53.* idem sentientes in verbis præceptiuis, & prohibitiuis, propter impossibilitatem adimplendi tot leges, quæ durum redderent iugum Dei, cùm omnia consilia eius sub verbis præceptiuis data sint, confirmat Nauarr. *eod. loco, d. cap.22. num.55. & 59.* vbi docet leges humanas, siue præcipientes, siue pœnales, quatenus sunt tales, in dubio esse probabilius in foro interno non ligare, secluso contemptu, & scandalo; nam ita consuetudo recepit, nullus enim de transgressione vllius legis humanæ absque aliqua circumstantia iniustitiæ se coram Presbytero accusauit, & esset claudere portas cœli, si contrarium affirmaretur, præterquam quòd esset impossibilis obseruatio tot decretis Pontificiis, & Conciliorum, & Episcoporum, & Regum legibus, & constitutionibus.

Insuper dixi, *maximè cum adminiculo scandali, seu contemptus.* nam scandalum, seu legis contemptus mortale vulnus efficiunt, vt ex D. Thoma (quem in specie non refero *suprà,* quia in relatis vt alij continetur) notauit Syluest. *in summ.d. verb.lex, num.8.* Nauarr. *d. num.55.* Caiet. Felinus, & alij *ibidem* relati, Castro *d.tract. & lib.1. & cap.5. §. sextum documentum,* vbi nimium immoratur super explicatione huius dictionis *contemptus,* licèt satis accuratè, & diligenter, cùm contemptus ad peccatum circa transgressionem legis resultet, ex eo quòd ex proposito transgressio in odium legis, & ipsius vilipendium efficiatur, vt breuiter ex traditis per eundem eruditum Castro colligitur simul, & Nauarr. *in manuali d. cap.23.num.41.* 7

Rursus adieci, *nisi consuetudine, & acceptione contraria fuerit contrarium communiter acceptum.* nam si receptum fuerit vt leges humanæ etiam prohibentes, & præcipientes in interiori foro non feriant, vt ex sententia Castri, & Nauarri retuli *proximè,* tunc ad eundem forum non sunt protrahendæ, sed tantùm ad contentiosum, quæ sententia vera est, sicut acceptio eius, nullum enim de hoc se accusantem hucusque inueni, cùm sufficiat vt prædictæ leges pro gubernatione exteriori accipiantur, nisi censuris Ecclesiasticis sint munitæ, quæ mortale vulnus desiderant, & exposcunt, vt *suprà* dixi *q.15. num.10.* vel nisi ex alia lege naturali, aut supernaturali obligatio descendat, Nauarrus *dict. cap. 23. num. 59.* aut 8

nisi circumstantia iniustitiæ, & tertij præiudicium occurrat.

9 Ex quo sequitur defraudantes tributa Regis, aut vectigalium de extrahendis mercibus à Regno, seu intromittendis, aut piscantes in fluminibus vetitis, vel prata prohibita pascentes, seu ligna, & arbores in syluis alienis cædentes, aut frumentum vltra pretium taxatum, sine priuilegio vendentes, hi omnes licèt lex prohibens pœnalis sit, & consuetudo, seu acceptio disponat, quòd super foro conscientię lex non feriat, nisi in exteriori ad pœnam in damno tamē illato, & fraude proximo facta in re sua non est supersedendum, sed vt peccatum tollatur, ablatum debet in integro restitui, vt in tributis & vectigalibus magistraliter docuerunt Couarr. *d.* §. 5. *num.* 5. ponens alia exempla. Gutierr. *practic. qq. lib. 4. quæst. 37. num.* 31. Castro *d. cap.* 10. §. *secundò ex hac conclusione, &* §. *primò ex hac probata conclusione*, vbi loquitur in scindentibus ligna, & pecora pascentibus, de quibus etiam Gutierr. *canon. lib. 2. dict. cap.* 27. *per tot.* idem Castro *eod tract. cap.* 12. §. *alia fuit olim lex*, vbi de vendentibus triticum vltra pretium legis, dicam latiùs *infrà q.* 30. *num.* 1. verùm si eadem consuetudo introductum habeat dominos syluarum, aut pecorum nihil petere potuisse, nisi pœnam tunc, nec obligationem in conscientia circa peccatum, nec restitutionem adesse, scripserunt Castro *d. cap.* 10. *&* §. 1. *ex hac probata conclusione, vers. quod ergo.* Nauarr. *in d. cap.* 23. *num.* 60. *& in d. cap. fraternitatis, num.* 30. *& seqq.* quorum sententia licèt probabilis sit ex consensu dominorum, vt Nauarr. considerat *d. cap. num.* 37. securior tamen est contraria sententia, quam tenuit Gutierr. cum Molin. *d. cap.* 27. *num.* 17. & quia si dominus eidem consuetudini non assentit, intrauit tunc peccatum, & restituendi obligatio, & super consensu, qui potest abesse, fundare nos non debemus. Vlteriùs ex variis fraudibus, & cautelis potest inimicus latro res alienas capere, absque eo quòd in capiendis eis videatur, conuincatur, nec capiatur, & tunc continget quòd dominus omnino defraudatus remanserit, vnde sententia Nauarr. & Castro, periculosa videtur ex præiudicio tertij. Itaque contraria legis humanæ acceptio excludit obligationem in conscientia Deo, ex alia lege, aut proximo in re sua non defraudato, quibus erit satisfaciendum, cùm ex DD. suprà relatis pœna legis culpam ex alio capite contractam non extinguat, nisi quando idem esset legislator, & ita specificè expressisset.

Vltimò dixi, *aut nisi aliqua iusta causa interueniat*, vt ea stante obligationem legis in conscientia euanuisse constitisset. Syluest. *d verb. lex*, *num.* 8. ibi, *nisi fiat ex rationabili causa.* Nauarr *d. cap.* 23. *num.* 59. Castro *d. cap* 9. *vers. quo casu*, & ex sententia aliorum hæc vt in hoc articulo non prolixè patefierent, ideò meis vsibus hanc resolutionem describendam decreui: ex relatis autem in principio alij casus, in quibus obligatio legis cessat, poterunt adnotari. 10

QVÆSTIO XX.

Annotatio circa causas matrimoniales, & praxis in eisdem recepta pro mulieribus defloratis.

SVMMARIVM.

1 *Refertur praxis procedendi in his causis*

causis matrimonialibus.

2 *Proponitur contrarietas inter duo dicta Gutierr. & praxis contra illam.*

3 *In his causis matrimonialibus si resultet incestus, aut solus concubitus, & in fauorem matrimonij iudicetur, an illa delicta sint punienda, & quid si contra matrimonium.*

4 *In vsu causarum matrimonialium Ordinarium, seu Vicarium duobus modis posse peccare vtiliter traditur.*

1 QVERELANTVR persæpe mulieres & virgines in Audientiis Ecclesiasticis de stupris contra eas commissis, sub prætextu, & fide matrimonij. Quapropter petunt, vt constito de verbis sponsalitiis compellantur viri ad contrahendum, & incidenter ad dotandum eas in casu, quo contrahere recusent, vnde causa cognita, & sponsalibus arbitrio iudicis, & stupro copula, & diffamatione legitimè probatis, iudex definitiuè pronunciat in fauorem matrimonij, vt intra certum tempus vir contrahat, & eo recusato certam consignet quantitatem arbitrio eius ad mulieris defloratæ subsidium, vtrumque sub pœnis & censuris comminatoriis, quæ praxis ortum recepit à iure Canonico, ex text. *in cap.* 1. *&* 2. *de adulteriis.* nam licèt *ibi* vtrumque copulatiuè requiratur, nempe quòd stuprator mulierem in vxorem accipiat, & eam dotet, obseruantia tamen illud disiunctiuè recepit, & ita practicatur, ex eodem text. *in d. cap.* 2. vbi Pontifex disiunctiua vtitur, licèt non addat pœnam dotis, sed aliam. Anton. Gomez *in l.* 80. *Taur. num.* 8. Gutierr. *canonic. qq. lib.* 1 *cap.* 37. *num.* 7. Farinacius latè *in pract. crimin. tit. de delict. car. q.* 147. *num.* 98. *& seqq.*

Aduerto tamen quòd cùm Gutierr. *vbi suprà*, pœnam disiunctiuam esse affirmauerit, *num.* tamen 9. *&* 10. iudices solere condemnare ad contrahendum, & dotandum simul, vel ad dotandum tantùm in maiori quantitate, testatur, quæ duo contraria videntur eo maximè, quia nunquam defloratæ virgines id petunt, quod viderim, sed disiunctiuè, vel matrimonium, seu dotem, idem refert Farinac. *d. quæst.* 147. *num.* 99. sed *num.* 116. solummodo stupratorem, vel stupratam ducere, aut dotare resoluit, & hoc est tantùm receptum in praxi, & sic ego practicaui cùm iudicis Ecclesiastici munus exercuissem, nec aliquam aliam pœnam, vltra dotem, imposui stupratori in casu recusationis matrimonij, ex Claro, & aliis per eundem Farinac. congestis *d. num.* 116. 2

Propter incestum tamen ex processu resultantem Fiscalis ius reseruauimus illæsum, vt pœnas contra illud facinus imponendas denunciaret, & postea fuerunt contrahentes certa pœna pecuniaria condemnati, propter circumstantiam incestus, & vt cæteri exemplum sumerent, etiamsi sub spe matrimonij vellent copulari, si enim concubitus, aut fornicatio simplex fuisset, fateor non esse procedendum ad causam criminalem post terminatam matrimonialem, cùm satis sit vt vir ad contrahendum compellatur, & credo sic practicari, quod intelligo, quando pro matrimonio iudicatum extat, secus autem è contra; tunc enim constito, quòd sponsalia non intrant, iustum est vt turpiter fornicantes de more, pœnis ordinariis aliquantisper purgentur, & ita ego seruaui in praxi; in præsenti tamen casu propter incestus qualitatem aliud esse conuenientius iudicaui. 3

Noto etiam quòd in vsu matrimonialiũ causarum duobus in casibus Ordinarius poterit peccare. Primus, quan- 4

do matrimonio authoritatem præstat inter valde dissimiles, & impares, & ne illud à cognatis, seu parentibus impediatur, aut euitetur, ipsius publicationes dispensando excludit, tunc enim cooperatur, & particeps efficitur peccati contrahentis, suis parentibus, & consanguineis iniuriam, præiudicium in honore, & rebus ex tali inhonesto matrimonio irrogantis, vt eruditè notauit Gutierrez *lib. 1. canon. qq. cap. 20. num. 23.* vnde ego in praxi nunquam, quod meminerim, easdem publicationes in prædictis casibus exclusi, imò in occurrentia matrimonij, aut sponsaliorum solitus sum contrahentes examinare, an in eis parentum, seu consanguineorum beneplacitum intersit, quod si deficiat, & notabilis disparitas adsit, non cogo, sed suadeo, & eosdem contrahentes moneo, vt propter malos exitus, & labores, quibus sese in prædicto contractu subiiciũt, ab eodem prudentes desistant; similiter & propter peccatum, & contemptum parentum, & inhonorem suis animis consulant. Secundus est, si data eadem disparitate, & scandalo maximo, lite incepta, & terminata, velit sponsos ad contrahendum compellere, quia tunc Ecclesiæ compulsio cessat, ex text. *in cap. cùm tua, de sponsal. & ibi* glossa *verb. scandalo.* Panormit. *in cap. requisierit, num. 4. eod. tit. & in d. cap. cùm tua, num. 4.* Menoch. *consil. 69. num. 44. & 66.* cum aliis Pater Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 14. num. 3.* vbi prudenter hoc scandalum non mediocre, sed maximum & verum esse debere affirmat, quod vnico verbo optimè exprimitur per Panormit. *d. loco.* ibi, sed omittitur compulsio quandoque propter aliquam rationabilem causam; sed quæ dicatur rationabilis, relinquitur arbitrio iudicis. Quid enim, si sponsus prosequitur sponsam odio capitali, vel è conuerso, ita (quod timetur ex inuitis nuptiis futurum homicidium, vel adulterium, vel guerra inter parentes vtriusque, his enim, & similibus casibus debet Ecclesia desistere à compulsione, sentit glossa *in cap. ex literis el 2. suprà eod.* &c. Refert & alias causas Riccius *praxi fori, tit. praxis matrimonialis, decis. 232.* Quapropter si iudex ordinarius in casu quo compulsio Ecclesiæ iure cessat, eam imperitus adhiberet, vtique tanquam legis transgressor grauiter peccaret, etiam quòd omnium malorum ex compulsione, & matrimonio prouenientium consors, & auctor redderetur, ex ratione per Gutierr. perpensa, quæ licèt ab eo in primo casu, scilicet dispensationis publicationum sit excogitata; vis tamen ipsius ad hunc secundum similiter extenditur.

QVÆSTIO XXI.

Super iure parochiali, & quomodo in praxi illud in Parocho defuncto acquiratur.

SVMMARIVM.

1 *Ad Ecclesiam maiorem pertinent forenses, & peregrini.*
Sepultura ius de Parochialibus est, ibid.
2 *Forenses expressè, & tacitè possunt eligere Parochiam, & quando expressè, aut tacitè dicatur.*
3 *Ponitur decisio quæstionis, & casus.*
4 *Conclusio in fauorem Ecclesiæ maioris de forensibus, & peregrinis non est verior.*
5 *Consuetudo debet in specie probari.*
Ius Ecclesiæ parochialis electæ melius est, ibid.
6 *De similibus idem est iudicium.*

QVIDAM

1 QVIDAM Parochus decessit extra suam Parochiam, & dubitatum extitit in loco mortis inter Ecclesias ibi consistentes, qualis earum iure parochiali fungi debuisset? Ecclesia enim maior, nempe Collegialis, omnes hospites forenses, peregrinos & aduenas ad eam longo tempore pertinere, & in eis parochiale ius exercuisse, testibus comprobabat, & quòd de iure sic erat constitutum. glossa *verb. apud eos, in cap. in nostra*, *de sepult*. Innoc. Hostiens. Ioan. Andr. Panormit. & alij *in cap. 1. eod. tit*. Ricciûs *in praxi fori, tit. prax. sepultur. decis. 659*. Syluest. *in summ. verb. sepultura, num. 8. vers. secundum*. Summ. Angel. *eod. verbo, n. 19*. Sepulturæ autem ius de Parochialibus est idem. Syluester, & Angel. *sum. verb. Parochia, toto tit. de sepultur. in Decret. & sexto.*

2 Ecclesia verò parochialis non maior replicabat, quòd defunctus forensis elegit eam in Parochiam suam, more & consuetudine solita, nempe interrogando Parochus illum, an vellet esse Parochianus eius, & consensu præstito accipiendo de manu Parochi quandam monetam, & illam postea ei restituendo: vnde si Parochum defunctus elegit, visum fuit omne dubium cessare. nam forensis, & aduena potest expressè, & tacitè eligere Parochiam. expressè, iuxta consuetudinem, & ceremoniam positam, ex qua infertur consensus expressus, vt in iure sepulturæ, est textus *in cap. licet, de sepult. in 6. cap. in nostra, eod. tit*. Summ. Angel. *eod. verbo, num. 5*. Tacitè autem videtur etiam elegisse, si recipiat in tali Ecclesia Sacramenta. Syluest. *in d. sum. & verb. n. 8*. Panormit. *in d. cap. 2. num. 4. in fine*. Vbaldus *de quart. Paroch. cap. 6. n. 18. & 19*. Butr. & Gemin. relati per Riccium *d. decis. 659. num. 3*.

3 Atque ita cùm prædictus forensis Parochus elegisset expressè virtute cōsensus, & tacitè ex eo quòd ab Ecclesia parochiali Sacramēta recepit, ex his duobus, quorum alterum sufficiebat conclusi prædictum defunctum esse eidem Parochiali tanquam Parochianum adscribendum, & consequenter ad eandem Ecclesiam pertinere obuentiones, seu iura solita concedi in tumulis defunctorum, seu canonicam portionem.

Conclusio autem suprà posita in fauorem Ecclesiæ maioris, iuxta Riccium, & relatos per eum, non est verior, maximè quando morienti fuerunt per Parochialem administrata Sacramenta, vt in præsenti. 4

Consuetudo autem allegata per eandem Parochialem eligendi Parochianos cæremonia supradicta non probabatur in specie Clericorum, seu Parochorum, sed solùm inter laicos, & consuetudo debet in specie probari, cùm non extendatur. Seraphin. *decis. 326. num. 2. & decis. 1159. num. 5*. Marescot. *var. resol. lib. 2. cap. 100. num. 4*. cum multis, & sic non virtute consuetudinis, sed potiùs electionis præfatæ ius Ecclesiæ parochialis præualuit, quam electionem etiam Ecclesiam maiorem procurasse quidam eius testis fatebatur, vnde bene potuit defunctus Parochialem eligere iure simili. 5

Quia de similibus idem est iudicium, *cap. inter cæteras, de rescript.* cum pluribus aliis ab Euerardo congestis *loco* 13. itaque in Parochialis fauorem causa fuit expedita. 6

G 3 QVÆST.

QVÆSTIO XXII.

Non vulgaris, & noua.

Anima defuncti hæres relicta per eum, coram quo iudice sit iudicanda, & conuenienda.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus, & dubium.*
2 *Anima de foro Ecclesiastico est, & actor rei forum sequi tenetur.*
3 *Clericus hæres laici, an coram iudice laico, vel Ecclesiastico sit conueniendus.*
4 *Quòd iudex sæcularis sit exequutor, etiam testamentorum, quomodo intelligendum, & praxis quam debet tenere.*
5 *In dispositis ad pias causas ius Canonicum est obseruandum.*
6 *Legatarij & fideicommissarij, & creditores contra animam, Ecclesiam, seu piam causam hæredem institutam, coram Ecclesiastico debent proponere actiones suas.*
7 *Respondetur cautelæ quæ ad fugiendum Ecclesiasticum assumitur.*
8 *Episcopi eorumque iudices exequutores sunt testamentorum, etiam inter laicos, & probatur variis mediis.*
9 *Quid de legatis profanis, aut debitis defunctorum, an iudex Ecclesiasticus possit esse competens? Respondetur cum distinctione iuris, aut praxis, & quæ sit recepta.*
10 *De intelligentia* l.10. tit.1.lib.4.recopil. *& an loquatur in testamentorum exequutione.*
11 *Iniustum esse concluditur laicos molestare, & refertur praxis cum distinctione.*

ALIQVOTIES hic casus in practica se offert, & de ipsius inter iudicandum resolutione dubitaui. nam statim mortuo defuncto hærede ipsius anima instituta, concurrebat iudex sæcularis mecum, & ambo bonorum sequestrationem decernendo causæ cognitionem vnusquisque contendebat, imò aliquando sæcularis vocatis defuncti exequutoribus vsque ad sententiam inter quasdam partes processum fulminauit, quod excessum esse vt omnibus notesceret, ideò præsentis dubij claram ponere sententiam in animo decreui. 1

Et primò nullum vidi de hoc articulo in terminis disputantem, ideò erit noua quæstio; quapropter argumentis, & rationibus congruentibus, & similibus illum resoluere operæpretium erit.

Sit igitur primum in fauorem iudicis Ecclesiastici, nempe quòd anima de ipsius foro est, & ideò potest illam ligare, vel absoluere. nam habet iurisdictionem spiritualem, qua per censuras inobedientium animas coërcet, & compellit, & ideò etiam exequutionem vltimarum voluntatum eidem iudici tanquam mortuorum animis consulenti data est, *cap. nos quidem, cap. tua, & cap. Ioannes,* & *ibi* notatis *de testam.* Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. ibi, *aut animarum salutem.* & *sess.* 25. *in principio, de Purgatorio.* ibi, *pro aliis fidelibus defunctis,* &c. vnde si anima fori Ecclesiastici proculdubio est, consequenter in eodem foro conuenienda est, ex vulgari regula quòd actor rei forum sequi teneatur. 2

Sit secundum. nam quemadmodum Clericus, qui eodem foro Ecclesiastico subiacet, ac prædicta anima, si hæres à defun- 3

à defuncto instituatur, & lis ab eodem non sit incœpta, non est coram sæculari iudice conueniendus, sed coram Ecclesiastico, iuxta magis receptam sententiam, licèt contraria sit satis probabilis, vt cum pluribus, quos non transcribo, retulit Ceuall. *comm. contr. com. quæst.36.num.3.& seqq.* quibus addendi sunt Gratian. *disceptat. forens. tom. 1. cap.16.num.31.* Zachias *in addition. ad Galesium de obligat. Camer. ad cap.8. num.1. & seqq.* Barbos. *in l. hæres absens, num.166.ff. de iudiciis.* Vincentius Carocius *de remediis except.22.quæst.4. num.3.& 4. & num. 22.* sic per eandem rationem anima, cum qua lis incipi non potuit hæres instituta per defunctum, coram eodem iudice Ecclesiastico conueniri dumtaxat debet, eo magis, quia Gratian. *ibi num.33.* & Zachias *num.3.* referunt Rotam indistinctè primam opinionem tenere, nempe Clericum hæredem etiam super lite incepta per defunctum coram Ecclesiastico conueniendum. Farinac. *in decis. criminal. lib. decis.81.num.5.*

4 Non obstat quòd iudex laicus sit competens in exequutione testamentorum, tam ad pia, quàm ad non pia, *in cap. tua, & cap. Ioannes, de testam.* Couarr. *in cap. si hæredes, num.1. & in cap. relatum, eod. tit.* Gutierr. cum aliis *in pract. lib.2. quæst.48.num.3.* Barbosa *in d.l. hæres absens, num.191.* per text. *in l. hæreditas, in fine, de petition. hæred.* Tiraq. *de priuil. piæ caus. priuil.149.* Paz *in praxi 2.tom.2. prælud. num.46.* nam aliud est prouidere super piorum exequutione, aliud autem conuenire causam piam in iudicio pleno: illud autem fieri poterit summariè, & ex officio, veluti præcipiendo exequutoribus, aut aliis vt voluntatem testatoris exequantur; sicut enim in legatis profanis iudex Ecclesiasticus solùm ex officio potest cognoscere, & data negligentia exequutorum, vt *infrà* dicetur, ex quorundam opinionibus, etiamsi executor absolutè dicatur vltimarum dispositionum; sic etiam iudex sæcularis, cùm manum imponit in legatis piis, eodem modo cognoscendi vti poterit, nempe summariè, & ex officio, non verò ad aliorum instantiam, à correlatiuorum, & contrariorum argumento, & eadem ratione, & parificatione, vt per Euerardum *in locis legal. loco 20.num.8. & loc. 9. per totum.* Si autem libellus in forma contra piam causam porrigatur, quo ipsam hæredem esse non posse articuletur, aut quia filij fuerunt præteriti, aut ex alio capite: tunc cùm ordinariè agendum sit, & cum plena causæ cognitione, citata pia causa, & in suo foro, puto iudicem Ecclesiasticum adeundum, præcipuè, quia in iure Canonico non extat dispositum, quòd sæcularis iudex pias causas exequi valeat, sed solùm in iure ciuili, ex prædicto text. *in d.l. hæreditas*, ex Couarr. *in d. cap si hæredes, num.1.* & Paz *in praxi, loco citato.*

Vnde cùm in dispositis ad pias causas ius Canonicum seruandum sit, & secundùm id iudicandum. Tiraq *d. tract. priuil. 163.* meritò coram iudice eiusdem iuris prædictæ causæ conueniri debent, præsertim quando non de summario exequutionis articulo contenditur, sed plenariè anima, aut pia causa rea efficitur; aliàs enim si sæcularis iudex posset animam iudicare, & condemnare, vtique etiam id facere posset in Clerico hærede relicto per defunctum in lite noua, quod cùm illi prohibeatur, ex supradictis, per eandem rationem illud prohibendum erit, cùm in foro animæ sæcularem iudicem cognitionem, & iurisdictionem spiritalem ad iudicandum animam, sicut & Clericum habere nullus fateatur. 5

Vnde in foro quòd legatarij, & fidei- 6
commissarij

commissarij,& cæteri creditores defuncti,ius postulantes contra animam,Ecclesiam, aut causam piam, hæredem in testamento relictam quòd debeant proponere actiones suas in iudicio Ecclesiastico,cuius est Ecclesia,anima, & pia causa,& in quo poterit iudicari, & condemnari, non autem in iudicio sæculari, nisi ad præceptum summarium in aliqua voluntatis defuncti exequutione.

7 Nec obstat cautela qua vtuntur iudices sæculares,& ministri eius pro suæ iurisdictionis prætextu, citant namque prædictos exequutores laicos, aut ipsis non citatis defensorem ponunt in bonis, vt iudicium vndequaque sæculare videatur. nam tales exequutores, seu defensor bonorum,solùm habent exequutionem, & nudum factum ad exequendam testatoris voluntatem, ex *d.cap.Ioannes, l.nulli, C.de Episcop. & Cleric.* cum aliis, vt per Spinum *in specul.testam.gloss.*28 *num.*3. *& seqq.* vnde non possunt animæ, Ecclesiæ, aut piæ causæ hæredem institutæ circa forum præiudicare nam etiamsi ipsi in sæculari iudicio consenserint, non inde tale iudicium, in quo forum rei non sequitur,legitimum apparuit.

8 Animaduertendum etiam est ita demum Episcopos eorumque iudices posse compellere exequutores prædictos ad exequenda defunctorum testamenta,vt id etiam possint, etiamsi sint laici, prout regulariter sunt, & quotidie ipsi compelluntur ad dicendas Missas, ad dandas eleemosynas, & dotes pro virginibus maritandis, aut profitendis in Monasteriis,vel ad aliam piam causam, seu opera pietatis, quæ diuersimodè fundantur,vt in terminis laicorum scripsit Spino *d.gloss.*28.*num.*22. cuius rationi alia addenda erit. nam cùm hæc facultas præter iùs commune proueniat etiam à Concilio Tridentino, in cuius decretis consenserunt Principes sæculares, imò in Hispania Rex noster protector est eiusdem Concilij, meritò iudices Ecclesiastici tanquam iurisdictionem sæcularem haberent in vltimarum voluntatum exequutione, possunt ad eam laicos inobedientes compellere, imò de illis expressè dispositum extat *in d.cap.*8.*sess.*22.*de reformat.* circa visitationem, quæ ad eandem exequutionem dirigitur, & absolutè in principio omnium piarum dispositionum Episcopos exequutores esse statuitur, absque vllo discrimine laicorum,vnde ipsi ex vi iurisdictionis Ecclesiasticę in prædictos laicos censuras fulminare circa prædictam exequutionem, vel ex assensu iurisdictionis sæcularis aliis sæcularibus remediis vti possunt.

Verùm si de alicuius defuncti debitis tractetur, quæ vt soluerentur, ab exequutoribus suis ipse in testamento dederit in mandatis, & in eo non sit eius anima hæres instituta, sed alius quidam,aut de profanis legatis agatur, & creditores, aut legatarij coram Ecclesiastico iudice compareant,vt prædictos exequutores ad solutionem debitorum, seu legatorum profanorum compellat, quæri potest, an licitè fieri valeat, vel an hoc coram sæculari iudice sit tractandum; existimo quòd iudex vterque competens sit, cùm exequutio testamentorum in illis communis sit,ex prædictis;& licèt contra Ecclesiasticum insurgat quòd debitorum solutio, aut legatorum profanorum de laico in laicum videatur merè profana,& non pia dispositio,sicut in exemplis proximè relatis, & in piis tantùm legatis, & vltimis voluntatibus consentiat in fauorem Ecclesiastici. Gutierrez *practicar. qq.lib.*1.*quæst.*44.*& lib.*3.*qq.*29. *num.*2. *& seq.* quæcumque tamen vltimæ voluntatis exequutio pia est. Spino *dict. glossa* 28. *num.*15. expressus textus per 9

cum

eum relatus *num.6.in l.7.tit.10. part.6.* ibi. *Esto deuen facer para cumplir la voluntad del testador que es obra pia*, &c. quæ lex loquitur in casu quo executores negligentes, & Ecclesiasticus ex officio procedit, idem Gutierrez *d. q.29.num* 14. Capella Tholosana *quæst.* 112. additio ad *d. Capellam, in quæst.* 51. *in fine additionis.* Acceuedus *in l.* 10. *num.49.tit.1.lib.4. recop.* in quibus terminis si solutio debitorum in testamento contineatur, poterit Ecclesiasticus ad prædictæ solutionis exequutionem summariè, & ex officio data exequutorum negligentia compellere, & sic per eandem rationem de cæteris in testamento congestis, & de legatis profanis, quorum exequutio expectetur; sed licèt hoc de iure congruum videatur in praxi, tamen diuersimodè tenetur, quia tam quoad visitationem, quàm ad exequutionem non visitando iudex Ecclesiasticus ex officio, vel ad instantiam partium, solùm compellit laicos ad piarum exequutionem, quæ de natura sui talia iudicantur, non ad alia quæ profana videntur, licèt ratione testamenti pia largè sumantur, non quia horum exequutio etiam ad Ecclesiasticum modo supradicto non pertineat; sed quia partes ad hæc coram sæculari iudice ius poposcerunt, & ita iuris dispositio in fauorem Ecclesiastici in exequutione rerum prędictarum in desuetudinem abiit, & sic testatur obseruari Tolosæ additio ad Capellam Tolosanam *in d. quæst.* 51. vbi quòd in illa Curia procurator animarum non se intromittit de legatis factis ad non pias causas; licèt possit ex officio, sed nō ad aliorum instantiã, & ego sic multoties in foro Ecclesiastico intra & extra visitationem practicaui, & inter laicos de legatis profanis aliquando instantibus legatariis memor sum denegasse mandata, ne illis periculum, aut damnum incurrat, solent enim iudices sæculares procedere contra illos virtute *l.10.tit.1.lib.4. recopil.*

Sed immeritò, quia dicta lex non loquitur in testamentorum exequutione, & quia iam aliquid potest iudex Ecclesiasticus si in dictis legatis profanis ex officio cognoscere potest, & quia etiam aliquando ad instantiam aliorum vidi in dictis legatis prouidere, quasi viam aperiat d. lex partitæ, in verbis suprà relatis, & quia sicut iudex sæcularis mittens manum in legatorum piorum exequutione, nulla lege canonica suffultus per Ecclesiasticum non punitur, nec laicus, aut Clericus ibi de illis iustitiam postulantes; sic multo minus laicus laicum conueniens coram Ecclesiastico, qui legem canonicam habet in dicta testamentorum exequutione, & in vltimarum voluntatum obseruatione Acceued. *in d. l* 10. *n.*51. *vers. vel erit Episcopus*, quæ absolutè lege Regia piæ dicuntur, puniri non debet per eundem iudicem sæcularem, etiamsi hoc iudicium, & exequutio profanorum legatorum frequentiùs ad eum in praxi pertineat. 10

Quare concludo iniustũ esse laicos molestare super hoc, ex rationibus prædictis, & quòd praxis harum rerum est, quòd iudex Ecclesiasticus cognoscit de legatis piis, & rebus ad Ecclesiã, animã, Capellaniam, Confratriam, vel quid simile pertinentibus, tam iudicio summario, quàm ordinario: de legatis autem profanis, quòd cognitio eorum & exequutio regulariter ad sæcularem attineat, licèt ex officio possit de illis cognoscere Ecclesiasticus, vel aliquando, aut raró etiam ad instantiam aliorum, sed praxis ordinaria est in contrarium, tribuens vnicuique iudici, quod propriè illius est, & dicam infrà *q.*73. *num.*15. 11

H QVÆST.

QVÆSTIO XXIII.

De morientibus ab inteſtato, an teneantur pro eorum animis alquid expendere.

SVMMARIVM.

1 l.Tauri 32. *non imponit neceſſitatem elargiendi totum quintum, nec* l.10. tit.4.lib.5.recop.

2 *Verbum* poſſit *neceſſitatem non importat, ſed arbitrium.*

3 *Verbum* diſponer, *etiam arbitrium ſignificat.*

4 *Traditur vera ratio, & interpretatio dictarum legum.*

5 *Ex officio lex animis ſubuenire poteſt.*

6 *Anton. Gomez, & Gutierr. latiori ſenſu poterant dictam legem decimam accipere.*

7 *Refertur praxis, & forma procedendi in fauorem iudicis Eccleſiaſtici ſuper quinto defunctorum.*

8 *Inter deſcendentes, aut aſcendentes an tertij, ſeu quinti diſtributio admittatur? & proponitur pars affirmatiua.*

9 *Negatiua retinetur, & probatur.*

Omnia bona parentum ſunt filiorum legitima, & è conuerſo.

10 *In caſu dubio Eccleſiaſticus monet aſcendentes, vel deſcendentes.*

11 *Proponitur dubium circa eaſdem leges, & quinti diſtributionem in fauorem aſcendentium, ſeu deſcendentium ſine teſtamento defunctorum, & reſoluitur.*

1 SEQVVTVS ſum in praxi Eccleſiaſtica iudicando, reſolutionem Aceued. *in l.6. num.29. lib.5. recop.* dum cum aliis docet, *l.32. Taur. & l.10. tit.4. lib.5. recop.* non imponere neceſſitatem elargiendi totum quintum pro anima defuncti, ab eius tranſuerſalibus ab inteſtato, ſeu à Commiſſariis, ſed quòd talis elargitio ſit arbitraria ex qualitate perſonæ, & quantitate bonorum, & ex aliis circumſtantiis. Ioan. Gutierr. *lib. 2. practicar. qq. q.46.* cum aliis. Ioan. Garcia *de expenſis cap.8. num. 2.* Angulo *in l.13. gloſſ.4. num.13.* Pater Vaſquez *opuſc. de teſtam. cap.9. §.3. dub.10.* † Et de Commiſſariis 2 non eſt dubium, cùm lex 32. vtatur verb. *pueda*, quod non arctat, nec neceſſitatem imponit, vt dicam *infrà q.85. num.4.* imò potiùs arbitrium ſignificat. Aceued. *in d.l.6. num.30.* d. verò lex 10. & 11. etiam non ſtrictè, & neceſſariò definiunt totum quintum eſſe expendendum, ſed potiùs quòd hæredes ab inteſtato, ſeu Commiſſarius de quinto poſſint diſponere, & non vltra illud, ſed aut minus, aut totum, attentis attendendis; minùs autem requiritur pro perſona bonæ famæ, totum pro publico peccatore, minùs pro negotiis non implicato, totum pro publico negotiatore, aut banchario, ſeu vſurario.

Verbum autem *diſponer, d.l.10.* arbitrium manifeſtè deſignat. Menoch. 3 *lib.1. de arbitrar. quæſt.8. num.60. in fine,* Concil. Trid. *ſeſſ.21. cap.2.* in illis Apoſtolicis verbis, *cætera*, inquit, *cùm venero diſponam*, vnde ſic acceptis prædictis legibus, ſuperfluum eſt ad eas ſatisfacere, quaſi quòd totum quintum elargiri præcipiant, cùm è conuerſo illud arbitrario modo conſtituant, vnde Ioan. Gutierr. *d. loco*, qui obſtaculo dictæ legis 10. conatur reſpondere, excuſare poterat laborem, accipiendo eam modo ſupradicto, præterquam quòd reſponſio eius mihi non placet.

Nam ratio finalis prædictæ legis non 4 inde prouenit quòd teſtatori qui Commiſſario

missario facultatem testandi dedit, nocere non debet negligentia eius, si noluit testari, & ita quòd lex supplet ipsius negligentiam, onerando transuersales ab intestato, ad quinti dispositionem; si enim prædicta lex in eadem negligétia se fundaret, eo casu quo Commissarius ea caruit, cessaret fundamentum legis, & quinti dispositio, cuius contrarium expresè cautum est in eadem lege ibi, *o porque murio sin hacerlo*, &c. vnde ratio principalis eiusdem legis ea est quòd anima defuncti aliquo solatio consoletur; vt ibi, *por su anima del testador*, &c. & ita siue sit morosus, & negligens Commissarius, siue non, vtroque casu quintum à transuersalibus præcipit elargiri.

5 Nam ex officio lex animis defunctorum potest subuenire absque eo quòd eorum voluntas circa id coniecturis, aut præsumptionibus indicetur, & ita licèt quando testator Commissarium ad testandum reliquit. præsumptio ex eius voluntate resultet, quòd pro anima aliquid expendatur; quando tamen id non fecit, vel quia noluit, vel quia non potuit, tunc lex ex officio Christianæ pietatis id iubet obseruari, quod ad eandem pietatem rationabiliter spectat, & licèt in casu Commissarij lex loquatur; ratio tamen eius supradicta non ad eundem casum taxatiuè referri debet, cùm animarum subuentio in omni casu locum habeat, & ex

6 officio iudicis attédi debeat. † Vnde Anton. Gomez, & reliqui per eosdem Aceued. & Gutierr. dictis locis relati simul cum Patre Vasquez *vbi suprà*, qui dictam *l*.10. ad casum dati Commissarij restrinxerunt, benè poterant latiori sensu eam intelligere ex vi rationis suprà ponderatæ, quæ generalis est, cùm nouum non sit ex eadem vi extensionem, seu comprehensionem in legibus admittere, de quo plures congerit Molina *de Hispan. primog. lib*.1.*cap*.18.*n*.7. eo maximè, cùm idem Gutierrez *d l*.2. *q*.44. *penes finem*, eiusdem rationis argumento sit vsus in casu dati Commissarij.

Quod iam praxis Ecclesiastica confirmauit. nam etiam non dato Commissario succedentes ab intestato coram Ecclesiastico iudice petunt licentiam, vt simul cum Parocho possint intra quintum pro anima defuncti disponere, ipseque iudex, ita prout petitur licentiam præstat; nec arctat ad totum quintum præcisè elargiendum, sed intra illud, vt id esse in arbitrio positum intelligatur, & ego pluries iudicis Ecclesiastici officio fungens de hac practica testari possum, vel ipse Ordinarius, si nolit quinti distributionem aliis committere, de eo disponit arbitrio suo tanquam animarum pater, & iudex. glossa *verb. sæcularium, in cap*.1.36. *distinct*. & dixi *quæst*.52. *in fine, tract. de præcedentiis*, & probat hanc praxim, & consuetudinem, Genuens. *in praxi Archiepiscop. cap*.78. *per totum*. 7

Inter ascendentes autem, & descendentes, si ab intestato succedant, verùm tertium, aut quintum pro defunctorum animis teneantur elargiri, dubium se offert, & de eo dubitaui in quadam causa coram me agitata; videbatur quòd sic, quia si de quinto, iuxta *l*.13. *tit*.6. *lib*.5. *recopil*. Missæ sunt deducendæ, etiam extantibus liberis, & de tertio extantibus parentibus, *l*.1. *tit*.8. *eiusdem lib*.5. & testator poterat de hoc quinto, seu tertio disponere, quod ille non fecit; quare officio iudicis suppleri non debet? & si extantibus transuersalibus quintum lex iubet expendi. quare illud extantibus descendentibus, aut ascendentibus pro defunctorum quiete non erit elargiendum. 8

Verùm contrarium insinuare videtur *d. l*.10. *tit*.4. *lib*.5. *recopil*. ibi, *Los* 9

quales en caso que no sean hijos ni descendientes o ascendientes legitimos, sean obligados a disponer de la quinta parte de los tales bienes por su anima del testador, &c. & sic extantibus ascendentibus, aut descendentibus legitimis, quinti distributio non intrat ex eo quòd omnia bona parentum ab intestato decedentium absque tertij, seu quinti defalcatione sunt filiorum legitimæ; sicuti è conuerso omnia bona filiorum non deducto tertio sunt parentum legitimi etiam ab intestato decedentium, quod non ita est in transuersalibus, ita tenet cum Tello *relato* Roxas *in epitom. success. cap. 3. num. 5. 6. 7. & seq.* & non ponderata prædicta lege ait sic eum iudicasse, & firmat Gutierrez *pract. qq. lib. 2. q. 44. § sed nihilominus.* vnde de bonis propriis filij, aut parentes ad distribuendum pro animis non erunt compellendi, cùm, vt ait Roxas, præsumendum sit eos affectione sanguinis ducti congruenter pro illis distribuisse, cuius sententiam sequutus in prædicta causa eam in fauorem cuiusdam patris contram Fiscalem terminaui, eo magis cùm non præsumptiuè, sed apertè constitisset, de distributione sufficienti pro anima suæ filiæ.

10 In casu autem dubio poterunt ascendentes, aut descendentes per Ecclesiasticum extraiudicialiter moueri, vt pro defunctis suis sollicitos se ostendant, vt visitando fecisse memor sum.

11 Sed quare lex permisit ascendentibus, & descendentibus, vt pro suis animis de tertio & quinto disponerent; hoc autem ab intestato decedentibus videtur prohibuisse *in d. l.* 10. nec voluit animis eorum consulere. Respondeo potuisset quidem lex eandem permissionem ascendentibus, aut descendentibus concessam in suarum animarum fauorem si cum testamento decessissent, hoc idem, si sine illo, in eundem fauorem admittere, compellereque descendentes, aut ascendentes ab intestato, vt tertium aut quintum, de quo illi potorant testari, in oblationibus expenderent, & existimo conuenientius, & iustius esse si diplomate Regio, aut synodali constitutione illud cautum esset; interim tamen quod scriptum, & declaratum extat obseruare, quod omissum omittere tenemur.

Quæstio XXIV.

Non vulgaris.

An Portionarius Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegialis ad cantus, seu organum electus, vel creatus, teneatur horas Canonicas recitare.

Summarium.

1 *Proponitur casus, & quòd Portionarius ad officium non diuinum ordinatus, ab horarum recitatione videtur exclusus.*

2 *Portionarij dicuntur habere beneficium Ecclesiasticum.*

3 *Tanquam beneficiati tenentur recitare.*

4 *Organi officium, & diuinum horarum non contrariantur.*

5 *Portionarij sedem habent, & stallum in choro.*

6 *In sacris constitutis, & beneficium habentibus æqualiter incumbit recitatio.*

Vna determinatio respiciens plura determinabilia pariformiter determinat, ibid.

7 *Securior pars in hac quæstione laudatur, & eligitur.*

Miror

1 MIROR quomodo plures DD. quos viderim, & Nauarrus, de hoc non disseruerint, hic *in suo tractat. de Horis Canonicis*, præmaximè *cap.* 11. vbi de causis excusandi ab horis in specie tractat; sed plurima, & diuersa considerantes aliqua inaduertenter omittere commune est. Quapropter in puncto proposito videtur primò, quòd Portionarius prædictus ab horarum onere liberetur. nam creatus est, non ad officium Ecclesiasticum, nempe ad pulsandum organa, & licèt beneficium detur propter officium, hoc tamen officium non quodlibet, sed Ecclesiasticum tantùm intelligendum, *cap. final. de rescript. in 6.* vbi omnes scribentes, Nicol. Garcia *de benefic.* 1. *p. c.* 2. *num.* 90. vnde Portionarius ad officium non diuinum ordinatus, per consequens ab Officij diuini pensu videtur exclusus, & sic censet Eman. Sà *in suis Aphorism. verb. horæ, num* 4. cum ab eo relatis.

2 In contrarium tamen facit, quia Portionarij beneficium Ecclesiasticum habere dicuntur. nam habent ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, ex definitione ipsius beneficij, iuxta eundem Garciam *d. tract. cap.* 1. *num.* 2. & similiter debent habere ætatem, & tonsuram beneficiatis respondentem, & præuia institutione, & collatione portiones prædictas acquirunt, quod potissimum signum beneficij est, ex regula vulgari.

3 Vnde in eis succedit, quòd ad diuinas laudes recitandas teneantur, ex eadem definitione beneficij, ibi, propter officium, ad quod beneficium Ecclesiasticum obligat. idem Garcia pluribus relatis *de obligat. recit.* 3. *part. cap.* 1. *n.* 1. Syluest. *in sum. verb. hora, num.* 3. *vers. quartum.* Couarr. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 13. *num.* 10. Caiet. *in sum. & eod. verb.* Sot. *de iustit. & iur. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 3. *in secunda conclus.* Cerol. *in practic. Episc. in d. verb.* §. *ad secundum,* vbi ampliant etiam ad beneficium tenuissimum, quare hæc pars habet regulam pro se, & contrariam tenens debet docere de limitatione, seu declaratione Sedis Apostolicæ, à qua obligatio regulæ ortum habuit.

Nec obstat quòd Portionarius electus sit ad cantus, & sic ad officium non Ecclesiasticum, nec diuinum, vnde hoc exclusum arguitur. nam hæc duo contraria non sunt, ita vt vnius inclusio alterius exclusionem operetur, imò videntur conformia. nam bene potest Portionarius, Cantor, aut organi pulsator simul ad hoc attendens horarum onus implere, præcipuè cùm vnum, & alterum sit leue, & momentaneum, nec congruum, videtur, vt propter organi pulsationem in diebus festiuis, aut Musicam in solemnibus factam, quotidianam recitationis obligationem excludamus. 4

Quod amplius comprobatur, quia tales Portionarij sedem habent & stallum in choro, & ibi in diuinis intersunt cum cæteris, recitantes quando ad organa, aut Musicas aliò non diuertunt, ex quo cognoscitur ipsos recitationi, & choro adstrictos esse. 5

Rursus si ipsi in sacris sint constituti, nullus negaret ad horas teneri, & praxis hoc confirmat; ergo idem non negandum si beneficiati, cùm vna, & eadem obligatio vtrisque communis sit, ex prædictis DD. & vna determinatio respiciens plura determinabilia pariformiter determinat, *l. iam hoc iure, ff. de vulg. & pupill. substit. l. quamuis pactum, C. de impuber. & aliis substit.* vbi Doctores. 6

Igitur hæc pars sequenda videtur tanquam magis probabilis, & tutior, nec auderem in re graui, cuius omissio conscientiam polluit, & maculat, contrariam 7

trariam partem eligere, licèt sciam eam esse ab aliquibus amplexam, & probatam.

QVÆSTIO XXV.

An sine peccato quis possit extraneum hæredem instituere, consanguineis collateralibus pauperibus exclusis.

SVMMARIVM.

1 *Contra officium pietatis facit qui extraneum instituit, si consanguineos habeat pauperes, & hæc conclusio examinatur circa peccatum.*

2 *Ascendentes, & descendentes tantùm sunt legitimi, & necessarij hæredes, & illis seclusis extraneus institui potest.*

Leges quæ iustæ sunt, etiam in foro interno seruandæ sunt, ibid.

3 *Eleemosynam distribuens egenti, egentiore prætermisso, an peccet.*

4 *Durum esset consanguineos nunquam visos sub peccato instituere.*

5 *Summistæ etiam probant posse extraneum institui deficientibus necessariis hæredibus.*

6 *Respondetur fundamentis contrariis.*

7 *Eleemosyna nisi in extrema necessitate sub præcepto non venit.*

8 *Declaratur textus* in cap. non satis, 86. distinct.

9 *Obligatio alendi fratrem, ad instituendum illum non extenditur.*

10 *Quæstio resoluitur in casu extremæ necessitatis.*

11 *Extra necessitatem si testator exclusit consanguineos pauperes, quod peccatum committat.*

Omne inordinatum parit veniale peccatum, ibid.

12 *Beneficiarius sine peccato graui potest eleemosynam fructuum præstare extra locum beneficij.*

13 *Legum permissio ad peccatum excludendum debet esse rationabilis, & iusta, & quando talis dicatur in praxi.*

14 *Consilium ad euitandam totam huius quæstionis anxietatem, etiam circa praxim.*

TETIGERVNT in specie Gomezius *in l. 8. Taur. num. 4.* Roxas *in epitom. success. c. 32. num. 3.* vbi relato Ioan. Fabro *in §. 1. Instit. de hæred. quæ ab intest. def.* & Ancharr. *in reg. possessor. quæst. 1. de reg. iur. lib. 6.* concludunt quòd si consanguinei sunt pauperes, non possit testator cum bona conscientia extraneum instituere, & sic peccare mortaliter, quia facit contra officium pietatis, quorum sententia licèt pia, respectu coniunctorum, dura tamen respectu testatoris, & eius animæ mihi visa fuit, & moueor ex sequentibus. 1

Primò ascendentes, & descendentes tantùm sunt legitimi, & necessarij hæredes inter se iure Regio, per textum *in l. 1. tit. 8. lib. 5. recopil.* & illis deficientibus extraneus penitus ignotus institui potest, *l. extraneum, C. de hæred. inst. l. 12. tit. 6. part. 6. l. 2. & 3. tit. 8. part. 6.* & refert idem Roxas *vbi suprà num. 2.* qui autem iure suo vtitur, iniuriam alteri non facere, & qui authore Prætore possidet, iustè possidere, & quod lege permittente fit, pœnam, aut culpam non mereri, iura proclamant, alioquin omnes leges facilè euanescerent, & fraudarentur, si earum permissio conscientias hominum ligasset, cùm nullus in peccatum incidere voluisset. nam quamuis in foro externo loquantur, 2

ex

ex eo tamen quòd iustæ sunt, etiam in interno seruandæ sunt, præsertim ad peccatum, aut laqueum excusandum comprehenditur, ex dictis *suprà quæst.* 19.*n.*3. & tradit cum D.Thoma, & aliis Ceuall. *com. contr.com.quæst.*71. *num.*8. inde peccare non videtur qui legem exequitur, & seruat, eius permissione vtendo.

3 Secundò, si ex eo quod quis facit contra officium pietatis, & ordinem charitatis, peccasse faciliter fateremur, & mortaliter, vtique sequeretur eleemosynam distribuens minus egenti, egentiore prætermisso, ex eadem ratione mortaliter peccare, quod ex eo quòd multa requirit, difficile, & fortè impossibile iudicatur à Medina *in suo Codice de eleemosyna, cap. de his quibus est danda eleemosyna, & quo ordine*, §.*inde oritur dubium, in fine.*

4 Tertiò, nam habens collaterales in longissimis partibus, nunquam à se visos, aut cognitos, licèt de illis sciat, durissimum haberet, si sub peccato eisdem hæreditatem suam relinquere teneretur, cùm amicos, aut familiares anteponere voluisset, quos beneficia, aut affectio rationabilis anteposuit.

5 Quartò, quia Summistæ, quos viderim, huius peccati onus in testatoribus minimè adnotarunt, imò Syluest. *in summa*, & Sà *in suis Aphor.verb.hæreditas*, deficientibus ascendentibus, & descendẽtibus posse testatorem hæredem, quem maluerit, instituere, affirmarunt.

6 Non obstant modò ea, quæ præcitati Gomez, & Roxas pro sua sententia retulerunt, & in primis Ioan. Fab. pro ea relatus de peccato mortali expressè non loquitur. Rursus textus *in cap. si quis reliquerit* 30. *distinct.* & illud Augustini Gomezij *in cap. quicumque* 17. *quæst.*4. ab eodem nõ citatum, loquuntur in filiis, non in collateralibus, ideóque ad quæstionem, de qua suprà, iura hæc non adaptantur. Locus autem Scripturæ de libro Numerorum *c.*27. *dabitur hæreditas iis, qui proximi sunt*, de consilio potest intelligi, sicut locus Euangelij de danda eleemosyna, ibi, *quòd superest, date eleemosynam*, & scripsit Nauarr. *in cap. quiescamus* 42. *distinct.num.*43.

Et eleemosynam nisi in casu extremæ necessitatis sub præcepto non venire, nec ad mortale peccatum obligare, tradiderunt plures relati per eundem Sà *d. Aphorism.in verb. eleemosyna, n.*2. & per Nauarrum *in d.cap. quiescamus. num.*41. §.*contrariam tamen opinionem.* Syluest. *in summ. verb. eleemosyna, vers. Prima, num.*2. Summa Angelica *in eod. verbo, num.* 1. & est communis opinio secundùm eundem Medinam *d.Codice de eleemosyna, cap. de necessitate dandi eleemosynam*, §.*itaque de necessitate, vers. nec etiam est dubium.* Caietan. *in summ. eod.verbo*, §.*secundus est.* 7

Vnde secundùm hanc opinionem intelligo verba textus *in cap. non satis* 86. *distinct.* ibi, *grandis culpa si sciente fidelis egeat.* & postea *in fine, non est leue peccatum.* vbi Archidiac. *num.* 1. interpretatus est, id est, *mortale*, vt hoc in casu extremæ necessitatis accipiatur, præterquam quòd hæc vltima verba non sunt apud Ambrosium, vt additio illius capitis habet: at extra necessitatem extremam consilium, & melius sit, vt proximis subueniamus, vt vtar verbis text. *in cap. est probanda*, quod ponitur statim *in eadem* 86.*distinct.* & potiùs consanguineis, quàm extraneis subueniendum sit, ex allegata *glossa final. in cap.* 1. *de cohabit.Clericorum.* 8

Nec etiam obstat illud simile de obligatione alimentandi, quam fratres inter se habent, vt Roxas aduertit *n.*6. nam ad hanc obligationem datur actio alimentorum, quæ non datur pro hæreditate consequenda fratre, & consanguineo 9

guineo cum elogio decedente.

10 Quare resoluendo quæstionem existimo testatorem in proposita specie nullatenus mortiferè peccare in foro conscientiæ, excluso consanguineo paupere, & mendicante, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo per eleemosynam ei subuenire teneretur, iuxta suprà dicta, & hoc peccatum, etiam eo casu negandum, quo causa rationabilis adsit ad eleemosynam, seu hæreditatem denegandam.

11 Extra verò extremam necessitatem, si testator absque vlla causa de collateralibus cogitando noluit illis benefacere, ex eo quòd charitatem non ordinauit, possumus in eo peccatum veniale iudicare, quod omne inordinatum parit, Nauarr. *in d. cap. quiescamus, n. 42. in fine, & num* 54 in specie agit an ordo prædictus relatus *in d. cap. non satis*, obliget ad peccatū, & resoluit obligare in necessariis, hoc est quoad ea, quæ necessitatis extremæ causa circa consanguineos exercere tenemur; secus verò quod ad ea quæ extra eandem necessitatem exercentur, quæ licèt in eisdem collateralibus sint meliora; non tamen in aliis exercita sine causa sunt grauia.

12 Et ex hac ratione infert ad beneficiarium, vt satisfaciat impendendo fructus aliis pauperibus, quàm loci vbi situm est beneficium, vt ipse concludit *in tract. de redditibus Ecclesiast q. 1. §. 27.*

13 Quapropter licèt permissio legum culpam, & peccatum excludere videatur, debet tamen esse rationabilis, & iusta, ita vt etiam extraneum possit testator hæredem instituere, exclusis coniunctis pauperibus, quando vel illi sunt diuites, vt Gomez existimauit, vel quando non sunt totaliter in extrema positi paupertate, vel quando ex aliqua causa indigni possunt iudicari, quæ etiamsi non sit nimis vrgens, sufficiet ad eos excludendos, & in hoc sensu, & iuxta prædictam interpretationem possunt Gomezij, & Roxas sententiæ faciliter in suo casu restringi, & extra illum non extendi, & de hoc dubio consultus sic tenendum in praxi iudicaui.

In eâ tamen consulo, vt si quis de hoc dubio nimis sit anxius, & dubius, & prædictis non quiescat, quòd suam animam hæredem instituat, & sic ab inordinata charitate argui non poterit. nam ex *d. cap. non satis, & ibi* glossa prima, charitas incipit à se ipsa, Gutierr. cum aliis *pp. qq. lib. 4. quæst* 48. *num. 4.* vide prædicti collaterales, & consanguinei etiam in extrema paupertate constituti querelæ causam formare iustè non poterunt, cùm testator sibi potius, quàm illius subuenire teneatur. 14

QVÆSTIO XXVI.

Annotatio circa quoddam dictum Nauarri super peccato iudicis appellationem non admittentis.

SVMMARIVM.

1 *Refertur Nauarri dictum, nempe vt siue sit casus appellabilis, vel non, iudex peccat non admittendo appellationem.*

2 *Refertur aliud eiusdem auctoris dictum, scilicet iudicem peccare appellationem quam non debet admittens, & laudatur, & declaratur.*

Factum lege permittente pœnam non meretur, ibid.

3 *Interpretatur Nauarri primum dictū, vt procedat in iudice grauante.*

4 *Iura*

4 *Iura remouentia appellationem procedunt indice sine grauamine, & iustè iudicante.*

5 *In causis visitationis proceditur appellatione remota.*

6 *A iure appellatio prohibita nihilominus cum causa admittenda, ibid.*

7 *Quòd sententia credatur iniusta parum interest.*

8 *Traditur quædam ad iudices vtilis admonitio.*

1 DOCET Nauarr. *in manual. cap.* 15. de peccatis agens iudicis superiorem agnoscentis, *num.* 15. *§. nota tertiò*, quòd iura remouentia, & admittentia appellationem, procedunt in foro exteriori, quia in interiori index qui grauat, peccat non admittendo appellationem, vel alia via grauamen non remouendo, siue sit casus quo liceat appellare, siue non, qua in re plurimos peccare affirmat; quod dictum difficile videtur, seu, vt veriùs dicam, oppositum, & contrarium alio dicto eiusdem Nauarr. *in eod cap. n.* 13. *vers. & qui appellationem.*

2 Docens peccare iudicem, appellationem quam debet non admittens, aut admittens quam non debet, quæ doctrina vera est, & ab omnibus recepta, cùm vtroque casu præiudicium notabile inferatur, aut appellanti, cui negatur admissio, in qua suæ defensionis neruus: aut Reipublicæ, vel parti, cui conceditur admissio, in cuius negatione delictorum cohibitio, aut rei, seu iniuriæ satisfactio consistit; si ergo iudex peccat, appellationem quam non debet admittens, quia iura circa hoc disponentia sequi tenetur, cùm sint iusta: quo pacto dici potest quòd peccat non admittendo, etiam eo casu, quo non licet appellare? si non licet, ergo è contrario peccauit admittendo, & bene facit non admittendo, iuxta secundum dictum Nauarri *dict. num.* 13. alioquin omnes iudices, qui in causis excludentibus appellationem de natura sua, aut ex iuris dispositione, eam excludimus, & negamus, saltim quoad effectum suspensiuum, vtique omnes in peccato essemus, cuius contrarium iuris regula tenet, docens factum lege permittente, pœnam non mereri *l. Gracchus, C. ad l. Iul. de adult. cap. qui peccat* 23. *quæst.* 4.

Quapropter intelligendus est Nauarrus, quando iudex in causæ meritis, grauamen intulit parti, vtpote sententiam iniustam, & iniquam, pro ea ferens; vt constat *in dicto §. nota tertiò* ibi, *iudex qui grauat.* & ibi, *grauamen non remouendo.* & sequitur Rodriquez *in summa cap.* 13. *de la orden iudicial, n.* 3. quo casu licèt causæ natura, & conditio ea sit, vt appellationem excludat, & sit inappellabilis, peccauit tamen iudex appellationem non admittendo. 3

Iura enim eam remouentia procedunt, & accipi debent datis terminis habilibus, hoc est, quòd causa sit bene instructa, aut culpa, & delictum sufficienter probatum, & quando iudex iustè iudicauit, & non grauauit. 4

Exempli gratia, in causis visitationis proceditur appellatione remota quoad effectum suspensiuum, ex Tridentino *sess.* 12. *cap.* 1. *de reform.* relato per Nauarrum *d. loco num.* 15. si autem Episcopus, aut eius visitator in visitationis causâ procedens sententiam absque sufficienti culpæ probatione tulisset, & postea appellationem refutasset, vtique dupliciter peccasset. Primò, quia iniquè iudicauit in sententiando. Secundò, quia remedium appellationis exclusit, sciens causam fundamento, & radice probationis destitutam (quæ probatio necessariò supponenda in prædicta culpæ correctione, & visitatione) 5

tione) aut sciens grauamen quod ipse causauit,& sic hoc aliis exemplis poterit demonstrari.

6 Et confirmatur ex his quæ tradit Couarr *pract.qq.cap.*23.§.*secunda conclusio.* nempe quòd vbi à iure prohibita est appellatio,nihilominus est admittenda si causa iusta in appellatione expressa fuerit, & eo modo accipiendus est Nauarr.*in d.*§.*nota tertiò*, qui in sequenti versiculo *nota quartò,* se se amplius declarauit, dicens quòd ad hoc vt iudex peccet non admittendo appellationem,requiritur quòd sententia sit iniusta secundùm acta,aut credatur esse ipsa re iniusta, & per agenda de nouo possit monstrari esse talis.

7 Quod vltimum non placet, nam credulitas circa sententiæ iniustitiam parum est attendenda, cùm plures sententiæ credantur iniustæ,etiam re ipsa, quæ visis actis per superiorem examinatæ confirmantur, & laudantur. hæc autem declaratio iudicibus fauet, vt ab eorum animis dubium circa peccata remoueatur inter iudicandum commissa, vnde illam aduertere non pœnituit.

8 Admonendo eos vt si causæ meritis attentis iustam eorum iudicio sententiam promulgarint,& casus de iure exequutionem exposcat appellatione remota,ad eandem exequutionem necessariò procedant, Deo optimo maximo mercedem pro recta iustitiæ obseruatione reddituro, & aliàs culpæ rationem de eiusdem appellationis iure refragante admissione requisituro; si verò aliquando contra iuris ordinem suadente Diabolo iudicauerint,& postea pars iudicata ad remedium appellationis conuolauerit, tunc etiamsi aliàs causa sit exequibilis,prædictum remedium faciliter admittam, vt per superiorem, iniquum iudicium in iustum reducatur, ne aliter duplici culpæ contagio eundem Deum etiam minimum, & imperfectum videntem iratum habeant,& inimicum sentiant.

QVÆSTIO XXVII.

Non vulgaris.

An contra excommunicatum toleratum procedi possit, si in excommunicationis incursu per multum tempus insorduerit.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicati, & denunciati sine dubio sunt pœna temporali puniendi, & in illis leges Regni procedunt.*

2 *Attenta tamen lege particulari, aut consuetudine, etiam tolerati puniri poterunt.*

3 *Referuntur verba Toletanæ constitutionis, & declarantur.*

4 *Comprobatur quòd toleratus excommunicatus dignus sit punitione.*

5 *Talis excommunicatus censuras contemnit, & ex contemptu reus est.*

6 *Ad leges Regias, quæ de tantùm denunciatis loquuntur, respondetur.*

7 *Quomodo intelligatur tolerare, & castigare, declaratur.*

Excommunicatus toleratus per denunciationem in nihilo adiuuatur, ibid.

8 *Refertur praxis procedendi contra prædictos excommunicatos, & quòd iudex Ecclesiasticus potest circa pœnas leges Regias imitari.*

9 *In eisdem pœnis quæ partes ad iudicem Ecclesiasticum attineant, demonstra*

demonstratur, & quæ ad denunciatorem, & quòd iudex Ecclesiæ potest in totum, seu pro parte legi ciuili adhærere, & Ecclesia potest illam acceptare pro se, & recusare contra se.

10 *Excommunicatio cessat si iurisdictio iudicis cessarit, & exponitur.*

11 *Affertur quoddam exemplum expositionis.*

12 *Ponitur alius casus practicatus de eisdem toleratis.*

13 *Alius etiam excommunicatus toleratus punitus describitur, & arbitrarias esse pœnas talium in iudice Ecclesiastico adnotatur.*

1 DE excommunicatis toleratis non est vulgaris quæstio. nam contra excommunicatos, denunciatos, & publicatos, vt euitentur, dubium excluditur apertum, namque est illos esse pœna temporali puniendos, cùm iam eorum contumacia publicè sit omnibus cognita, & denunciata, & ita communiter practicari solet virtute legum Regni 1. & 2. *tit.* 5. *lib.* 8. *recopilat.* quæ lex 2. declarans primam, expresse disponit pœnas contra excommunicatos contumaces, solùm esse exequendas in excommunicatis vitatis, & denunciatis ab Ecclesia, non autem in toleratis, vti adnotauit Ioannes Gutierr. *canon. qq. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 17. eandem sententiam tenuit Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. tit. praxis excommunicat. decis.* 459. *num.* 9. vnde ad quæstionem propositam eam clari iuris esse videbatur, cùm ex prædictis legibus, & auctoribus ad pœnas excommunicatis obstinatis infligendas omnino publicatio, & denunciatio requiratur, & sic in occultis, & ab Ecclesia toleratis non cadere perspicuum erat.

2 Sed licèt hoc attento iure huius Regni legitimè procedat, attenta tamen speciali consuetudine, aut constitutione Episcopali, seu Archiepiscopali aliud erit obseruandum, veluti in hoc perillustri Toletano Archiepiscopatu adest constitutio 2. sub *tit. de sent. excommunic.* in qua præcipitur, vt tales obstinati in excommunicatione puniantur, prout vsu, & consuetudine eiusdem Archiepiscopatus solitum est. Insuper etiamsi per annum in excommunicationis obstinacia permanserint tanquam de fide suspecti, & etiam aliis pœnis coërceantur, & cùm in eadem constitutione nihil de denunciatione, aut publicatione dicatur, illam statuto, & consuetudine omissam, per nos inter iudicandum etiam omittendam dicendum erit.

Verba constit. hæc sunt, *Gran peligro es de las animas de los fieles que se dexan estar mucho tiempo à sabiendas en sentencia de excomunion, y los tales assi endurecides que por mucho espacio de tiempo estan en su pertinacia excludos de la excommunicacion de los fieles no carecen de sospecha*, &c. & ibi, *Estatuimos, y ordenamos que demas de las penas estatuidas en derecho. y constitutiones Synodales vso y costumbre deste nuestro Arcobispado que se ha tenido, y tiene en proceder contra los excomulgados*, &c. & ibi, *Y si fueren legos sean castigados, y penados segun el tiempo que huuieren permanecido en la excomunion, y la calidad de su pertinacia*, &c. Illa enim verba, *Excludos de la communicacion de los fieles*, non petunt necessariò denunciationem, nam excommunicatio etiam tolerata priuat statim excommunicatum communione fidelium, iuxta ipsius definitionem, nec enim per denunciationem in aliquo ipse releuatur, vt infrà dicetur *num.* 7. Ecce dum dicit constitutio, *contra los excomlugados*, non addidit denunciatos, aut pu- 3

blicatos. quare vbi lex non distinguit, nec nos distingŭere dubemus.

4 Et meritò.nam excommunicatus incursus,& toleratus qui respectu sui factus est membrum Diaboli, & à communione, & consortio Ecclesiæ segregatus, & qui in eadem excommunicatione diu innodatur,claues Beati Petri, & eius successoribus commissas paruipendendo, cur innoxius, & impunitus erit relinquendus? alioqui delictum hoc, & peccatum esse remedio, & medicina destitutum diceremus? & quòd Ecclesia, quæ illud noscit,& videt,in eadem participatione delinquere non puniendo videretur? quod nec

5 cogitandũ fas erit. †Vlteriùs is,qui est excommunicatus per aliquem iudicem Ecclesiasticum cum intimatione censuratum, licèt non sit à Parocho denunciatus, ex contemptu tamen censuratum reus fit,*cap.grauem,& ibi glossa,verb.contemnendo,de pœnis*, tradunt cum Couarr. *in cap. alma mater, de sentent.excomm.1 part.§.7.num.*10 Riccius *d.decis.*459. *num*.4. Genuensis *in praxi Archiep. cap*.7. *num*.1. *&* 4. vbi explicat quòd dicatur contemnere cẽsuras, qui in termino sibi præfixo per iudicem Ecclesiasticum, à quo fuit excommunicatus, non soluit debitum. Franc Marc.*decis.*606. Item qui longo tempore absolutionem non petit, dicitur contemnere censurari, iuxta *d.c. grauem*, & probat ex his Genuensis, quòd talis excommunicatus qui contemnit, possit temporali pœna puniri per iudicem Ecclesiasticum, vt *ibi n*.1. *&* 4. nec petit ad punitionem, publicationem, aut denunciationem censuratum.Pater Auila *de censur.2.p.cap.6. disput.9 in fine.*

6 Nec obstat statutum legis Regni 2. suprà relatum, quo cauetur, ibi, *y las penas que se ponen a los descomulgados, que por la Iglesia contolerados inuchan de executar*,& in principio ibi, *la pena que se pone à los descomulgados, se ha de lleuar siendo la sentencia de excomunion publicada, y denunciado que la Iglesia euita*, &c. nam iudex sæcularis habet oculos tardos,& pingues in discernendo, quasi iurisdictionem corporalem, & non spiritualem exercens; ideò vt de publica tantùm, & notoria excommunicatione cognoscat,conuenientius decernitur; Ecclesiasticus autem cùm subtiliùs inspiciat,& discernat,ideò occulta,& tolerata excommunicatio, vt eam puniat,ipsi erit relinquenda, & in iudicibus sæcularibus cadit lex Regia proximè relata,quam etiam contra excommunicatos toleratos poterit Ecclesiasticus practicare circa pœnas in ea contentas per modum imitationis, quando tale delictum necessariò debet punire, & alia lex, aut Ecclesiastica constitutio non adest, quæ de pœnis loquatur,expresè Salcedo *in pract.crimin.cap.*55 *§.tertiò,vers.non tamen diffiteor.*

Nec etiam obstat, quòd si excommunicatus est toleratus, & Ecclesia cùm tolerat non possit puniri. id enim significare videtur tolerantia prædicta, nec enim coniungi possunt tolerare,& pro eadem re procedere, & castigare; nam admissa temporis diuisione, hæc repugnantia cessauit, tolerat Ecclesia excommunicatum occultum pro aliquo tempore, non pro multo. tunc enim tolerantia cessat, & subintrat castigatio, quando excommunicationis contemptus comprehenditur. Item alio modo tolerat, quoad participantes,cum excommunicato relato & occulto, vt minori excommunicatione non ligentur, quousque ille publicè sit denunciatus, & publicatus,iuxta iuris formam, ex decretis Constantiensi, & Basiliensi relatis à Gutierr. *lib.* 1. *can. quæst. quæst.*1. *per totum*, non tolerat 7

quoad

quoad ipsum excommunicatum, ipse enim statim affligitur, & ligatur effectibus excommunicationis, quæ secum trahit executionem. nam per denunciationem excommunicatus ampliùs non ligatur, nec per eam in aliquo adiuuatur, aut releuatur, ex eodem decreto Constant. & refert Gutierr. *d. cap.* 1. *num.* 36. *& seqq.* Genuensis *in practicab. quæst.* 761.

8 Vnde iure optimo receptum est in praxi apud iudices Ecclesiasticos, quòd etiam aduersùs prædictos excommunicatos toleratos, & diu innodatos insurgant, constito de contemptu excommunicationis, & memor sum eos puniuisse pœnis contentis *in dict. l.* 1. *tit.* 5 *lib.* 8. *recopil.* nempe excommunicatum qui per triginta dies stetit, incursum sexcentis morapetinis, nam iudex Ecclesiasticus easdem pœnas Regias, etiam extra casum earum, nempe in toleratis excommunicatis per modum imitationis, sicut in denunciatis sequi, & imponere posse indubium est, idem Gutierr. *dict. lib.* 1. *can. quæst. cap.* 12. *num.* 5. *&* 6. Salcedo *in practic. can. cap.* 116. *num.* 7. *&* 8. & hoc quando constitutio synodalis pœnas in specie non decernit, erit intelligendum, aliàs eius tenorem necessariò sequendum manifestè colligitur, & cùm Toletana pœnas contra excommunicatos laicos expresè & specialiter non ponat, sed tantùm aduersùs Clericos, ideo inter iudicandum legem Regiam sequutus & imitans, eosdem laicos, prout ibi coërcuisse memini, nempe pœna sexcentis solidis in tres partes diuisis iudici fiscali & Ecclesiæ applicatis.

9 Postea tamen aduertens quòd duæ partes applicantur Prælato, vna qui sententiam excommunicationis fulminauit, & iudici; altera qui legem exequitur, in eamdem formam vtramque pœnam Prælato fulminanti, itémque iudici exequenti applicauimus, eumdem Gutierrez ita de consuetudine testantem, *d. cap.* 12. *num.* 6. sequuti, & Aceued. *in d. l.* 1. *tit.* 5. *lib.* 8. *recopilat. num.* 215. *& seqq.* Salcedo *in pract. crimin. cap.* 116. *num* 8 Sed quia applicatis iudici & Prælato duabus illis partibus, si tertia Ecclesiæ applicaretur, Fiscalis denuncians in nihilo proficeret, duxi etiam similiter, & statui illam Ecclesiæ tertiam eidem applicare denuntiatori, vel inter eum & Ecclesiam diuidere, cùm iudex Ecclesiasticus possit, non autem debeat legum prædictarum tenorem sequi, & ita vel in totum adhærere, vel discedere, seu partim, aut diuisim, pro suæ mentis arbitrio valebit. expresè Salcedo *in practic. crimin. cap.* 55. § *tertiò minimè*, & dicam infrà *quæst.* 30. *num* 9. Genuensis *in practicab. Eccles. quæst.* 508. *n.* 2. vbi ex aliis probat Ecclesiam posse recipere legem pro se, & recusare contra se, cùm semper seclusa illa lege priuilegiata remaneat, vt *in d. num.* 2. *vers. oportet enim*, exponit ipse Genuensis, & fortiùs cum causa necessaria, qualis est vt denunciator, qui solicitudinem causæ, & probationum sustinet incommoda, aliquo solatio & commodo releuetur.

Cùm adhuc hæc scriberem, sese obtulit alia quæstio ad eosdem excommunicatos toleratos spectans. Denunciatus fuit quidam Clericus, quia duo in excommunicationis vinculo permansisse accusabatur; attento tamen tempore sententiæ, & die, in qua incurrisse dicebatur, inuentum fuit quòd ante dictum diem, & sic ante incursum, iurisdictio iudicis excommunicationem promulgantis cessauit, vt quia amotus fuit, aut suspensus, aut ad aliam sedem euocatus. Iudicaui non esse locum denunciationi præfatæ. nam excommunicatio cessat cessante iurisdictione iudicis eam promulgan- 10

tis,& non ligat, dummodo ante cessationem iurisdictionis non ligauerit,nec excommunicatus ligatus iam,& incursus steterit: tunc enim tandiu durat, quandiu ipse absolutionē non procurauerit,celebris gloss. *verb.non nisi subditi, in fine, in cap.à nobis,el primero,de sentent. excommun.* quam commendat & communem vocat Nauarr. *cap.* 27. *de censuris,num.* 2. Pater Auila *tractat. de censuris,2.part.cap.1.disput.2.de diuisione excommunicationis, dub. vnic.* §. *tertiò diuiditur, in fine*, cum Syluestro *in summa*, ab eo relata, *num.6. in fine.* Pater Sà *in suis Aphorism. verb.excommunicatio,num.* 5.

11 Quod claro quodam exemplo comprobatur, si duo velint contendere inter se, & vnus brachium cum ense ad percutiendum, alterum leuauerit, & ante ictum ensis, ceciderit à brachio, seu ablata fuerit per alium, quòd ille percussus non remansit, nullus dubitabit, quòd si post ictum & percussionem ensis casus & ablatio contigerit, similiter ictus & percussio durabit vsquequo medicamentis fuerit exclusa; sic licèt Ecclesiasticus censuras suas & armatum brachium contra aliquem extendat,si ante ictum cessant arma & iurisdictio, brachij extensio nocere non potuit, quæ vtique nocuisset, si percussio cessationem præcessisset, donec noxam & damnum absolutionis salus excludat.

12 Postea alius excommunicatus toleratus,qui per annum, & amplius,petit incursus, coram me fuit accusatus, & præscriptam resolutionem sequutus eum de more admonui,& insuper tribus mille morapetinis condemnaui in tres partes diuisis duobus iudici exequenti legem Regiam, & eidem vti Prælato censuras fulminanti, & altera fiscali applicatis, temperando rigorem eiusdem legis,ex eo quòd denunciatio & publicatio excommunicationis aberat in causa, qua absente & eamdem legem iudice attendente, & non stylum, aut synodale statutum, in nihilo poterat excommunicatus toleratus condemnari, ex *d.l.2.* suprà relata; sed discedimus ab eadem lege, puniendo ex supradictis, excommunicatos diu toleratos, & eidem adhæremus quoad applicationem & imitationem pœnarum, ex ratione suprà tradita *num.9.* nempe, quia iudex Ecclesiasticus non eidem legi seculari necessariò subiicitur, & quòd arbitrio suo vel in totum, vel in partem illam quoad pœnas poterit imitari, ex Salcedo *in practic.crimin. cap.* 55. §. *tertio minimè.* æquum namque est iudici cui munerum prohibita est receptio, sit licita applicationis legalis quoad pœnas imitatio, cùm iure suo,& permissione legis vtatur.

Condemnauimus etiam alium excommunicatum denunciatum, & publicatum in tabula Ecclesiæ,in qua excommunicati ascribuntur, & qui per quatuor menses sic permansit,in tribus aureis,provt suprà diuisis.& licet *l.Regia* 1. *tit.*5. *lib.*8. *recopilat.* solùm pœnam decernat sexcentorum morapetinorum,contra excommunicatum, qui per triginta dies excommunicationem contempsit,& postea eamdem pœnam augeat contra eum, qui per sex menses sic vixit innodatus, vnde videbatur excommunicatum per quatuor menses, qui ad sex non vsque peruenit, in eisdem sexcentis morapetinis, & non vltrà, esse condemnandum;attento tamen quòd hic casus omissus fuerat ab eadem lege,& quòd crescente malitiæ delatione, pœnam similiter augere iustum videbatur; ideo in præsenti,illam contra prædictum excommunicatum auximus arbitrio iudicis in casibus omissis adhibito, Menochius *de arbitr. casu* 263. *num.* 3. eo magis cùm iudex 13

Eccle

Ecclesiasticus eidem legi Regiæ non subiiciatur, vt suprà *num 9.* & synodalis Toletana eius arbitrio pœnas contra laicos eas omittendo committat.

QVÆST. XXVIII.

Non vulgaris.

An decreta, excommunicationes, seu mandata in visitatione facta expirent, & finiantur finita, & expleta visitatione.

SVMMARIVM.

1 *Execratio ponitur contra Promotores huius quæstionis.*
2 *Decreta in visitationis iudicio facta sunt perpetua.*
3 *Ampliatur si de vna in alteram visitationem confirmentur.*
4 *Ponitur quid in praxi circa conclusionem obseruetur.*
5 *Visitatores solùm de vltimis mandatis inquirunt, & puniunt.*
6 *Traditur alia limitatio, nempè in mandatis, & decretis derogatis, vt non feriant.*
7 *Admonitio ad Visitatores describitur contra eosdem huius dubij promotores.*
8 *Solus Deus potest linguam effrenatam alligare, & ponitur remedium hominibus possibile.*

1 INTER visitandum hæc quæstio sese obtulit. nam aliqui vaniloqui, quorum arrogantia, & superbia nullum iudicem sustinere potest, vt ipsius gladium, & iudicium effugiant, varias euasiones excogitant, & mandata, & præcepta superioris excludunt. Quapropter ea, quæ in visitationis iudicio statuuntur, ipso finito & completo, amplius non durare, imò finiri iactarunt, & licèt pro tunc auctorem dicti quærere curassem, vt contra eum pœnis debitis procederem, postea tamen veritatem dilucidè, & breuiter explanare decreui, vt aliquando ea comperta aliquorum ignorantia exterminetur.

Sit conclusio quòd talia decreta cum visitationis actu non pereant, sed perpetuò durent, quia sunt perpetua, & vim legis habent. Sot. *in 4. sentent. distinct. 22. quæst. 2. art. 1. §. sed minores Prælati*, loquens in excommunicationibus, & censuris Visitatorum, & cum aliis Pater Auila *tract. de censur. 2 part. cap. 1. disput. 2. dubio vnic. §. tertiò diuiditur, & cap. 3. disp. 1. dubit. 4. §. dico secundò.* Iacob. de Graffis *decis. aur. conscient. 2. tom. lib. 3. cap. 7. num. 67.* Probatur etiam ratione. nam fructus finis, & scopus visitationis, nempe emendatio, & correctio morum, ex Tridentino *sess. 24. cap. 3.* totaliter euanesceret, si decreta circa eundem scopum, & finem in visitatione relicta ipsa finita finirentur; & ad nihilum ipsa visitatio proficeret, vnde vt tantus error, & perturbatio status Ecclesiæ euitetur, necessariò ipsa decreta perpetuitatem habere asserendum erit. 2

Ampliatur hæc conclusio, vt multo securiùs procedat, si ex vna visitatione in alteram decreta, & mandata præterita confirmentur, prout praxi receptum est, de qua ego testimonium præsto, & aduertit Piasecius *in praxi Episcop. de visitatione, part. 3. cap. 34. de decretis conficiendis, §. vlt. loco ponatur*; confirmatio namque robur eidem perpetuitati præstat, & antiquitatem, seu mandatorum vetustatem ipsis renouatis euertit. 3

Limita

4 Limitatur primò dicta conclusio, & ampliatio, vt de facto, & attenta acceptione, & consuetudine talia decreta, & mandata antiquata, licèt confirmatio generalis semper adhibeatur, non tamen durant, nec feriant, nisi specialiter aliquod eorùm in vltima visitatione sit renouatum. nam si omnia acta præcedentium visitationum essent attendenda, infinitus esset numerus eorum, & exequutio impossibilis, item ex variis circumstantiis, & mutatione rerum, & temporum non proficua.

5 Vnde meritò Visitatores de Obseruantia, & complemento vltimorum decretorum solùm inquirimus, & negligentia pœnis arbitrariis, seu appositis coërcemus; de præteritis verò mandatis antiquatis, seu oblitis nihil tractamus; tum quia eorum exequutio in sequenti visitatione fuit postulata; tum etiam, quia exequutores ipsorum, nempe actoris rerum Ecclesiæ, seu Parochi quotannis mutantur, & variantur in vnaquaque visitatione, & sic præsens, seu vltimus actor, seu Parochus de mandatis in aliorum actorum, seu Parochorum tempora statutis non curat; quare si aliquod in præsenti, contigerit impleri; oportet renouari in vltima visitatione, eiusque implementum nouissimo actori, seu Parocho notorium facere, vt postea in immediata visitatione legitimè possint morosi reputari, itaque resultat in praxi prædicta acta, seu decreta nouissima vltimæ visitationis esse timenda, & ligare si censuras habeant inobedientes, & contumaces, quousque super eisdem decretis, & actis alia visitatio subsequatur, tunc enim iam de nouis statutis agitur, & præterita licèt de stylo generaliter confirmentur, hæc tamen confirmatio nisi specialis sit quoad pœnas, & censuras, robur non accipit, quod vt accipiat, mandatum præteritum in specie renouandum erit, & annunciandum, vt dixi, & sic tacitè reuocantur prædicta decreta, si non renouentur in specie: vnde nil mirum, si non durent, nec timeantur: confirmatio autem generalis per Notarios apponi solita interim dum specialis non vertitur, effectum nullum operatur.

Limitatur secundò, si non tacitè reuocentur præterita decreta, non renouata, vt in præcedenti limitatione, sed expresè derogentur, & destruantur, tunc namque clarum est non ligare, nec in considerationem venire, quia non sunt ex eisdem Soto, Auila, & Graff. suprà relatis. 6

Monemus autem Visitatores omnes, vt si quando aliquem errorem prædictum iactare compererint, generaliter, & indistinctè decreta præfata cum visitationis termino terminari vomitantem, contra eum statim insurgant, & tanquam status Ecclesiæ perturbatorem coërceant, imponendo illi vt contrarium eius quod dixerat affirmet coram audientibus, insuper pro vomitu præiudicij, & imprudentiæ pleno pœnam pecuniariam Visitatoris arbitrio persoluat. 7

Licèt enim difficilis sit in loquacibus, linguæ effrenatæ moderantia, cùm solus Deus ipsam compescere, & opprimere potens inueniatur, nihilominus pœnis aliquibus temporalibus aliquando, qui nimis in loquendo modum excedit, poterit ad alium discretionis, & temperantiæ modum peruenire, quo iam non quidquid nimia verbositas, & inconsiderata loquutio velit, sed quod purè veritati, & sobrietati quadrat, homo pronunciet; ideò tunc custodiendo os suum custodiet animam suam, vt dicitur Prouerbiorum *cap.* 13. & additur, qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. quasi quòd pœnas, & mulctas aliquas, 8

quæ

quæ ſunt mala, ſentiat, qui, vt dictum extat ad loquendum, inconſideratus eſt, quibus malis conſideratus, & ſobrius efficiatur.

QVÆSTIO XXIX.

Circa teſtimonia laicorum contra Clericos in cauſis criminalibus quid de iure, & in practica obſeruetur.

SVMMARIVM.

1 *Laici teſtificari non poſſunt contra Clericos in cauſa criminali.*
Vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ibid.
2 *In praxi non obſeruatur priuilegium hoc Clericorum.*
3 *Vſus huius praxis in quo fundetur refertur.*
4 *Limitatio priuilegij à Doctoribus tradita, nempe quando veritas aliter probari nequit, iam communiter eſt recepta.*
5 *Si delictum Clerici Clericis, & laicis præſentibus committeretur, laici teſtes repelli poterant parte opponente.*

1 NOTA eſt diſpoſitio iuris Canonici *in cap. de cætero, de teſtibus*, ad hoc vt laici contra Clericos in criminali cauſa nullatenus admittantur ad teſtimonium, quam concluſionem pluribus ampliationibus, & limitationibus exornat Farinac. *tract. de teſtibus, quæſt. 61. oppoſitione 13.* & eam indiſtinctè in criminibus non exceptis accipiendã, & tenendum affirmat Fachinæus *controuerſ. iur. lib. 12. cap. 77.* vbi ad duas rationes contrarias reſpondet, eas fuiſſe à conditoribus ſacrarum conſtitutionum præuiſas, & nihilominus laicos teſtificari aduersùs Clericos non poſſe ſtatuerunt, propter eorum reuerentiam, & vt laici occaſionem non haberent illis nocendi, quos odio proſequuntur, & cùm Canones inter delicta occulta, & publica, clandeſtina, & notoria non diſtinguant, nec nos diſcernere debere reſcribit: eo maximè, quia ſi dictæ rationes attenderentur, rarò laici à teſtimonio contra Clericos arcerentur, coram quibus Clerici delinquentes nunquam, aut rariſſimè delinquunt, ſed in occulto delicta committunt, atque ita conſiderandum non eſſe, an delicta remaneant impunita, vel an occaſio detur Clericis delinquendi, vel an in ſubſidium laici contra ipſos admittantur.

Sed licèt acerrimè Clericorum priuilegium tueatur Fachinæus, illud tamen praxis exinaniuit, quia rarò, aut nunquã de eo opponitur inter iudicãdũ in cauſis criminalibus Clericorũ, in bus indiſtinctè laici tam maſculi, quàm fœminæ teſtes admittuntur contra illos, & ſi aliam notam, & oppoſitionem non habeant, ipſis ſtatur, & ex eorum diſpoſitionibus Clerici criminaliter iudicantur, & condemnantur, & nunquam, quod meminerim, vidi de hoc impedimento, aut obſtaculo in prædictis cauſis criminalibus tractari; quaſi quòd illud per praxim ſit aliquantulum reiectum, & oblitum in Audientiis Eccleſiaſticis, † quarum vſus in eo forſan innititur, nempe in difficultate probationũ, quæ, ſi Clerici tantùm teſtes contra Clericos admitterentur, neceſſariò ſequeretur, & omnia delicta impunita remanerent, & Reſpublica eorum exceſſibus abundaret, & periret, † vnde quod Farinac. *d. loco*, cum aliis pluribus limitando docuit, nempe 2 3 4

regulam *d. cap. de catero*, restringendam esse, eo casu quo veritas aliter probari non possit, iam prædicta praxi confirmatum extat ex rationibus proximè relatis, quas etiam sequitur, laudat, & secundùm eas iudicatum refert Ceuallos *com. contr. com. quæst.* 180. *num.* 24. † Quare si delictum præsentibus Clericis, & laicis commissum esset, & illi testes possent adhiberi, hi non rectè admitterentur contra Clericum delinquentem, &, si per partem eius opponeretur contra laicos testes, vt reiicerentur à testimonio, deberet iudex eos repellere, conformando se regulæ, & prohibitioni Canonicæ; sin autem Clericus reus hanc oppositionem omitteret, iudicabitur laicorum testimoniis, prout de consuetudine, & imputet sibi si eorum dictis acquieuit magis, quàm depositionibus Clericorum.

5

QVÆSTIO XXX.

Non vulgaris.

Super Pragmatica taxæ panis ad forum Ecclesiasticum pertinens annotatio.

SVMMARIVM.

1 *Pragmat. taxa panis ad peccatum, & restitutionem obligat.*

2 *Ad subditos interpretatio legis non pertinet.*

3 *Non excusantur subditi ob sterilitatem in foro exteriori.*

4 *Nec etiam in interiori.*

5 *Refutatur dictum Mexia in hac materia.*

6 *Gutierr. dictis in quæstione proposita adhærendum est.*

7 *Pragmatica panis Clericos, & personas Ecclesiasticas comprehendit.*

8 *Clerici ob dicta Pragmat. transgressionem puniuntur in Audientiis Ecclesiasticis.*

9 *Iudex Ecclesiasticus in totum, vel in partem potest pœnas Pragmaticæ imitari.*

10 *Non rectè faciet ipsas sine causa minuendo.*

11 *Clericus etiamsi condignè non sit punitus de hac transgressione, per iudicem Ecclesiasticum à sæculari nequit iterum puniri, & refutatur Mexia.*

12 *Authores Mexia non loquuntur in Clericis, sed in laicis, in quibus distinctio communis est pœna condigna, vel non.*

13 *An iudex Ecclesiasticus possit transgressores laicos punire, & proponitur pars affirmatiua ratione peccati.*

14 *Pars negatiua pro regula traditur.*

15 *Limitatur vt de peccato corripiatur, & moneatur à iudice Ecclesiastico.*

16 *Limitatur in casu Societatis.*

17 *Dicitur quòd hæc li[mi]tatio non est in vsu.*

18 *Limitatur si laicus coram Ecclesiastico accusatus proroget ipsius cognitionem.*

19 *Non adest lex Regia vt laicus conuentus coram iudice Ecclesiastico declinet eius iurisdictionem.*

20 *Laicus super prorogatione dicta molestari nequit.*

21 *Limitatur in negociatoribus Ecclesiarum, & locorum piorum.*
De sacrilegio cognoscit iudex Ecclesiasticus, ibid.

22 *Laicus delinquendo cum re Ecclesiæ quasi contrahit cum foro Ecclesiastico,*

stico, & cognoscit iudex Ecclesia de bonis eius.

23 *Refertur casus vltima limitationis practicatus.*

24 *Absolutus ab hac transgressione Pragmatica in prædicto casu, fuit in expensis condemnatus, & redditur ratio.*

1 PRæsupponimus fugiendum esse ab illis, qui eandem Pragmat. in casu magnæ inopiæ, & sterilitatis, nec ad peccatum in conscientia, nec ad restitutionem obligare asseuerarunt. quorum sententiam benè confutat Gutierr. *lib. 4. practicar. qq. quæst. 61. per totam, à num. 8. & sequent. & lib. 2. quæst. 18. à num. 9.* eruditus valde Alfonsus de Castro *in suo tract. de potest. leg. pœn. lib. 1. cap. 12. §. alia fuit olim lex*, vbi loquitur in eodem casu sterilitatis.

2 In quo subditi legem interpretari authoritate propria non valent, suum enim est obedire, & adueniente necessitate ad legislatorem, si per tempus licuerit, pro declaratione recurrere, idem Gutierr. *d. quæst. 61. num. 16. & num. 23.* vbi tres ad prædictam regulam limitationes subnectit.

3 Et ita in foro exteriori transgressores dictæ Pragmat. eiusdem sterilitatis magnæ præiudicio non excusantur, præcipuè cùm Pragmaticæ in eadem sterilitate loquantur, & refert idem Gutierr. *d. quæst. 180. num. 11. in fine, & d. quæst. 61. etiam num. 11.*

4 Nec etiam in interiori ex tenore dictarum Pragmatic. vbi expresse obligatio ad peccatum, & restitutionem continetur, & fatentur quamplurimi per eundem Gutierrez relati *dict. quæst. 180. num. 9. & sequentibus, & dict. quæst. 61. dict. num. 9.* & aliis.

5 Nec audiendus est Mexia *super eadem Pragmat. panis, 2. conclus.* qui iustitiam esse naturalem affirmat, vt vendi possit triticum eo pretio, quo verè, & realiter stat, ita vt venditor nihil lucretur, sed valorem, & damnum suum retineat. nam imò iustitia naturalis dictat, quòd eo casu venditor damnum sentiat quando aliis annis fertilibus, & copiosis abundantiùs lucratus fuit; & ita compensatio annorum inducit æqualitatem eorum, super qua ratio naturalis innititur, vnde argumentum Mexiæ contra ipsum ex eadem ratione retorquetur, & notat idem Gutierr. *d. quæst. 180. num. 32. & 30.* & aliis, in quibus sententiam Authoris eiusdem improbat. † Quapropter omnino Gu- 6
tierr. dictis in hac materia adhærendum est, & firmè tenenda conclusio, quòd in vtroque foro prædictæ Pragmaticæ panis data parua, aut magna sterilitate, sub peccati, & restitutionis pœna in foro interno, insuper & sub aliis pœnis ibi contentis, in externo seruari debeant, exceptis limitationibus ab eodem Gutierr. relatis, quæ veræ sunt, *d. quæst. 61. num. 23.*

Præsupponimus etiam dictas Prag- 7
maticas iustas esse, & comprehendere Clericos, & personas Ecclesiasticas tanquam publicam omnium vtilitatem respicientes, qua stante Clerici subiiciuntur eisdem Pragmaticis ex vi legis naturalis, & diuinæ, quæ iustum pretium rerum seruari suadet, idem Alphonsus à Castro *d. loco, vers. ex quo apertè deducitur.* idem Mexia, cum aliis, quos omitto, *in d. Pragmat. 5. conclus. à num. 1. & sequentibus.* Victoria, & Soto relati à Fr. Emanuele Rodrig. *in summ. 1. part. cap. 195. num. 1.* plures congerit Gutierr. *pp qq. lib. 4. quæst. 38. à num. 1. & seq. præcipuè num. 12.* & hæc est probabilis opinio, vt retulimus *suprà q. 11. num. 10.* vbi contrariam probabiliorem vocauimus in puncto iuris ex Genuēse

*in praxi Archiep. cap.*74 vbi omnibus contrariis in specie respondet, & præcipuè *num.*5. quòd potest iudex se conformare cum statuto, & Pragmatica laicorum, si iusta ei videatur, sicut fecit Vincent. de Franchis *decis.*9.

8 Quibus præsuppositis inde resultat iustè introductum esse in Audientiis Ecclesiasticis, vt Clerici easdem panis Pragmaticas transgredientes à iudicibus, & Vicariis puniantur, prout praxis obseruat, pars enim damnificata coram Ecclesiastico querelam præsentat aduersùs Clericum transgressorem, vel promotor Fiscalis, & causa legitimè comprobata Clericus post debitam delicti, & peccati monitionem ad damni restitutionem compellitur, insuper pœnis *in d. Pragmat.* contentis condemnatur.

9 Quis etiam, vel in totum, vel in partem iudicem Ecclesiasticum imponere, & imitari, posse dixi suprà cum aliis *quæst.* 27. *num.* 9. & fatetur cum aliis idem Mexia *d. conclus.* 5. *num.*72. arbitrio namque suo relinquenda erit hæc mulcta pecuniaria.

10 Verùm ipse iudex non rectè faciet si absque causa ipsas pœnas Pragmaticarum minuat, constito de culpa, & data possibilitate in persona rei, nisi eius paupertas, aut alia pietatis ratio diminutionem, aut moderationem exposcat.

11 Et iuxta eam pœna moderata in Clerico apertum est, quòd à iudice sæculari iudicari amplius non possit, eo prætextu quòd sufficienter ab Ecclesiastico punitus non sit, aut negligenter, vt indignè errore scripsit idem Mexia *d. conclus.* 5. *num.*73. *iuncto num.*71. & 72. Notorium namque est iudicem sæcularem incapacem esse iurisdictionis Ecclesiasticæ, maximè in Clericis qui omni iure ab illo exempti dicuntur, vnde, siue sufficienter, siue non ab Ecclesiastico puniantur, nusquam sæculari iudici subduntur, etiam in casu negligentiæ, quam iudex laicus supplere non potest, *cap. licèt ex suscepto.* & *ibi* omnes, *de foro comp.* Farinac. latè *in prax. crim. p.* 1. *tom.* 1. *tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.*46. *ampliat.*23. † Præterea 12
Auctores ab ipso Mexia relati non loquuntur in Clericis, sed in laicis in criminibus mixti fori, vtpote sacrilegium, & alia, tunc enim intrat disputatio, vtrùm iudicium, & pœna ab Ecclesiastico posita, sæcularis pœnam excludat, vel è contra, in qua disputatione Couarr. ab eodem Mexia rèlatus *lib.*2. *var. resol. cap.*10. *num.*6. & cum eo plures, notam omnibus resolutionem pœnæ condignæ, & mensuratæ cum culpa tradiderunt, de qua resolutione dicam infrà *q.*109. & licèt Mexia *d. num.*73. *in fine*, ad se reuersus contrarium in practica probaret, negari tamen non possit, quin illud dictum in theorica senserit, & tenuerit absque ratione, & auctoritate eorum, quos ipse retulit. Couarr. namque *d. loco*, nec Gomezius ab eodem auctore relati, similiter & textus *in cap. felicis*, §. *per hoc*, *de pœnis*, *in* 6. nullum verbum circa Clericum sæculari subiiciendum pronunciant, imò *d.* §. *per hoc*, satis apertè de laicis sacrilegis loquitur, contra quos Catholici Principes leges ediderunt, non verò contra Clericos.

Vlteriùs circa eandem Pragmaticam 13
cogitaui, vtrùm iudex Ecclesiasticus, illius virtute, posset transgressores laicos iudicare, & punire. quam quæstionem generaliter non disputauit idem Mexia *in dicto tractatu*, sed particulariter tetigit quando Clericus communi delicto præfatam Pragmat. transgressi fuerunt, vt *in d.* 5. *concl. n.*74. vbi cum aliis censet quòd Clericus ab Ecclesiastico, & laicus à sæculari puniatur, nisi causa sit indiuidua, & diuisionem non patiatur,

tur,

tur, tunc namque socius reus priuilegium fori habens, secum trahit alterum socium coram suo iudice, vt ab ipso secum iudicetur; verùm quæstionem non in casu societatis pertractans, sed absolutè, videtur quòd laici supradicti Regiam Pragmaticam offendentes in eo iudici Ecclesiastico subiiciantur, ipsa enim expresè ad peccatum obligat, vt suprà *num.* 1. & laici possunt in foro Ecclesiastico ratione cuiuscumque peccati conueniri, vt per textum *in cap. nouit, de iudicijs*, docuit *ibi* Abbas, & alij communiter scribentes, Aufrer. *de potest. Ecclesf. super laicis, num.* 4. *&* 107. faciunt quæ docet additio ad Abbatem *in dict. cap. nouit, num.* 49. vbi disputat, an pro obligatione naturali possit indistinctè recurri ad iudicem Ecclesiasticum.

14 Pono regulam in contrarium quòd laicus in prædicto casu à suo iudice iudicetur; lex enim secularis est, nempe Pragmatica supradicta, reus in ipsam delinquens, similiter secularis, vnde iuxta doctrinam ordinariam, nil mirum si seculari iudicio, non verò Ecclesiastico teneatur, quod indubitabili praxi comprobatur, cùm rarò in foro Ecclesiæ laici circa eamdem Pragmaticam condemnentur.

15 Limitatur primò prædicta regula ratione peccati per eumdem laicum commissi ex excessu dictæ taxæ, vt ab eo corripiatur, & moneatur per iudicem Ecclesiasticum, seu Episcopum, & constito de plano cum aliqua indagine iudiciali, de peccato commisso censuris & distinctione Ecclesiastica ad pœnitentiam cogatur, ex *d. cap. nouit*, iunctis his, quæ Panormitanus *ibi*, & cæteri Scribentes, simúlque Aufrer. *vbi suprà*, docuerunt; sed hæc doctrina cùm nimis secularem potestatem restringat, ideo vsus ipsam euacuauit, licèt in se veritatem certam contineat.

Limitatur secundò in casu societatis ex dictis suprà *num.* 13. nam commune delictum à Clerico & à laico commissum sub digniori foro tractari debet, præcipuè si causa indiuidua iudicetur, ex pluribus congestis per Mexiam *dict. conclus.* 5. *& num.* 74. quibus addendi sunt Aufrer. *dicto tit. de potest. Ecclesf. super laicis, num.* 13. cum multis per additionem *ibi* relatis, idem Aufrer. *in eodem tit. num.* 49. *&* 51. Farinacius loquens in vniuersitate cuius maior pars ex Clericis constet, quòd gaudeat, quoad laicos, fori priuilegio *in praxi crimin. part.* 1. *tom.* 1. *tit. de inquisit. quæst.* 8. *num.* 46. *ampliat.* 11. & latiùs quæstionem in specie de Clerico & laico tractans *à num.* 151. *eiusdem quæstionis.* plures etiam recenset Menochius *de arbitrar. iudic. cas.* 371. *n.* 13. Fachin. *lib.* 13. *controuers. iur. cap.* 15. §. *secundò*, & meliùs *lib.* 9. *cap.* 31. cum Gomezio *variarum resolutionum, tit. de delictis, cap.* 10. *num.* 6. 16

Sed hæc limitatio parum est in vsu, sicut proxima. nam in praxi receptum est quòd Clericus & laicus simul delinquentes vnusquisque à suo iudice puniatur, vti adnotauit Couarr. *practicarum quæstionum, quæst.* 34. *num.* 1. additio ad Aufrerium *dicto tit. de potest. Ecclesf. sup. laic. num.* 13. §. *sed hanc sententiam.* Fachin. *vbi proximè.* Farinacius *d. quæst.* 8. *num.* 151. §. *contrarium. &* §. *nec obstant.* Anton. Gomez *d. cap.* 10. *num.* 6. & licèt dato quòd causa nullatenus congruam diuisionem admittat, sententia supradicta vera sit, ex relatis; rarò tamen hæc difficultas contingit: nam delicto perpetrato per Clericum & laicum, vterque iudex eorum separatim complicat processum, cuius virtute subditum reum conuocat, & punit, & sic competentia, aut connexitatis difficultas excluditur; idque etiam accideret, si super taxa panis Clericus 17

& laicus communi venditione Pragmaticæ terminos excederent, cùm iam ibi saneæ venditæ diuisionem commodam paterentur, quarum pars alteri attributa ratione societatis pœnam infligendam insinuaret.

18 Tertia limitatio erit si pro prædictæ taxæ panis excessu laicus coram Ecclesiastico accusatus in ipsius iurisdictioné consentiat, & proroget, quam ipsum prorogare posse probat textus *in cap. significasti, de foro competenti, & in l. si qui ex consensu, C. de Episcop. aud.* per quæ iura ita tenuit Barbos. *in l. 1. de iudic. in art. 3. num. 133. & seq.* Aufrer. *dict. tit. de potest. Ecclesiæ super laicis, num. 25.* Et licèt per leges Regias huius Regni, nempe *l. 10. tit. 1. lib. 4. recopilat.* prohibeatur ne quis laicus alium laicum citet coram Ecclesiæ iudice, *& in l. 11. eiusdem tit.* similiter quòd laici ex vi alicuius contractus, aut iuramenti, non subiiciantur iurisdictioni Ecclesiasticæ.

19 Non tamen adest lex Regia præcipiens quòd laicus coniunctus, aut accusatus coram Ecclesiastico declinet eius iurisdictionem, vt rectè notauit Aceued. *super d. l. 11. num. 16. vers. & sic non habemus. & in l. 10. num. 21. eiusdem tit.* expresè loquens de laico prorogante iurisdictionem iudicis Ecclesiastici, eamdem prorogationem cum aliis probat & tenet, & sic affirmari non potest quòd hæc prorogatio prohibita sit per legem secularem, vti posset ex dictis ab eodem Barbosa *in dict. l. 1. art. 3. num. 139. & seqq.*

20 Nec pro eadem prorogatione poterit laicus aliquo modo per secularem iudicem molestari, cùm ipse contra legem nihil tentauerit, & quod non est prohibitum, permissum incidenter censetur. *l. sancimus 6. C. de testament.* vnde hæc limitatio vera & possibilis ex prædictis resultat.

Quarta limitatio erit si laicus negotiator actor, aut depositarius rerum Ecclesiæ Hospitalis Sacelli, aut alicuius loci pij Confraternitatis, Conuentus, seu Monasterij, vulgò *mayor domos de las Iglesias, hospitales, Hermitas, Cofradias, Conuentos o Monasterios que tuuieren renta de pan o cenada o por otro titulo viniere a su poder y deposito y lo vendieren a mas de la tassa*, quòd tunc talis laicus puniri possit per iudicem Ecclesiasticum, ex eo quòd delictum perpetrauit in re Ecclesiæ abutendo illa contra legem iustam, & ansam ignorantibus præstando, vt generaliter delictum ex parte Ecclesiæ suspicetur, quasi quòd in eo, vel eius nomine partem habeat, aut sit contractum ex quo iniuria eidem Ecclesiæ aliqualiter sit illata, vnde ex prædicto rei Ecclesiasticæ abusu, seu ex eadem iniuriæ suspicione, hoc delictum sapit sacrilegium improprium, negari enim non potest, quin violatio in certo modo fiat Ecclesiæ, quando administrator delinquit cum re ipsius quam administrat, eíque irrogat iniuriam, & malam vocem imponit; de sacrilegio autem quòd cognoscat Ecclesiasticus, nullus dubitabit, cũ sit mixti fori, additio ad Aufrer. *dict. tit. de potest. Ecclesiæ super laic. sub num. 149.* & in ipsa additione *num. 9.* 21

Rursus delinquendo laicus cum re Ecclesiæ quasi contrahit cum foro Ecclesiæ, cuius est res, glossa communis *verb. debebit, in l. hæres absens, §. proinde, ff. de iudic.* & de bonis Ecclesiarum cognoscit Ecclesiasticus iudex, etiam inter laicos. Couarr. *lib. 1. variarum cap. 4. num. 5.* Paz *in praxi 2. tom. 2. præludio, num. 16. & sequent.* & dicam infrà *quæst. 102.* 22

Et in casu præsenti memor sum semel iudicasse, & in praxi causam fecisse contra laicum, qui de dicto delicto excessus, nempe taxæ panis cuiusdam Ecclesiæ, 23

clesiæ, cuius negociator erat, aut depositarius, coram me fuit accusatus, & ab ipso, seu Aduocato ipsius eandem limitationem sentiente, declinatoria fori non fuit allegata, itaque causa legitimè introducta in summario iudicio, & in plenario pro reo, & fiscali probationibus receptis ipsius accusatio sufficienter improbata remansit, propterea reum ab impositis absoluimus.

24 In expensis tamen condemnauimus propter fumum, & malam delicti vocem, quæ ad Fiscalis aures transiuit, iuxta suprà dicta *q.13.n.7.* Quapropter hæc limitatio remanet in iure probata, & sequuta praxi in specie confirmata; quare ipsius nouitatem aduertere, & annotare non pœnituit.

QVÆSTIO XXXI.

Non vulgaris.

Asserentes quendam Parochum Sacerdotem non esse nisi celebrando, quomodo puniantur.

SVMMARIVM.

1 *Ponitur casus prout contigit in praxi.*

2 *Potestas sacramenti Ordinis non est temporalis.*

3 *Qui negat perpetuitatem Sacramenti, aut dubitat ab Inquisitoribus, puniri potest.*

4 *Sollicitantes in confessionibus mulieres, ab eisdem Inquisitoribus possunt puniri.*

5 *Maleficia in Sacramentis commiscentes, etiam ab eisdem puniuntur.*

6 *Secus si non ex errore fidei commixtionem faciant, & tunc Ordinarij cognoscunt.*

7 *Ponitur quæstionis resolutio, & praxis.*

ACcvsati fuerunt tres homines agricolæ de certis verbis contra suum Parochum pronunciatis, dixerant enim illum Sacerdotem non esse nisi in Altari celebrando, vnde quòd characterem Ordinis in eodem Sacerdote extra Missam etiam habitum negabant, & forsan malè sentiebant de Ordinis sacramento videbatur. 1

Cuius potestas, & character, nec deleri, nec auferri potest, nec est temporalis, & contradicentes anathemate damnat S.Concil. Trid. *sess.23. cap.4.* vnde probata prædictorum culpa, & confessionibus coram me receptis, visi fuerunt nihil sinistrum de eodem Ordinis sacramento sentire. nam eius potestatem non temporariam, sed perpetuam & firmam affirmarunt. 2

Quod si negarent, aut dubitarent tanquam Ecclesiæ Sacramenta peruertentes, ab Inquisitoribus poterant condemnari. Zanchinus *de hæret. cap.2. num.13.* 3

Sicut dicitur de his, qui in sacris confessionibus mulieres ad carnale commercium prouocauerint, cùm malè de Sacramento Pœnitentiæ sentire videantur, & refert Salcedo *in addit. ad Diaz in pract.crimin.canon. cap 82. in additione, §. hodie verò.* 4

Et idem scribitur de exercentibus maleficia per commixtionem alicuius Sacramenti, nam eo ipso de eo sentire perperam creduntur, & capti ab Inquisitoribus, si in credulitate Sacramenti deficiant, per ipsius virtutem maleficium operari confitentes, tanquam errantes in fide poterunt puniri, 5

iuxta

iuxta text. *in cap. accusatus*, §. *sanè*, *de hæretic. in 6.* & tradit eruditus Castro *de iusta hæretic. punit. lib. 1. cap. 15. penes finem.*

6 Secus autem si malefici commixtionem Sacramenti maleficio apposuisse fateantur, non ex errore fidei, sed ex lapsu, seu imperitia, aut ex imperio Dæmonis, vel ex ebrietate, aut iracundiæ calore contra aliquem, absque conceptu mentis quòd Sacramenti commixtio ad malum cooperetur, tunc enim ex eo quòd in fide non erratur, Inquisitoris officium, & cognitio non intrat, sed delinquentes per suos iudices ordinarios Episcopos, & eorum Vicarios sunt iudicandi, propter malam delicti vocem, contra Ecclesiæ præcepta, aut Sacramenta. idem Castro *in d. loco, & cap. 15. in fine, versic. si ille dixerit.*

7 Vnde in casu proposito excluso Inquisitorum iudicio, cùm verba prædicta pronunciantes in sacramenti Ordinis potestate perpetua non errassent, intrauit Episcopi, seu eius Vicarij cognitio, qua ego vsus eosdem homines, vt contrarium dicti quod dixerant coram audientibus pronunciarent condemnaui, se tanquam Catholici confitentes Ordinis sacramenti potestatem, & characterem non ad tempus, seu temporalem esse, sed perpetuò in Sacerdotibus residere, siue celebrantibus, siue non, licèt in actu celebrationis specialiter ipsa potestas exerceatur, & quòd talis professio coram Parocho, & testibus facta in scriptis redacta, quædam eius copia per Parochũ scripta ad processum remitteretur, insuper pecuniariam pœnam prædictis hominibus imposuimus non leuem, & aliam corporalem, & publicam in casu recidiuo fuimus comminati, & quia hæc culpa, & causa particularis mihi visa fuit in Tribunali Ecclesiastico, & Episcopali iudicio, ideò ipsius notam post practicam non recusaui.

QVÆSTIO XXXII.

Circa Ecclesiæ immunitatem, & an delinquens in actu processionis illa fruatur.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus, & practica in casibus similibus recepta.*
2 *Frustrà legis auxilium implorat, qui in legem committit.*
3 *Immunitas data est templis, & Ecclesiis, non verò actibus Ecclesiasticis.*
4 *In processione sanctissimi Eucharistiæ sacramenti, an confugiens ad deserentem immunitatem habeat.*
5 *Resoluitur quæstionis argumentum.*

IN quadam generali processione per publicas vias cogente necessitate facta, quædam inter quosdam homines orta fuit rixa, & ex ea vnus grauiter vulneratus exiuit, vulnerans autem confugiens ad Ecclesiam, inde fuit per ministros sæculares extractus, & carceribus sæcularibus mancipatus, & cùm Ecclesiæ immunitate se tueri vellet, coram me se violenter extractum ab Ecclesia proposuit, ad eamque restituendum petiit, & allegauit, causa fuit incepta, & constito de extractione iudici sæculari fuit positum in mandatis, vt intra quatuor horarum spatia reum restitueret, aut in contrarium causam sufficientem exposuisset. nam iurans ante omnia de non innouando audiendus veniret, sin autem, censuris ferientibus innodandus, 1

dus, iuxta practicam in Audientiis Ecclesiasticis receptam.

2 Iurauit obediens iudex, & extractum immunitate gaudere non debere significauit, ex eo quòd in processione, & actu Ecclesiastico deliquit, quasi quòd Ecclesiam contempserit, contemnendo imagines Beatæ Mariæ, & aliorum Sanctorum, vnde priuilegio Ecclesiæ tueri non debet, cùm frustrà legis auxilium imploret qui in legem committit, iuxta textum *in cap fin. de immunit. Ecclesiar.* cum aliis adductis per Gomezium *tom. 3. var. cap.* 10. *num.* 2.

3 Verùm hæc ratio facilè exclusa fuit, ex eo quòd procedit in delinquente in Ecclesia, & templis Deo dicatis, quibus immunitatis priuilegium à iure concessum fuit; non verò actibus Ecclesiasticis, licèt publicis, & solemnibus, in quibus etsi culpa delinquentis in eis hoc adminiculo augeatur, hoc tamen quoad pœnæ augmentum legitimè perpenditur, secus quoad immunitatis priuilegium, quod ad alios casus perperam extenditur.

4 Rursus in terminis processionis, quando processionaliter Eucharistiæ sanctissimum Sacramentum ad infirmos defertur, si delinquens ad Sacerdotem illud deferentem confugiat, controuersum valde est, quòd priuilegio immunitatis possit liberari; & licèt Gomezius *d. cap.* 10. *num.* 1. Paz *in praxi* 1. *tom.* 5. *part. cap.* 3. §. 3. *num.* 36. *& seq.* cum aliis per ipsos relatis, quos congerit Ceuallos *com. contr. com quæst.* 169. teneant partem affirmatiuam tanquam communem; in contrarium tamen est alia sententia etiam communis, ex relatis ab eodem Ceuallos *d. loco*, §. *sed contrariam opinionem*; quam ego non probo, sed priorem.

5 Si ergo in hoc casu, in quo insuperabilis adest ratio, & reuerentia omnium Templorum, & Ecclesiarum, variæ sunt scribentium sententiæ, ex eò quòd tenor immunitatis ipsis concessus, sit inter eas tantùm obseruandus, & adhuc quamplures negare ipsi Deo immunitatem sunt ausi, multò meliùs eius Matris, & Sanctorum imaginibus, & processionibus neganda erit, inde hanc sententiam sequutus iudicem sæcularem condemnaui ad extracti restitutionem.

QVÆSTIO XXXIII.

Non vulgaris.

An qui non possunt carcerari, possint excommunicari.

SVMMARIVM.

1 *Clericus pro debito ciuili carcerari, aut excommunicari non potest, & praxis super hoc.*

2 *Clericus siue ante capturam, siue pòst, potest beneficium* cap. Odoardus, *implorare.*

3 *An mulieres, & Nobiles sicut pro debitis ciuilibus non carcerantur, ita nec excommunicentur, negatiua sententia proponitur.*

4 *Approbatur affirmatiua.*

In foro animæ nullus sanguis consideratur, ibid.

In eodem omnes animæ sunt æquales, secluso meritorum discrimine, ibid.

Deus personarum acceptionem non admittit. ibid.

5 *Excommunicatio est remedium spirituale sine sanguine.*

6 *Ad censuras deueniendum est cessante reali, vel personali exequutione.*

L 7 Pra-

7 *Prædicta affirmatiua sententia à praxi vulnerata non est.*

8 *Respondetur fundamentis contrariæ sententiæ, & quòd Nobilis, licèt non possit carcerari, potest tamen conueniri vltra quàm facere potest.*

9 *Qui non possunt conueniri, capturari non possunt.*

10 *Non omnes mulieres habent priuilegium, ne conueniantur vltra quàm facere possunt, excepta vxore & matre.*

11 *Mulieres an priuilegio prædicto valeant renunciare.*

12 *Ad textum* in cap. 1. de noui oper. nunc. *& argumentum ab eo desumptum, respondetur non procedere vbi est diuersa ratio.*

13 *Sententia affirmatiua, vt mulier pro debitis ciuilibus excommunicari valeat, limitatur in muliere coniugata, & declaratur dictum Gomezij.*

1 DE Clerico in paupertate constituto, quòd pro debito ciuili carcerari, aut excommunicari non possit, text. est communis *in cap. Odoardus, de solut.* vbi cum iuratoria cautione relaxandus est, donec in pinguiorem venerit fortunam, & vltra scribentes ordinarios tractant in specie Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 1. num. 9.* Gutierr. *de iuramento confirmat. 1. part. cap. 17.* & latè plura dubia optima methodo resoluens Riccius *praxi fori Eccles. tit. prax. cap. Odoardus.* Marquesanus *de commission. tom. 3. seu pars 3. §. 1. num. 10. 63. 76. 88.* & aliis pluribus numeris Gratian. *disceptat. forens. tom. 2. cap. 222. num. 50.* Nicol. Garcia *de beneficiis, 1. part. cap. 5. num. 237.* Maceraten. *in pract. lib. 1. var. resol. resol. 41.* Paz *in prax. 3. part. 2. tom. cap. vnic. n. 4. & seq.* Ceuall. *com. contr. com. q. 701. num. 8. & seq.* Gomez de Leon *centuria 14.* Aceued. *in l. 5. num. 7. tit. 1. lib. 2. recop.*

Et adeò nobile est beneficium huius textus, vt Clericus debitor non debeat in carceribus reponi ad illius oppositionem, ex traditis ab eodem Riccio *d. tit. prax. cap. Odoardus, decis. 283. in fine*, quod proponebam aliquando in quadam causa pro paupere Clerico contra Ducē de Vieda in Tribunali Illustrissimi Nuncij, & ita siue sit captus Clericus, siue non, semper admittendus est ad prædictum beneficium, exceptis limitationibus per supradictos DD. relatis; & ita currit in Clerico paupere sine difficultate regula proposita in principio huius quæstionis, nempe ille, qui carcerari non potest pro debito ciuili, pro eodem non poterit excommunicari, & si casu, aut errore carceretur, vel excommunicetur, relaxandus, & absoluendus erit, iuxta formam dicti textus. 2

De muliere autem, & Nobili, qui iuxta *ll. huius Regni 8. tit. 3. lib. 5. & 4. tit. 2. lib. 6. recopil,* pro debitis non carcerantur, dubium erit, an similiter pro eisdem debitis non excommunicentur? in quo præcitatus Gomezius de Leon *dicta centuria 14. num. 5. 6. & 7.* firmissimè tenuit quòd mulier pro debitis non possit excommunicari, & illum sequitur Ceuallos *dicta quæst. 701. n. 10.* & loquitur in Nobili, & muliere simul, & Aceued. *in d. l. 5. num. 7.* 3

Verùm hæc sententia difficilis mihi facta fuit, nam mulieribus ideò priuilegium illud datum est, ne in carceribus inhonestæ redderentur, & quia ille locus contrarius omnino est earum pudori, & velamini, quod inconueniens manifestè cessat in excommunicatione. nam mulier ea inuoluta intra domum suam habitare potest, & pudorem suum absque occasione conseruare. Rursus ideò Nobilibus etiam illud priuile- 4

priuilegium concessum fuit, ne aliàs ignobilibus æquiparentur, & vt esset inter hos ordines differentia, & discrimen ex nobilitate sanguinis: et hæc nobilitas, & melior sanguis in foro animæ non attenditur, in quo nullus est sanguis, cùm omnes animæ ratione sui, & secluso discrimine meritorum, sint æquales, & hinc est quod dicitur, Deum personarum acceptionem non admittere, quia apud eum omnes sunt creaturæ, & omnia creata.

5 Vnde cùm excommunicatio sit vinculum animam pertingens, & remedium spiritale sanguine humano prorsus alienum, æqualiter ferire debet omnes animas inobedientes absque discrimine, quòd vasa earum sint purioris materiæ, pulueris, aut limi; quapropter sententiæ supradictæ non adhæreo, imò sentio prædictos Nobiles, & mulieres, licèt ex priuilegio pro dictis debitis non carcerandos in corpore, in anima tamen excommunicationis gladio feriendos licere.

6 Maximè attento Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. ex quo ad censuras deueniendum est cessante reali, seu personali exequutione, vt quia debitores per legem exempti sunt à carceratione, veluti Clericus, Nobiles, & mulier, & alij, si qui sunt.

7 Nec vnquam cùm causarum vel patrocinium, vel iudicium in sedibus diuersis obtinuissem, de hac exceptione, seu cautela vidi disputare.

8 Non obstant modò ea, quæ pro suæ opinionis fundamento retulit Gomezius, illud enim argumentum *in num.* 7. quòd mulieres si non possunt carcerari, nec etiam conueniri vltra quàm facere possunt, non est sine difficultate, cùm Nobilis non possit carcerari, vt dictum est, & tamen conueniri vltra quàm facere potest, ex Aceuedo *in l.* 4. *& 5. num.* 12. *tit.* 2. *lib.* 6.

Licèt è conuerso, qui non possunt conueniri vltra quàm facere possunt, non possunt personaliter capi, validum esse argumentum, docuerit cum aliis Gutierr. *de iuram. confirmat.* 1 *p. cap.* 16. *num.* 48. *& practicar. quæst. lib.* 2. *q.* 26. *num.* 3. 9

Rursus non est liquidissimum omnes mulieres habere tale priuilegium, ne vltra quàm facere possunt conueniantur, excepta vxore à marito conuenta, vt *in l. sunt qui in id, & l. non tantùm, in fine, de re indicata,* & *ibi* omnes, Ioan Fab. *in* §. *item si dote, in fine, Instit. de actionibus*, & etiam in matre ratione tutelæ, ex eod. Gutierr. *d. quæst.* 26. *num.* 2. 10

Vlteriùs *ibi* affirmat Gomezius supradictus, mulieres renunciare non posse priuilegio ne carcerentur, aut ne conueniantur vltra quàm facere possunt, cuius contrarium tenuerunt plures, quos congerit idem Gutierrez *d. quæst.* 26. *num.* 1. quibus addendus erit Barbos. *in l. alia*, §. *eleganter, num.* 24 *ff. solut. matrim.* & licèt Gutier. *d. loco*, hanc communem sententiam impugnet, negari tamen non potest huius dubij difficultas, super qua nunc non insisto. 11

Vltimò nihil obstat textus *in cap.* 1. *de noui oper. nunciat.* à Gomezio ponderatus ad hoc vt seruandum sit ius ciuile in his quæ per ius Canonicum omissa inueniuntur, & ita quemadmodum mulier non carceratur, ex d. lege Regni, & ex traditis per Menochium *de arbitrar. quæst.* 88. *num.* 10. ita nec excommunicentur, quia respondetur hoc non habere locum, vbi est diuersa ratio, vti diximus proximè *num.* 4. 12

Limitatur tamen illud, quòd mulier pro debitis ciuilibus excommunicari valeat, vt non admittatur in coniugata, quæ cùm rerum dominium non ha- 13

beat, sed tantùm eius maritus, manifestum est non posse compelli ad solutionem rei, cuius administratione caret, vti benè notauit idem Gomezius *d.cent.14.num.5.* & licèt excommunicatio contra ipsam fulminata, ob prædictam causam sit iniusta, & iniquè procedat iudex, prout aliquando de quodam iudice dixi; nihilominus valida erit respectu eiusdem iudicis, & sic intelligendus est Gomezius *d. num. 5.* affirmans prædictam excommunicationem in vxorata fœmina locum non habere.

QVÆST. XXXIV.

Circa vsuram, & mutuum palliatum.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus in practica.*

2 *Venditio ad creditum habet vim mutui.*

3 *Solutio secundæ venditionis in pretium primæ conuersa vsuram efficit.*

4 *Lucrum & vsura, vt ex secunda venditione proueniat, pactum à principio de retrouendendo requiritur.*

5 *Contractus in dubio vsurarius non iudicandus, & quomodo intelligatur.*

Pro reo in dubiis interpretatio facienda, ibid.

6 *Respondetur contrariis fundamentis. & quod tertio licitum est, etiam primo venditori licebit.*

1 IVDICAVI quendam casum, in quo quis fuit denunciatus de fœnore, & vsura palliata, ex eo quòd equum certo pretio vendiderat ad creditum, & postea illum ab eodem emptore emerat in multò minori pretio, quod in crediti solutionem computatum ex parte fuit, & super illa quod restabat in pecunia persolutum, & pro parte accusatoris ea considerabantur.

Primò, quòd venditio ad creditum 2 habet vim mutui, illa enim solutionis dilatio mutuum quodammodo dicitur, vt ex *cap. in ciuitate, & cap. consuluit, & cap. nauiganti, de vsuris,* docuerunt Medina *in suo Codice, tit. de rebus per vsur. acquis. §. est autem mutuum duplex.* Nauarr. *in repetit. cap. si fœneraueris 14. q. 3. num. 4. & cons. 22. num 1. de vsur.* Gutierr. cum aliis *lib. 1. can. quæst. cap. 39. num. 11.* Carol de Graffis *decis. conscientiæ, lib. 2. cap. 74. num. 5. & cap. 109. num. 4.* Campanil. cum pluribus *diuersor. iur. can. rubric. 11. cap. 20. n. 10. & seq.* & est sententia receptissima Canonistarum, & Theologorum, ex eodē Campanilo, & Marescoto à me viso, & ab ipso relato *lib. 2. var. resol. cap. 132. n. 1.* Si ergo in specie supradicta mutuum adest palleatum, & ex secunda venditione eiusdem rei lucrum resultauit in centum, videtur vsuram fuisse commissam, ex eius diffinitione à Doctoribus relatis, & aliis tradita.

Secundò, quia quando res reuendita fuit solutio primæ venditionis, 3 adhuc instabat, & pretium secundæ in dictam primam solutionem, seu mutuum fuit conuersum, vnde multò meliùs lucrum ex mutuo adhuc instanti consideratur, & ex eo vsura.

Verùm pro parte rei illa etiam considerari possunt, nempe quòd ad hoc 4 vt ex secunda rei venditione lucrum & vsura palliata proueniat, oportet quòd à principio pactum de retrouendendo minoris pretio iusto factum sit: si

si autem non à principio, sed postea illa res eidem venditori primo in venditionem tradatur etiam pro minori, sed iusto pretio, non inde vsura resultat, licèt lucrum proueniat, cùm hoc iam non propter dilationem solutionis, aut mutuum fictum, sed propter alias causas ortum sit, nempe si res intra tempus trium mensium facta sit deterior, aut peioris conditionis, ex qua illud primæ venditionis pretium non meretur, sed tertio minus, in quibus terminis si tunc tertius illud pro re præstaret, quare primus venditor similiter non poterit? & ita hanc partem tuentur Nauarr. *in manual. cap.* 17. *num.*43. *§. centesimo primo.* Summa Angelic. §. *vsura* 1. *num.* 60 Gutier. *dicto cap.* 39. *ad finem.* idem Nauarr. *in dicto cap. nauiganti, de vsur. num.* 5. *in fine.*

5 Accedebat etiam quòd in dubio contractus vsurarius non est censendus, vt cum multis retulit Tiraquellus *de retract. conuentional. num.* 128. licèt contrarium teneat Menoch. *cons.* 109. *num.* 24. *vol.* 2. quod intelligerem in foro poli, primum autem in foro fori, in quo peccatum non præsumitur. *l. merito, pro socio*, & pro reo in dubiis interpretatio facienda est in iudicando in foro externo, vt dicam infrà *q.* 103. *num.* 9.

6 Non obstant opposita accusatori. nam licèt mutuum palliatum ex dilatione solutionis resultauerit in præsenti; non tamen lucrum secundæ venditionis propter mutuum ortum fuit, sed ex rei peiori conditione; vsura autem ad lucrum ex mutuo tendit, & licèt illud acceptum fuerit ab eodem primo venditore; non tamen propter mutuum causatiuè, licèt tunc adhuc instaret, & non esset persolutum; & quod tertio licitum erat, nempe equum minoris pretio iusto emere, eidem primo venditori negari non debet; quapropter reum accusatum à prædicto fœnore liberaui.

QVÆST. XXXV.

Quæ negligentia sit sufficiens in negotiatoribus, actoribus, aut Procuratoribus Ecclesiarum, seu aliorum locorum, aut Confraternitatum, in conueniendis debitoribus, ad hoc vt ad debitorum solutionem teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Receptor Confraternitatis contra prædecessorem debet vel censura, vel exequutione super residuo computationis procedere, quo non facto, negligens inuenitur.*
2 *Fallit si factis diligentijs adhuc non esset soluendo.*
3 *Confratres tenentur probare defunctum fuisse soluendo ad culpam imputandam.*
4 *Testes vniuersitatis si non habent interesse in causa, sunt legitimi.*
5 *Tutor diligentiam quam in suis bonis posuerat, debet in tutela negotijs ponere.*
6 *Ponitur quæstionis resolutio.*
7 *Etiam in fauorem piæ causæ indicandum.*
8 *Exactor publicus si vltra annum protraxerit exactionem, tenetur de suo.*
9 *Idem dicendum de exactore Ecclesiæ, seu loci pij.*

1 NEGOTIATOR cuiusdam Confraternitatis pro residuo computationum sui prædecessoris debuit vel præceptum exequutionis, seu excommunicationis contra illum obtinere, & in multis mensibus diligentiam relatam omisit quousque debitor diem clausit extremum, & tunc ipsa die contra bona defuncti iudicialiter processit, & nullis inuentis per Confratres imputata fuit ei sua negligentia, & petitum coram me pro illa, in quantitate simili condemnari.

2 Pro parte actoris tota eius defensio erat allegare & probare, defunctum non esse soluendo tempore computationum, nec mortis, & ita, etiamsi diligentia facta fuisset, inanem & frustraneam inueniendam, & cessare culpam ex regula, Inanis est actio, &c. de qua glossa *verb. non valentem, in cap. Odoardus, de solution.*

3 Et quia Confratres tenebantur probare defunctum fuisse soluendo ad imputandam prædictam culpam in administratione, vt ex Imol. *cons.* 75. docuit Tiberius Decianus *respons.* 85. *num.* 27

4 Pro Confratribus autem obiiciebatur defunctum habuisse bona post expeditas rationes, vti alij testes eiusdem Confratriæ testabantur, qui nullum interesse in prædicta debiti solutione tenebant, & ita erant legitimi, licèt testes vniuersitatis ex Menoch. *de arbitr. casu* 106. *num.* 4. *& seqq.* nam bona, seu pecuniæ Confraternitatum in ipsis Confratribus non consumuntur, sed in operibus piis; & licèt pro parte Procuratoris testes fuerint deponentes defunctum inopem extitisse, aliqui tamen non concludebant de omnibus bonis, & aliqui erant affecti, vnde Confratres allegabant etiamsi inopia defuncti excusationem tribueret circa bona, quòd debebat actor, seu negotiator agere contra personam, vel remedio carcerationis, seu excommunicationis, quibus vinculis innodatus debitor de solutionis remedio tractaret.

Et quòd actor, seu tutor diligentiam, quam in suis debitis posuerat, apponere debet in debitis negotiationis, seu tutelæ. nam aliàs latam culpam committet, & erit condemnandus, ex his, quæ rescribit idem Decianus *dict. responso* 85. *num.* 27. *&* 28. Ioan. Gutier. *de tutel.* 2. *part. cap.* 16, *num.* 11. † Et ex hac consideratione in fauorem Confratrum iudicaui ob negligentiam Procuratoris, qui tam circa bona, quàm circa personam debitoris, diligens esse debet, sicuti in rebus & debitis propriis, & omittens hanc diligentiam erit nimis negligens & culpabilis, ex glossa *verb. minus idonei, in l. si tutor constitutus, de administratione tutorum*, eo magis in præsenti casu, procedendo contra bona defuncti in die sui transitus, vnde si multo antè non illud fecit ob paupertatem viuentis, cur idem intentauit contra eamdem paupertatem non entis? † Et quoniam semper in fauorem piæ causæ iudicandum est, etiam si sustineat partes actoris, Tiraquellus *in tractat. de priuileg. piæ causæ, priuileg.* 146. † præcipuè, quia exactor & procurator publicus, si exactionem publicam vltra annum protraxerit fauore publico, tenetur de suo, cum reseruatione exigendi à debitoribus publicis, per textum *in l. missi opinatores, C. de exactoribus tributorum, lib.* 15. & *ibi* Luc. de Peña & Quemada *in suis quæstionib. quæst.* 9. *&* 25. Genuensis *in practicab. Eccles. quæst.* 442. † vbi hoc etiam docet in Procuratore Ecclesiæ, & idem erit dicendum in quolibet exactore & Procuratore loci pij, ex eodem argumento, vt per Euerardum *in suis locis communibus.*

(Right-margin numbers: 5 beside "Et quòd actor"; 6 beside "Et ex hac consideratione"; 7 beside "Et quoniam semper"; 8 beside "præcipuè, quia exactor"; 9 beside "vbi hoc etiam docet".)

QVÆST.

QVÆSTIO XXXVI.

Administrator causæ piæ fœnus, & lucrum ex administratione percipiens, quando & quomodo puniri valeat.

SVMMARIVM.

1 *Propter anticipatas solutiones partem defalcare vsura est.*

2 *Testes quibus defalcatio facta fuit, suspecti videntur.*

3 *Testes vsurarum participes, & etiam singulares, sunt legitimi, si non habeant interesse.*

4 *Quando in genere tractatur de crimine vsurarum, sufficiunt testes singulares, secus si in specie.*

In his quæ non repugnant iuri Canonico adhærendam est legi ciuili, ibid.

5 *Accedentibus aliquibus præsumptionibus statur testibus singularibus in crimine vsurarum, & quæ sint.*

Iudicis arbitrio relinquitur quæ sit probatio sufficiens, ibid.

6 *Lex Regia quomodo in foro Ecclesiastico practicanda circa restitutionem vsurarum.*

7 *Vsura coniecturis probata petit restitutionem de iure Canonico.*

8 *Ponitur quæstionis resolutio præter restitutionem damni.*

9 *Vsura testibus singularibus, & aliis adminiculis probata, petit pœnam mitiorem, grauiorem tamen si clarè probetur.*

10 *Ponitur exhortatio vtilis ad patronos, & rerum piarum administratores.*

FVIT accusatus de fœnore, & 1
lucro in administratione quidam administrator, ex eo
quòd propter anticipatas solutiones
dotium, aut portionum partem earum,
aut quotam defalcabat, & ita vsura
committebatur palliata. Gutierr. *lib.* 1.
can. quæst. cap. 39. *num.* 11. relatus vnà
cum aliis suprà *q.* 34.

Sed difficultas inueniebatur, an præ- 2
dicta negociatio legitimè probaretur.
nam testes erant ipsi homines, quibus
defalcatio facta fuit, & videbantur suspecti,
aut agere de interesse, Couarr.
lib. 3. *var. cap.* 3. *num.* 4. *in fine*, Felin. &
Abbas per ipsum relati *in cap. personas, de testibus*.

Cui obstaculo poterat responderi 3
procedere, quando ipsi prætendentes
interesse, & vsurarum repetitionem,
querelam iudicialiter intentassent; secus
verò quando in causis de officio,
seu fiscalibus deponerent, quia tunc
iam ad fauorem tertij principaliter deponunt,
& in interrogatione vulgò generales
declarant nullum interesse prætendere,
quo casu etiam testes vsurarum
participes, & etiam singulares sunt
legitimi, vt cum multis docuit Mascard.
de probation. lib. 3. *conclus.* 1419.
num. 14. & 15.

Rursus idem testes erant singulares, 4
vnusquisque enim de suo damno, &
defalcatione testabatur, sed in hoc
crimine sufficiunt, & sunt idonei, maximè
quando in genere tractatur de
vsurarum consuetudine, non verò de
certo actu, seu contractu. idẽ Mascard.
vbi suprà num. 15. Farinac. *tract. de testibus, quæst.* 64. *num.* 199. & hæc opinio
canonicata est iam per legem huius
Regni 4. *tit.* 6. *lib.* 8. *recopil.* & Aceued.
ibi num. 52. quam in his quæ iuri Canonico
non repugnant, sequi debemus,
cap. 1. *de noui oper. nunc.* & dixi suprà
quæst. 33. *num.* 12.

Quæ

5 Quæ conclusio procedit accedentibus aliquibus præsumptionibus, & circumstantiis, ex eadem lege, quæ in præsenti causa inueniebantur, nempe pluralitas testium de suo damnó testificantium. Couarr. *vbi suprà num.* 5. mala fama ipsius administratoris, & murmuratio Mascard. *ead. conclus. n.* 28. ex quibus insuper, & ex eo quòd iudicis arbitrio relinquitur, quæ sit probatio sufficiens in hoc delicto, Menoch. *de arbitrariis, cas.* 147. Aceued *d. loco n.* 51. condemnaui dictum administratorem ad defalcatorum restitutionem, ex toto titulo in Decretalibus *de vsuris*.

6 Licèt enim prædicta lex Regia præcipiat testem, nisi plenè illud probet, non debere ex suo testimonio locupletari, & ita testibus singularibus non esse restitutionem faciendam; aliud tamen in foro Ecclesiastico iudicaui, in quo tutior animæ pars amplectenda est, quæ ad satisfactionem partis impellit, præsertim cùm ex relatis probatio sit arbitraria in hoc casu, & adminiculata in præsenti; agricolæ enim sincerè suum damnum, & defalcationem deponebant, quorum testimonium licèt eis profuturum, multum iudicantis animum ad veritatem inclinauit, ex qua ad restitutionem præcipiendam motus fui.

7 Tum etiam, quia vsura coniecturis probata, & non euidentibus, & plenis probationibus, vti petit lex Regia, restitutionem damni requirit, ex textu *in cap. cùm in diœcesi, iuncto cap. quia in omnibus, de vsur.* textus *in cap. illo vos, de pignorib.* & iuncta glossa *ibi verb. præsumitur, vers. sed tamen*; quapropter discedere à lege Regia circa hoc, tutiore parte in foro animæ, maximè argumentis Canonicis sequẽdo, decreui.

8 Aliam etiam pœnam pecuniariam pro Fiscali, & Cameræ, & iustitiæ expensis simul cum iuribus processalibus imposuimus, cum comminatione graui in casu recidiuo, vsque ad officij priuationem. †Sed pœna fuit leuis, ex eo quòd delictum licèt sufficienter ex testibus singularibus, & sociis probaretur simul, & aliis adminiculis, non adhuc plena, & abundans probatio fœnoris extabat, quæ tantumdem, seu magnam pœnam exposceret, sed mitiorem, ex Couarr. *d. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. *§ ex quibus*. 9

Exhortamur autem prædictos rerum piarum administratores quòd sincerè, & rectè in ministerio illis commisso versentur, vt fideliter defunctorum testamenta impleantur, & voluntates vltimæ in scriptis redactæ, quæ adeò variis fraudibus, & cautelis patronorum, & rectorum supplantantur, vt priùs ipsorum defunctorum inimici, quàm consanguinei videantur; quod enim in primis curant, non est singularis administrationis, & patronatus puritas, & exequutio, sed rerum, & bonorum impuritas, & perditio; vel authoritate propria variis artibus, vel publica prætextibus, & monopodiis, aliorum compatronorum, aut administratorum, & licèt in Ecclesiæ foro piæ causæ à Visitatoribus Ecclesiasticis manuteneantur, hæc tamen manutentio, dum nunquam ad patronatus sui administrationis priuationem peruenit, nimis leuis est, & parum rerum piarum languoribus se opponit; quare quod in iudicio temporali de pœna prædicti confundunt, illud in futuro, & permanenti sine confusione persoluent, exceptis aliquibus patronis, & administratoribus conscientiæ timoratæ, qui in hac exhortatione non comprehenduntur. nam in practica visitationis Ecclesiasticæ, de his, & illis largam præ manibus accepimus notitiam, ideò illam in præsenti scribere ad aliorum vtilitatem non pœnituit. 10

QVÆST.

QVÆST. XXXVII.

Quando & quomodo peccet is qui pro proximo fideiubere, aut testamentum exequi recusat.

SVMMARIVM.

1 *Dictum Archidiaconi refertur super peccato illius qui fideiubere recusauit.*
2 *Dictum Spini etiam refertur super peccato recusantis officium exequutoris testamenti.*
3 *Sententia Archidiaconi declaratur, adhibitis circumstantiis.*
4 *Sententia Spini declaratur similiter.*
5 *Fideiussio est quasi donatio.*
6 *Exequutoris testamenti officium est voluntarium.*
7 *Prædicti actus per regulas de præstandis eleemosynis circa peccatum iudicandi. nempe in casu extremæ necessitatis, aut grauis præiudicij.*
8 *Extra hunc casum ad graue peccatum dicti actus non iudicandi, sed ad leue, & sententia prima modificatur, & extenditur.*

1 ARCHIDIAC. *in cap. sicut, n.2.* 11. *q.* 1. expressè affirmauit mortaliter peccare, non fideiubens pro proximo, qui de iure naturali ad hoc tenetur, per illum textum, in quo, peccatum dicitur committere, qui operam proximo non præstat in pertinentibus ad vitæ communis vsum.

2 Et idem similiter iudicauit Spino loquens *de executoribus testam in suo specul. gl.29. num.*18. *vers. ibi.* Bene tamen verum est quòd si quis absque causa recuset acceptare officium executoris testamenti, mortaliter peccat. gloss *in cap sicut* 11. *q.* 1. illam sequitur Imol. *cap. pastoralis, in princ. de offic. deleg.* vbi Felin. *num.6.* &c.

Quæ sententia vt ad mortale peccatum extendatur, declaranda erit adhibitis aliquibus circumstantiis, nempe proximi extrema necessitate circa fideiussorem, ex eius defectu, aut honorem, seu vitam sit amissurus, & quòd fideiubens sine suo damno, & habens diuitiarum abundantiam, fideiussioni possit consentire. 3

Item quòd defunctus, cuius testamentum sit exequendum, ascendentibus, vel descendentibus, aut aliis collateralibus propinquis sit destitutus, & quòd executori defunctus aliqua bona pro sua anima expendenda relinquat, imò fortiùs quòd moraliter non sit alius in loco, cui tale officium per Episcopum committi valeat. 4

Probatur hæc declaratio ex eo quòd fideiussio est quasi donatio, vt colligitur ex glossa *in Auth. si qua mulier, C. ad Velleian.* & sic est actus gratiosus. 5

Similiter executoris officium voluntarium dicitur, ex his quæ tradit idem Spino *eod. loco, & num* 18. 6

Vnde prædicti actus ad peccatum mortiferum operandum regulari debent, per regulas de præstandis eleemosynis indigentibus, quarum memini suprà *q.*25. *num.7.* & sic non faciliter condemnandi sunt vel non fideiubentes, aut officium prædictum recusantes, nisi sequuto graui damno in rebus, aut anima proximi, cuius necessitas, aut paupertas extrema alio instrumento succurri moraliter non possit, quo casu propter violatam charitatem in re graui absque vlla causa, aut iustificatione omissam peccatum graue 7

8 consideraci poterit. † Extra verò hunc casum, aut non sunt condemnandi supradicti, aut propter aliquam omissionem ad leuem culpam, si damnum fuerit leue iudicandi, & ita sententia relata simul, & textus in quo fundatur, hac modificatione accipienda erit, quæ non solùm in prædictis pietatis operibus, sed in cæteris omissis ex vi rationis eiusdem similiter procedit.

QVÆST. XXXVIII.

Contra mulierem sortilegium, & superstitionem exercentem.

SVMMARIVM.

1 *Delictum sortilegij est mixti fori.*
2 *Refertur casus in practica.*
3 *In secatione vestimenti, & applicatione pulueris maleficium adest.*
4 *Pœna sortilegij est arbitraria de iure.*
5 *De consuetudine pœna est fustigatio, & publica ignominia cum mitra.*
6 *Iudicium quæstionis ponitur.*
7 *Pœna inductrici mulieri imposita super hoc delicto describitur.*

1 HVIVSMODI delictum tãquam mixti fori, Grilland. *tract. de sortileg. lib.2.quæst.11. num.3. in fine*, ab Ecclesiasticis iudicibus passim iudicatur, semper enim Ecclesia, adhuc de iure communi Canonico, laicos tali facinore inuolutos puniuit, ex relatis ab eodem Grilland. *ibid.*& à Farinac.*tom.1. q.20. de delictis, & pœn. num.93.* Salcedo *in pract. criminal. canon. cap.107. in fine*, & de iure nouo accumulatiuè posse puniri ab Inquisitoribus, & ordinariis Ecclesiasticis, & sæcularibus, statuit Pius V. & testatur Castill.*in Politic. 1.part. lib.3. cap.17. num. 73. & seqq.* quando sacrilegium non est hæreticale.

Vnde mulierem quandam condẽnaui pro sortilegio, quia fecit, vt vxorata mulier partem vestimenti mariti secaret, & sibi traderet, & postea in puluerem illa parte redacta consui præcepit in eodem vestimento, promittens exinde rixas inter vxoratos cessare, quod ita punctuatim adimpleuit; vt è conuerso supra modum excreuerunt, & mulier vxorata à maritali dilectione defraudata, imò odio habita vitæ periculum suscepit. quare suspicando odium à prædicto puluere fortè causari, illo diligenter inquisito, & reperto, à vestimento extraxit, quo facto dilectionem maritalem cognouit, & à Confessario compulsa in iudicio patefecit, & præsentauit. 2

Quare capta sortilega visum fuit in prædicta actione superstitionem, & maleficium inesse, & in terminis aduertit idem Grilland. *d.tract. q.4.num.11. vers.alij verò capiunt particulas vestium*, &c. quia licèt hoc superficialiter in bonum dirigatur finem, occultè tamen Diaboli suffragium retinet ad aliquod malum, & peccatum grauius operandum; & meritò, quia prædicti pulueris applicatio, & vestimenti secatio præcisè ab vxoris manu, insuper & promissio pacis nedum cum dicto remedio, sed cum præsentia sortilegæ tantùm, vti ipsa affirmauit, hæc omnia, & alia circa vestes muliebres agitata, superstitiosa, & damnata iudicanda sunt, idem Farinac. *d.quæst.20.num.98.* Alphonsus à Castro *de iust.hæretic. punit.lib.1.cap.14.in prima & secunda columna.* 3

Pœna verò huius delicti arbitraria est, tam de iure ciuili, quàm Canonico in sortilegiis non hæreticalibus, docuit Menoch.*de arbitrar. cas.388.* & sensit illum 4

illum referendo Iul. Clar. *lib. 5. recept. sentent. §. hæresis, in fine.* Farinac. *d q. 20. num. 89. & 94.* Grilland *d. tract. & q. 11. num. 7.* Iacob de Graffis *lib. 2. decis. aur. cap. 5. num. 26.*

5 Sed iam consuetudo inualuit, vt huiusmodi mulieribus vilibus, & abiectis publica, & ignominiosa pœna imponatur, nempe vt mitrentur, & fustigẽtur, vt scripsit Salcedo *d. cap. 107. in fine*, & multoties practicatur ita; eandem ergo praxim saltim quoad mitram in præsenti sequutus fuissem, nisi dicta sortilega in carcere detenta ibi infirmata fuisset. Quapropter, nec torqueri ad declarandam veritatem, & occultum secretum, & intentionem in eodem delicto, nec publicè puniri potuit.

6 Vnde eam exterminauimus, & in pecuniaria pœna condemnauimus.

7 Inductricem autem mulierem, quæ supradictam sortilegam vocauit, & in facto comitauit, & adiuuit, puniuimus in eo, nempe vt audiret sententiam publicè in Ecclesia, in qua pronunciaretur, & notificaretur insuper, vt staret absque genuflexione, interim quòd Missa celebraretur, præter tempus quod Hostia sacrosancta ad populum eleuaretur, quod fuit executioni traditum, & etiam aliam pœnam pecuniariam eidem fœminæ imposuimus.

QVÆSTIO XXXIX.

De pœna falsi testis per Ecclesiasticum iudicem apponenda.

SVMMARIVM.

1 *Laici de falsitate conuicti secundum legitimas cõstitutiones puniuntur.*
2 *Quæ pœnæ imponantur falsis testibus, & inductoribus per leges ciuiles.*
3 *In minoribus pœnæ sunt mitigandæ.*
4 *In delictis geminatis minorum pœna corporalis admittitur.*
5 *Iudicium quæstionis traditur.*
6 *Testis qui falsum deposuit contra fiscum, non pœna falsi, sed arbitraria punitur.*
7 *Contrarium est verius.*
8 *Sublimitatur in causis criminalibus tam ex officio, quàm ad instantiam partis, secus in ciuilibus.*
9 *Tacens veritatem in fauorem delinquentium, falsum committit.*
10 *Pœna minori super falsitate fuit imposita ignominia publica in foro Ecclesiastico.*
11 *Alia etiam fœmina similiter eadem pœna damnata.*

QVÆDAM mulier conuicta, & confessa de depositione falsa semel, & iterum, condemnanda erat in quadam causa, vnde dubium de pœna imponenda surrexit, in quo textus *in cap. ad falsariorum, de crimine falsi*, decreuit quòd secundùm legitimas constitutiones puniantur laici de falsitate conuicti. 1

Et recurrendo ad leges Regias, est textus *in l. 7. tit. 17 lib. 8. recopil.* apponẽs pœnas falsis testibus in ciuilibus verecundiæ publicæ, & triremium per decem annos: in criminalibus autem eiusdẽ ignominiæ, & triremium in perpetuum, & extendit ad inductores si sint vilis conditionis, & sic in proposito perspicui, & manifesti iuris videbatur prædictæ fœminæ periuræ, suæ pœnæ condemnatio, & appositio. 2

Aduersùs quam obstabat quòd erat minor vigintiquinque annorum, licèt maior quindecim in suo aspectu, & quòd in minoribus sunt pœnæ tempe- 3

 randæ,

randæ, & mitigandæ. Farinac. iuribus, & DD. relatis, *de pœnis temp. quæst.* 92. *num.* 41. *& seqq.* & in specie *num.* 133. loquens de delicto falsitatis à minore perpetrato, cuius pœnam ob dictam minoritatis causam, non ordinariam, sed mitiorem imponendam affirmat.

4 Sed respondetur prædictam culpam fuisse geminatam, & iteratam per eandem fœminam, & minorem, & licèt in delictis iteratis minorum secundùm relatos ab eodem Farinac. *vbi proximè, num.* 138. pœna similiter temperatur; verùm *num. sequenti*, contrarium docuerunt plures *ibidem* relati, & *n.* 140. concludit idem author, esse grauiùs minores plectendos ex delictorum geminatione; & quamuis liberentur à pœna ordinaria, attamen imponi posse isto casu pœnam corporalem, admittit cum Riminaldo *in consil.* 244. *num.* 30. *lib.* 3.

5 Vnde si ordinaria legis Regiæ pœna in criminalibus est ignominiæ, & triremium, sublatis triremibus, vel alia pœna in eius locum ob muliebrem sexum, & imposita tantùm ignominia, adimpletur sententia Riminaldi, & Farinacij, quia ordinaria pœna mitigatur, & tamen corporalis imponitur, qua resolutione retenta

6 Non obstat etiam, quòd testis, qui falsum deposuit contra Fiscum, vt accuratum defenderet, non punitur pœna falsi, sed arbitraria, vt ex Alex. *consil.* 55. *lib.* 7. rescripsit Menoch *de arbitrar. cas.* 306. *in fine*, & fuisse sic decisum in Concilio Neapolitano, teste Grammatico *voto quinto*, ex ea ratione, quia hæc falsitas nemini est nocibilis. Farinac. *de falsitate. q.* 160. *num.* 85. & quòd in præsenti sumus in his terminis.

7 Quia respondetur primò, quòd contrarium est verius, nempe quòd siue sit causa ex officio, seu Fiscalis, siue partis, pœna vniformis imponi debet, quia loco partis succedit iudex in causis de officio, & similiter Fiscalis; præterea falsitas in occultationem delictorum est nocibilis Reipublicæ, cuius interest ne delicta remaneant impunita, & vt cæteri ab illis ob timorem pœnæ se abstineant, & sic seueriùs punienda erit, quàm falsitas in singulari dãnosa, quia grauiùs, & generaliter lædit; quare sic sentit, & docet Acceud. *in d. l.* 4. *n.* 62. *&* 63. *tit.* 17. *lib.* 8. Addens quòd in prędictis causis pœna dictæ legis Regiæ, nec augeri, nec minui potest per iudicem absque suo damno, & illam exequi debet, ex Didaco Perez *ibi* relato.

Et licèt idem Aceuedo *num.* 91. scribat cum Auendaño quòd deponens falsum contra Fiscum, puniatur extraordinariè; veritas tamen est quòd grauiùs lædat hic falsarius, & sic venit ordinariè puniendus in causis criminalibus, vti in causis de officio docuit idem author *d. num.* 62. Secus autem erit in ciuilibus contra Fiscum, in quibus secundùm dictum Aceuedi, ex Auendaño, & Hippolyto poterit admitti. 8

Insuper tacens veritatem in fauorem delinquentium, falsum committit. idem Acceud. *in d. l.* 4. *num.* 79. Farinacius *tract. de testibus, quæst.* 67. *num.* 220. *& seqq.* cum plurimis citatis, verba sunt textus *in cap.* 1. *de crimine falsi.* ibi, *vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.* 9

Quapropter in prædicta falsitate steti in resolutione suprà retenta, vt præfata fœmina ignominia publica puniatur, exclusis aliis in locum triremium, vt eius minoritati, & causæ de officio, & ad instantiam Fiscalis temperiem aliquam de æquitate tribueremus; licèt illud de rigore non sit sufficiens ad eandem temperiem operandam, attentis 10

tis in hoc casu suprà ponderatis, quæ legitima & conuenientia videntur.

11 Aliam etiam mulierem mendacium alteri imponentem, & delictum lenocinij similiter eadem ignominia publica humiliauimus, cum pietatis adminiculo, nempe vt non per vias de more, sed ad fores carceris verecundiam pateretur scala, seu loco alto superimposita præcone culpam acclamante, ex eo quòd mulier læsa querelans à querela discessit.

QVÆSTIO XL.

Contra Clericum bis in die celebrantem.

SVMMARIVM.

1 *Iura canonica hoc delictum expresiè non puniunt.*
2 *Ecclesia communis vsus prohibitionem attulit.*
3 *Delinquit qui vsum prædictum vulnerat.*
4 *A prohibitione duo casus excipiuntur.*
5 *Cæteri casus non sunt in vsu.*
6 *Iudicium quæstionis & norma duas Missas celebrandi traditur tribus conditionibus.*
7 *Prima cum ieiunio, & quomodo.*
8 *Secunda cum vera necessitate, & quando adsit.*
9 *Tertia cum iudicis licentia.*
10 *De Clericis in Curijs Regum pluries in die celebrantibus.*

1 LICET iura Canonica non clarè & apertè puniant hoc delictum, vt patet ex textu *in cap. consuluisti, & cap. te referente, de celebrat. Missar.* vbi tantùm dicitur quòd sufficit Sacerdoti vnicam quotidie Missam celebrare, *& in cap. sufficit, de consecrat distinct.* 1.

Verùm Ecclesiæ communis vsus & consuetudo canonicatum habet, & definitum, quòd non liceat Clerico in die amplius, quàm vnum Sacrificium offerre. Iacobus de Graffis *decis. aur. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 2. 2

Et hinc est quòd delinquat, & puniẽdus veniat, qui dictam consuetudinem vulnerauerit tanquam scandali fomitem præstans, vt notauit Diaz *in practica criminali, cap.* 35. *num.* 2. 3

Ab hac consuetudinis prohibitione excipiuntur duo casus, alter in die Natiuitatis Domini, Graffis *vbi suprà*. Alter in casu necessitatis, quando vnus Parochus annexam aliam Ecclesiam habet, quæ Clericum sustentare non valet, vel quando deficiente Sacerdote populus in die festo diuino Sacrificio caret, & vrget eius necessitas. 4

Cæteri enim casus ab aliquibus relati iam in desuetudinem abierunt, ob frequentiam Sacerdotum, vt innuit Ignatius Lopez *super dicta practica criminali, & super dicto cap.* 35. & retulit Menochius *de arbitrar. casu* 407. *num.* 5. & in fine similiter scripsit ex eodem Diaz *in d. cap.* pœnam esse arbitrariam in Sacerdote excessum supra dictum committente. 5

Quare in hoc casu Presbyterum monuimus ne deinceps à consuetudine Ecclesiæ resiliret, insuper pecuniaria pœna mulctauimus, normámque dedimus in futurum in hunc modum, vt cum tribus conditionibus, & non aliter, duas Missas in vna die auderet celebrare. 6

Prima cum ieiunio, hoc est, ablutionibus primæ Missæ non sumptis, vt omnes scribentes aduertunt. 7

Secunda cum vera necessitate, aut in Ecclesia annexa, & pauperrima, aut 8

in non annexa, carente tamen Sacerdote ad celebrandum, ex dicto textu *in cap. sufficit*, ibi, *nisi causa necessitatis suadeat*, &c. & docuit Syluest. *in summa, verb. Missa* 1. §. *addo ego vndecimum, in fine*, ibi, *sed illud nota quòd non est necessitas vbi per alium impleri potest*, &c. & retulit Nauarr. *in manual. cap.* 25. *de peccatis Clericorum quoad Ordines, num.* 87. *vers. Quintus, in fine*, ibi, *& non est alius, qui alteram dicat*, &c. & *n.* 88. ibi, *eque si adsit alius Sacerdos*, &c.

9 Tertia cum iudicis Ecclesiastici licentia in Ecclesia annexa, & in non annexa, si per tempus licuerit, & necessitas subitò non occurrerit. Et ideo prædicto Clerico culpam grauiorem imposuimus, & identidem pœnam, quia ad suasionem Parochi, cuius erat locum tenens, duas Missas celebrauit, cùm in loco alter Clericus vacuus, & alter religiosus aderant, qui rogati poterant eamdem necessitatem celebrando excludere, vnde meritò prædictus Clericus fuit à tali excessu purgandus, & Ecclesiastica disciplina erudiendus, vt in posterum illum non immemor effugeret.

10 Verùm grauiorem culpam committunt Clerici, qui in Curiis Regum & locis magnæ multitudinis plures Missas ausi sunt celebrare in eadem multitudine freti, & quòd sic delictum erit ignotum, cùm illud iam ex vera audacia, & malitia & maxima lucri cupiditate committant, ideo sicut culpa in prædictis Clericis crescit, & pœna similiter crescere oportebit, quoties in ipso facinore deprehenduntur, in quo illud expedire iudicarem, vt celebrandi potestate in posterum carerent, ne in eodem abusu deinceps ambularent, eo maximè cùm Clerici sic delinquentes vtplurimum sunt foranei, & vilis conditionis, & habitus, quibus ipsa celebrandi prohibitio etiam extra delictum in eam commissum multo magis quadrat & congruit.

QVÆST. XLI.

Depositarius, seu custos in re Ecclesiæ, de qua culpa teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Depositarius, seu custos de dolo & lata culpa tenetur.*

2 *Qui mercedem accipit pro custodia, tenetur de leui.*

3 *Iudicium quæstionis in praxi traditur, & quòd leuis culpa in negligentia consistit.*

Licet depositarius & custos solùm de dolo & lata culpa teneatur, ex textu *in cap. præterea, Instit. quibus modis re contrahitur obligat.* & *ibi* gloss. *& in l quod Nerua, ff. depositi.* † Ille tamen custos, qui mercedem recipit pro custodia, tenetur etiam de leui culpa, quia iam contractus gratia vtriusque contrahentis factus fuit, vt per textum *in l. si vt certò, §. nunc videndum, ff. commod.* & meliùs *in l.* 1. *§. si vestimenta, ff. depositi*, cum aliis docuit Farinacius *de furtis, q.* 169. *num.* 24 *&* 27. & adhuc non defuit qui culpam etiam leuissimam imputaret prædicto custodi, ex eodem auctore *in dicto loco, num.* 25. † Vnde ex prædicta doctrina condemnauimus Sacristas quosdam qui Ecclesiæ portam minus clausam relinquentes furto illam aperuerunt, tanquam leui culpa innodati, quæ in desidia & negligentia consistit, glossa *verb. debet, in d. §. præterea*, ex eo quòd Sacristæ sunt conducti ad custodiendum pro mercede, & salario quod percipiunt ab Ecclesia, vnde leui culpa

tenen-

tenentur, pro qua fuerunt ad tantundem legitimè condemnati, cum iurium reseruatione ad exigendum, & à fure & latrone eandem quantitatem recuperandum.

QVÆSTIO XLII.

De iuramenti suppletiui delatione in causa executiua fori Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *In executiuis transactis decem diebus omnis exclusa remanet probatio.*

2 *Statuto termino ad probandum, illo elapso peti non potest iuramenti delatio.*

3 *Delatio circa quantitatem indicia, & coniecturas requirit.*

Iuramentum delatum perficit semiplenam probationem actoris, ibid.

4 *Iudex ex officio cum iuramenti delatione veritatem indagare in quacumque parte litis.*

5 *Iunctis adminiculis, & probatione expensarum in genere, facilis redditur delatio iuramenti.*

6 *Quando de quantitate expensarum non constat, iuramentum defertur etiam sine indiciis, aut coniecturis.*

7 *Reo iuramentum defertur tanquam propensius ad liberandum.*

1 ERRAMVS in causa executiua, & reus probabat quasdam expensas, sed non quantitatem earum: vnde dubitabatur quid faciendum? Et ex eius parte dicebatur sibi esse deferendum iuramentum, tam quia quantitas erat modica, quàm quia erat Clericus bonæ vitæ; pro actore verò erat regula, quòd in executiuis non est locus prædictæ delationi post transactos decem dies, intra quos omnis est facienda probatio, & illis transactis exclusa remanet iuramenti delatio, quæ in supplementum probationis admittitur. Aceued. *in l.1.num.23. tit.21. lib.4. recopil.* Ceuall. *com.contra comm. quæst.7. in fine*, & confirmatur ex fallentia Socin. *regul.iur.lib 7.tit.1. fol. 769. fallentia* 5. vbi quòd statuto termino ad probandum, illo elapso peti non potest iuramenti delatio, idem ait *in fallentia* 80. & refert plures Boër. *decis.95.num.4. &* 5. licèt 6. contrarium fuisse Decius scribat. 2

Præterea, quia delatio illa circa quantitatem aliqua indicia, & coniecturas requirit, cum quibus, & cum iuramenti probatione resultet sufficiens veritatis, & quantitatis aperitio. Boër. *decis.243. in fine.* cum aliis, Menoch. *consil.1109.num.10.* Bart. *in l.admonendi, num. 40. ff.de iureiurando*, per text. *in cap.ex literis, eod.tit.* docet Mascard. *de probat.quæst.9 num.24.& seqq.vol.1.* vbi quòd prædictum iuramentum perficit semiplenam probationem actoris, & efficit perfectam, & validam. Ceuall. *d.quæst.7. num.17.* vnde cùm in prædicto casu de quantitate nihil fore constaret, nec de illa essent indicia, nec semiplena probatio, difficile apparebat iuramentum deferre. 3

Quibus non obstantibus, illud detuli ex officio, vt veritas clarescceret, sequutus Alexandrum *consil.53. num.5. lib.1.* & Menoch. *d.consil.1109.num.11.* Mascard. *d.quæst.9. num.28.* Ceuall. *d. quæst.7.num.17.* cum pluribus ab ipsis relatis. nam etiam parte non petente poterit iudex de officio suo cum prædicti iuramenti delatione veritatem indagare 4

dagare in quacumque parte litis, maximè cùm in hoc multum possit eius arbitrium. Menoch. *de arbitrar. cas.* 208. *num.* 3. Mascard. *d. loco*, *num.* 38. & ita cessat oppositio de termino transacto decem dierum, cùm iudex non ad instantiam actoris, sed suo Marte delationem desideret.

5 Rursus causa erat modici momenti, & de aliqua expensarum quantitate in re quadam testis deponebat, & similiter omnes de bona opinione rei, & vita eius per famam, quibus adminiculis iuncta probatione expensarum in genere, facilem reddidit præfatam dela-
6 tionem, † eo maximè, quia in prædicta specie quando quantitas non constat, iuxta textum *in d. cap. ex literis*, Parladorius ipsius interpres, *rerum quotid. cap.* 18. indicia, & coniecturas non postulat, imò nec textus ipse prædictas coniecturas requirit, quia licèt ibi ex fama notorium esset de quadam terra sortem, & amplius fuisse perceptam; non tamen de quantitate ampliori quicquam constabat ex indiciis, aut coniecturis, & nihilominus præcepit Pontifex iuramentum deferri, constito tantùm de sorte, & amplius, vnde in præsenti de probatis expensis, sed non earum quota, detulimus iuramentum veritatis, reo executo, quia licèt actor suam actionem probauerit instrumento: reus tamen solutionem prædictis expensis necessariis in actoris domo
7 monstrauit, † & reo iuramentum in hoc casu deferendum est, tanquam propensiùs ad liberandum, Mascard. *d. quæst.* 9. *num.* 29.

***

QVÆSTIO XLIII.

Non vulgaris.

An causa matrimonialis in absentia mariti agitari possit quoad matrimonij nullitatem non citato personaliter marito, sed per edictum, aut posito defensore.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus.*

2 *Citatio debet esse personalis, quando de priuatione, aut graui praiudicio agitur, nec sufficit citatio domi.*

3 *In sponsalibus per absentiam sponsi potest sponsa ad alia sponsalia transire.*

4 *In matrimonio de præsenti, nisi certum habuerit nuncium de morte viri, secus est.*

5 *Eadem certitudo requiritur in impedimento dirimente, & sic citatio personalis.*

6 *Probatio fornicationis est difficilis probationis.*

Ad contrahendam affinitatem seminis virilis emissio requiritur, ibid.

7 *Maritus etiam in contumacia condemnatus defectis expensis audiendus venit.*

8 *Sententia matrimonialis in iudicatum non transit.*

9 *Argumento in contrarium respondetur.*

10 *Marito absente, & contumace, si de nullitate matrimonii tractetur, causa poterit illo personaliter non citato terminari.*

11 *Secus*

11 *Secus si non de nullitate, sed de separatione quoad thorum agatur.*

12 *Ratio differentiæ traditur inter hos casus.*

13 *Contra absentem maritum procedi non potest, si ab initio, vel iusto impedimento abfuit, vel voluntariè sine malitia.*

14 *Quomodo in praxi recipiatur textus* in cap in præsentia, de sponsalibus.

15 *In arbitrio iudicis est perpendere malitiam in absentia mariti.*

1 VXOR quædam matrimonium irritare contendebat, seu dirimere ex affinitatis illicitæ impedimento in primo gradu, & copulæ habitæ per maritum suum cum sorore carnali vxoris, ante contractum matrimonium, ex textu *in cap.4. sess.24.* Concilij Tridentini, quem bene explicat P. Sanchez *de matrimon. lib. 7. disput. 67. num.* 4. sed probata copula tam testibus, quàm confessione sororis deficiebat maritus, vt in causa, & impedimento citaretur ad veritatem declarandam, quia vagabundus ambulabat, nec in quo loco morabatur, constabat. quare deuentum fuit ad dubium, vtrùm causa per defensorem absenti nominandum, aut per citationem ad domum factam, vel per edictum posset legitimè substantiari.

2 Et decreui quòd non, sed maritum personaliter citandum, & adhibendam esse diligentiam in illo reperiendo, & interim causæ prosequutionem esse suspendendam.

Primò ex eo quòd citatio debet esse personalis quando de priuatione tractatur, & de graui præiudicio Rot. Rom. vt per Æmilium Veralium *decis.* 114. *& decis.117. p* 1. Puteus *decis.373. lib.1.* Gratian. *discept. forens. tom.3. cap.* 531. *num.* 76. nec sufficit alia citatio domi facta, seu facienda. Cùm ergo maritus priuetur in hac causa vxore sua, & matrimoniali consortio, & de tam graui præiudicio eius agatur, debet vtique personalissima præcedere citatio vera, non ficta, aut incerta.

Secundò, quia licèt in sponsalibus per absentiam sponsi de futuro, liberè possit sponsa ad alia sponsalia conuolare, textus *in cap. de illis, de sponsal.* & explicat idem Sanchez *lib.1. de sponsalibus, disput.* 54. 3

In matrimonio tamen de præsenti secus est, quia quantocumque annorum numero absentia mariti duret, non poterit vxor alterius consortio coniungi, nisi certum nuncium habuerit de morte viri, ex text. *in cap. in præsentia, eod. tit. de sponsalibus.* 4

Si ergo veritas, & certitudo in tali matrimonio de præsenti desideratur, vt matrimonium euanescat, & dissoluatur, similiter eadem certitudo erit desideranda in præsenti casu, vt matrimonium iam contractum irritetur, ex impedimento dirimente, & ita cum certa citatione personali mariti, & non aliter, debet causa nullitatis, & impedimenti terminari. 5

Tertiò, quia fornicationis, & copulæ probatio est difficilis probationis, dixi suprà *quæst.5. num.2.* & ad contrahendam perfectam affinitatem requiritur seminis virilis emissio, vt vna caro efficiantur. idem Sanchez *d. lib.7. disp.64. num.8.* quod per testes impossibile probari potest, & licèt soror in hoc casu declaret cognitionem à viro; ipse tamen vir audiendus etiam erit super eadem cognitione, fortassis probabit falsam esse sororis assertionem. 6

Quartò, quia etiamsi maritus in contumacia ficta condemnetur, & nullitas matrimonij declaretur, postea veniens refectis expensis adhuc contra 7

N rem

rem iudicatam audiendus erit, idem Verall. *decis.* 118. *part.* 1.

8 Maximè cùm sententia matrimonialis in iudicatum non transeat, *cap. lator,* cum aliis, *de sent. & re iud.* Gutierr. *tract. de matrim. cap.* 115. *num.* 12. gloss. *verb. seruetur, in cap.* 1. *vt lite non contest.* Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 100. *per tot.* maximè *num.* 13. Genuens. *in praxi Archiep. cap.* 21. *num.* 11. Maceraten. *in pract. lib.* 1. *resol.* 93. *n.* 7. & 8. Ex quo resultaret quòd vxor alio matrimonio iam contracto, & per maritum impedimento destructo, teneretur secundum matrimonium relinquere, & ad primum reuertere, vnde cùm tanto detrimento, & periculo in re tam graui, & sacramentali, & occultà firmo pede, & sic firma citatione est procedendum.

9 Nec obstat quòd si maritus multo tempore non comparet, vxor innubilis, & ligata permanebit, quia idem est in casu quo, cessante impedimento affinitatis, dubitatur de morte viri, & nihilominus certa eius probatio desideratur, ex d. text. *in cap. in præsentia,* quia quousque certitudinem habeat, de suo statu disponere non valebit, & idem asseuerandum erit in præsenti causa à consimilis rationis argumento.

10 Verum est tamen quòd si maritus absens contumax apparuerit, aut quia citatus, aut quia malitiosè se occultat, siue quia impedit ne possit ad eum citatio peruenire, & tractetur de nullitate matrimonij, tunc etiam contra absentem esset causa matrimonij terminanda, & testes recipiendi marito personaliter non citato, ex text. *in cap. quoniam frequenter,* §. *porrò, vt lite non contest.*

11 Secus verò si tractaretur de separatione quoad thorum, ex *cap.* 1. *eod. tit.* & *ex eodem* §. *porrò, vers. si autem.* & aduertit Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 21. *num.* 17. & 18. † Sed quare de nullitate, & fœdere matrimonij substantiatur, & terminatur causa, & hoc denegatur quando illa agit de separatione, rationem differentiæ non tradiderunt aliqui Doctores, nempe Sanch. *de matrimon. lib.* 12. *disput.* 47. *num.* 9. nec Gutierrez *in suo tract.* Hostiensis autem *in summa tit. vt lite non contest. num.* 2. aliquas differentias recenset, quæ non quadrant mihi; sit illa ratio, quia quando de nullitate liquet, iam contrahentes maritus, & vxor sunt in peccato, & damnabili coniugio, ideò celeriter est prouidendum, quia vrget necessitas, eo magis quando maritus malitiosè se occultat, & hoc insinuat textus *in d. cap.* 1. §. *porrò,* ibi, *ne Ecclesia læsionem patiatur,* & refert Hostiens. *d. num.* 2. & Genuensis *d. cap.* 21. *n.* 17. ibi, *ratione periculi animæ,* &c. Felinus *in d. cap.* 1. *num.* 8. Quando verò agitur de separatione, iam cessat illud inconueniens, cùm non de vinculi nullitate, nec de peccato agatur, ideò coniux non malitiosè absens expectandus est, nec vxor de lapsu carnis opponere potest, cùm in multis casibus continere cogatur, ex *d.* §. *porrò, in fine.* sed in præsenti ex eo quòd maritus multò ante causam inceptam abfuerat, modis contentis in dicto textu circa contumacem cognoscendum, iudicari contumax non potuit. 12

Nec contra ipsum absentem procedi valet, quando sine culpa ab initio, vel iusto impedimento abfuit, vel voluntate propria, non malitiosa, ex *d.* §. *porrò, vers. si autem,* & docet *ibi* Panormit. *num.* 13. §. *aut absentauit.* tunc enim expectandus est, vt ait textus, donec de eius morte verosimiliter præsumatur. 13

Quæ quomodo in hac materia ad hunc effectum probetur, tradunt idem Sanchez *d. disput.* 46. Gutierr. *de matrimonio,* 14

monio, cap. 51. Riccius *praxi fori, decis.* 265. nempe per vnicum testem de visu, & duos de auditu, & fama, vel per capitulum extractum à libro Parochiæ, & sic practicaui multoties *d. cap. in præsentia*, de quo dicam infrà *q.* 59. *à num.* 7. *vsque ad* 11.

15 Ex prædictis resultat, quòd etiam in causa separationis maritus malitiosè absens in absentia iudicandus est, argum. textus *in d. § porrò*, *vers. sin autem*, & sentit Panorm. *ibi*, & dicitur mariti absentia malitiosa, quando requisitus à muliere per literas non vult venire, & licèt à principio voluntariè discesserat, nimium tamen immoratur, & sic est in dolo, quia non facit id ad quod tenetur. Panormit. *in d. num.* 13. facit textus *in l. dolus, ff. mandati*, cum simili. ego puto, quòd in arbitrio sit iudicis attentis facti diligentiis perpendere malitiam. Innocent. *in d. quoniam, n.* 2.

QVÆST. XLIV.

Vxorata mulier adulterium committens, si adulter postea cum illius sorore velit contrahere matrimonium, an teneatur impedimentum denunciare, & illud tacendo, an puniri possit.

SVMMARIVM.

1 *Nullus tenetur prodere se ipsum.*

2 *Mulier debet impedimentum denunciare.*

3 *Reuelando secretè Confessario, Parocho, seu Prælato.*

4 *Per dictum vnius impedimentum probatur.*

5 *Quando de impedimento adest murmuratio, iam de se mulier tenebatur respondere.*

6 *Mulier ex præfatis non denuncians rea est.*

7 *Iudicium quæstionis traditur.*

8 *Alia fœmina impedimentum tacentes, & scientes, quomodo puniantur.*

9 *De iure Canonico, & ciuili vnusquisque teneiur obuiare delicto, & illud regulariter manifestare.*

DVBIVM faciebat, quia nullus tenetur prodere se ipsum, maximè cum detrimento vitæ in talibus mulieribus coniugatis, & cum amissione honoris, & famæ, vt *in cap. quis aliquando, de pœnit. distinct.* 1. ibi, *non tibi dico, vt te prodas*, &c. & cum aliis scripsit Gutierr. *canonicar. qq. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 39. 1

Sed nihilominus contrarium affirmandum est in præsenti, nempe talem mulierem debuisse impedimentum denunciare. 2

Primò ex vi publicationum matrimonialium, quæ ad impedimentorum notitiam tendunt, ex Concil. Trid *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* quarum mulier simul, & matrimonij manifestè conscia fuit.

Secundò, quia licèt debeat, & possit vitam, & honorem suum conseruare, vtrûque simul fieri poterat, illud facere, & denunciationem non omittere, eo modo quo docuerunt plures, nempe idem Gutierr. *d. c.* 11. *n.* 25. *vsque ad* 28. *& de matrimon. cap.* 59 *per totum.* Nauarr. *tract. de denunciat. facienda* 6. *conclus. num.* 399. *§. si autem, & sequenti*, Pater Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 71. *num.* 2. cum relatis ab eis, reuelando secretè Confessario, Parocho, seu Prælato, vt possit matrimonium denegare, † eo maximè, cùm per dictum vnius 3 4

illud denegetur, ex his quæ cumulat idem Gutierr.*d.cap.*11.*num.*28.*& tract. de matrim.cap.*36.*num.*3.4.5.*&* 11.vbi distinguit idem Sanchez *d. lib.*1. *disp.* 71.*num.*2.*& seqq.*

5 Tertiò, quia indubia est hæc sententia quando de impedimento supradicto adesset murmuratio, & diffamatio,& semiplena probatio,prout aderat in præsenti,docet,& recenset præfatus Gutierr.*d.cap.*11. *num.*39. plurimis relatis. tunc enim tanquam de impedimento publico iam mulier de se ipsa tenebatur respondere, quanto magis Confessario, & Prælato manifestare.

6 Ad secundum autem constito quòd coniugata debuit impedimentum declarare, eam fuisse ream, occultando, consequitur: fecit enim errare Ecclesiam in coniungendo, & copulando impeditos impedimento, nedum impediente, sed dirimente ex fornicatione illicita intra secundum gradum, & Concil. Trid. *cap.*4. *sess.*24. cuius fuit immemor Pater Sanchez *lib.*7.*cap.*15. *num.*1. dum cum aliis sensit, impedimentum præfatum solùm impedire;nec reperiri textum qui illud esse dirimens decernat. *num.*autem 4. refert ipse auctor Concilij decretum ad restrictionem affinitatis,non ad impedimenti dirimentis probationem.

7 Quapropter ex hac culpa dignum fuit moderatam punitionem in pecunia imponere dictæ fœminæ arbitrio iudicis, vt in posterum in sacramento Matrimonij diligentiam adhibeat circa impedimenta reuelanda, quæ sibi notuerint.

8 Eadem arbitraria punitione mulctauimus alias fœminas supradictæ comites, tam in sciendo eodem impedimento, quàm in illo occultando ex similis culpæ consideratione, ne aliàs ex ipsarum omissione matrimonia plurima cum impedimento contrahantur,& postea cognito irritentur in Ecclesiæ, & coniugatorum præiudicium, † cùm 9 attento iure Canonico, & ciuili vnusquisque teneatur obuiare delicto,& illud regulariter manifestare. Anton. Gomez *de delictis, cap.*2. *num.*8. Menoch.*de arbitrar.lib.*2. *cent.*4. *cas.*355. DD.*in cap.quanta, de sentent. excomm.* quos recenset, & sequitur Riccius *in praxi aurea,resol.*255.

QVÆSTIO XLV.

De muliere maleficia, & sortilegia committente.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegia, & maleficia non hæreticalia quæ sint.*
2 *Mulieres quomodo sine errore Dæmonis consilium recipiant.*
3 *Tria dubia disputata in hac quæstione.*
4 *Maleficia quomodo dicantur probata.*
5 *Singulares testes in genere probant sortilegium etiam in criminalibus,*
6 *Ratio redditur præcedentis conclusionis, & praxis similiter refertur.*
7 *Testes in identitate facti concordes non sunt singulares.*
8 *Singularitas cum adminiculis plenè probat.*
9 *Testes ad mulieres super sortilegij consilio accedentes,an sint socij criminis, & admittantur ad proferendum testimonium.*
10 *In crimine malefcij socius criminis etiam vt reus deponens admittitur.*
11 *Tortura remedium est subsidiarium.*

12 *Ad*

12 *Ad occultum cum Dæmone pactum aperiendum tortura potest imponi.*

13 *De eodem occulto pacto inquirere non valet qui nec Apostolica, nec ordinaria Inquisitoris caret potestate.*

14 *Indicia, & probationes ex dolore torturæ pugnantur.*

15 *Pœna sortilegij est arbitraria, & quæ sit in praxi recepta.*

1 IVDICANDA erat mulier de sortilegiis, & maleficiis accusata, non tamen hæreticalibus, quia tantùm remedia, & pocula, amatoribus, seu à fœminis diabolicis, ligatis ne coire possent, præstabat; insuper aliqua diuinabat, & alia faciebat in finem venereum, ligando, aut liberando, quæ omnia non sunt hæreticalia, licèt Dæmonis inuocationem, & auxilium tacitè contineant, qui ex subtilitate scientiæ suæ potest prædicta cognoscere, & operari, Deo non reprimente. Farinac. *de delictis & pœnis, quæst.20.num.*80.& 85.

2 Et quia tales mulieres possunt absque errore intellectus obediendo tantùm Dæmoni illius iussum non contemnere, in illis rebus, quæ ex naturalibus secretis ipsi sunt cognitæ, & notæ, absque eo quòd adoratio, seu cultus ipsi inimico tribuatur, & absque expressa professione cum illo, sequendo tantùm consilium eius, eo modo, quo consilium alterius sequitur, ex Grillando *tract. de sortileg. lib. 2. q.10. num. 5. vers. secundo autem casu*, &c. Castro *de iusta hæreticor. punitione, lib. 1.cap.15. penes finem*, §. *si ille dixerit se non credere.* Farinac. *d. num.*85.

3 Vnde dubium fuit ortum de tribus.

Primò, an maleficia essent sufficienter probata.

Secundò, an dicta fœmina esset torturanda.

Tertiò, qua pœna veniret condemnanda.

Circa primum sufficientem adesse probationem iudicauimus, quia per plures testes vnusquisque de visu, & facto proprio constabat mulierem cum illis sortilegia exercuisse, liberando illos ab impedimento vsus naturæ, insuper adhibuisse capillos hircinos, & caprinos, & quod magis est, diuinasse impedimentum ante ipsius propositionem, insuper demonstrasse in quodam aquæ vase mulieris faciem impedimentum apponentis, de quo nimium territus fuit testis, & alia de fama, & malo nomine circa sortilegiorum exercitium. 4

Quæ omnia licèt in specie singularia videantur, quia quilibet testis suum factum, aut passum exponit, in eundem tamen coniunguntur finem, & in genere probant sortilegium, vt cum pluribus congessit Farinac. *de testibus q.64. num. 147. & multis seqq. & num. 223. & seq.* & licèt postea sublimitet *num. 156. & num.229.* in ciuilibus: secus verò in criminalibus, quando agitur ad condemnandum, in eisdem tamen criminalibus plenam resultare probationem ex testibus singularibus, quorum dicta singularia in eundem finem, & vnum totum copulantur, affirmauit Gomezius *var. resol. tom. 3 cap.12.n.12.* & plerique relati à Farinacio *d.n.147.* cum Riminaldo Clari opinionem contrariam reprobando *lib. 1. consil.7.n.16.* & retuli suprà *quæst.12. num.7.* Mascard. *lib.2. conclus.856.num.15.* 5

Et irrefragabili ratione hæc sententia probatur: nam aliàs hæc crimina absque punitione remanerent, cùm vix singularis testis reperiatur qui liberè de illis deponat, ideò in similibus causis difficilis probationis, nempe forni- 6

cationis, lenocinij, sortilegij, & cæteris, cum hac regula quotidie iudicatur in foro Ecclesiastico, nempe coniungendo dicta testium singularia in fabricando vnum delicti genus, & corpus, ne aliàs impossibilis postuletur probatio in tam occultis, & secretis criminibus, eo maximè, quando in illis ad maximum pecuniaria, aut corporalis pœna imponatur, absque vitæ & substantiæ totali detrimento.

7 Sed in præsenti causa non aderat ex toto singularitas, duo enim testes conueniebant in eo quòd impedimentum mulier, antequam diceretur, diuinabit, insuper alij, quòd illud in ipsis amouit, in qua veritate, & substantia non sunt testes singulares, sed conformes, quia in identitate facti concordant. idem Farinac *d.q.64. num.26. &* 31. Mascard. *d.conclus.*856.*num.*18.

8 Vnde cessabat dubium singularitatis, quæ licèt in aliis testibus inueniatur deponentibus de capillorum hircinorum appositione, & mulieris in vase ostensione, coniuncta tamen, cum plena prædictorum testium probatione, & cum aliis adminiculis malæ opinionis, & nominis, & aliorum de auditu, & quòd testes in præsentia mulieris firmiter in dictis steterunt, claram & fortem probationem criminis effecerunt, ex relatis suprà *d quæst.*12.*n.*6. *&* 7. Couarr. *var.resol.lib.*3.*c.*3.*num.*5.

9 Non obstabat quòd testes qui se liberatos à muliere affirmabant, socij criminis videantur, quia ad illam in prohibito consilio confugerunt, ex relatis ab eodem Farinac. *de delictis & pœnis, tom.* 1. *quæst.*20. *num.*95. & quòd talis socius criminis à testimonio contra socium repellatur, vt latè disputauit idem Farinac. *de indiciis, & tortura, tom.*1. *q* 43. *num.*8. *& sequentibus*, quia non vt rei, sed vt testes factum, visum, & passum cognoscentes deposuerunt, & sic legitimè admittuntur. Mascard. *de probation.tom.*3. *conclus.*1312. *num.*55. prætetquam quòd hæc societas leuis est, & aliquantulum minuit illam hominis infirmi desiderata liberatio, & non constitit in actis quòd testes remedia diabolica, sed medicinam tantùm postulassent, quod in malum, & tam malignum non est interpretandum, cùm peccatum in dubio non præsumatur, text. *in l.meritò ff pro socio.*

Et in crimine maleficij socius criminis etiam vt reus deponens admittitur, vt per text. *in l.* 1. *C. de malefic. & mathem.* notauit Gomez *d.cap.*12.*n.*16. *§.adde tamen.* idem Farinac. *d.quæst.*43. *num.*67. 10

Circa secundum dubium iudicauimus etiam mulierem non torturandam ex eo quòd culpa eius, & probatio sufficiens videbatur, qua stante ad torturę remedium subsidiarium non esse deueniendum, imò fatuum, & culpabilem iudicem esse si deuenerit, firmarunt plures, quos coaceruat idem Farinac. *de indiciis, & tortura. quæst.*40. *tom.*1.*num.*3.4.*&* 5. 11

Et licèt hoc in casu ad aperiendum occultum cũ Dæmone pactum, & delicti circumstantiam aggrauantem possemus torturam imponere, idem author *d.loco num.*16.*&* 17. 12

Ex eo tamen quòd illud Inquisitoris officium spectabat, cuius vsu, & iurisdictione Apostolica, seu ordinaria carebamus, & quòd mulier tot vicibus à testibus interrogata, & in facie obiurgata, & pluribus confessionibus, & promissis inducta, firmiter in negatione permansit, imò cum tortura comminata libenter vestes deponere respondit, superflua visa fuit illius remedij appositio. 13

Præsertim, quia postea minoranda erat pœna ordinaria ex dolore torturæ, quo indicia, & adhuc plenæ probationes 14

nes

nes purgantur, ex sententia eiusdem Farinacij pro vtraque parte disputantis *dict. quæst.* 40. *num.* 2. *vsque ad* 8. *&* *seqq.* maximè *n.* 11. vnde vt ex probatione sufficienti pœnam ordinariã imponeremus absque scrupulo diminutionis, & ne dura postea videretur pronunciatio, si tortura & ordinaria pœna iungerentur, & ne tempus in inani remedio laberetur, illud omittere existimauimus.

15 Circa tertium pœnam esse arbitrariam iure attento scripsimus suprà *quæst.* 38. *num.* 4. & de consuetudine receptum esse quòd tales mulieres viles & abiectæ fustigentur, & mittentur, teste Salcedo *in pract. crimin. cap.* 107. *in fine*, & audiui sic esse in practica receptum, vt illæ duæ pœnæ copulentur in tali crimine, licèt non copulatiuè, sed disiunctiuè considerentur à Farinacio *d. quæst.* 20. *num.* 93. quare sequendo practicam nostram in eodem facinore tam graui & generali fama & nomine perpetrato, & vt rea mulier ab illo discederet, & Respublica bono ædificaretur exemplo, eamdem copulatam pœnam dictæ vili mulieri imposuimus.

QVÆST. XLVI.

Qui falsarium esse iudicem & scribam iniuriosè dixit, an pœna palinodiæ decantandæ teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Iniuria circa falsitatem* in l. 2. tit. 10. lib. 8. recopil. *non inuenitur.*

2 *Absenti facta requirit animum, vt ad illius notitiam perueniat, insuper & cœtum & vociferationem.*

3 *Iniuria duplicis faciei similis est conuitio falsitatis.*

4 *Falsitatis conuitium proditioni simile.*

5 *Quæstionis iudicium, & quòd in pœnis strictior interpretatio sumenda.*

6 *Parladorij assertiones contrariæ repetuntur, & repelluntur.*

7 *Siue falsitatis, siue aleuosiæ nota dicatur, non intrat palinodiæ cantus, nisi in proditione Regis.*

8 *Cætera aleuosiæ minori gladio feriuntur.*

9 *Conuitium est atrox contra iudicem & Magistratum, & etiamsi in foro.*

Arbitrium est datum iudici in minoribus conuitijs, vt pœnam augeat pro qualitate ipsorum, ibid.

QVIDAM in syndicatu declarauit aliqua contra iustitiæ officiales, à quibus postea obiurgatus se nihil dixisse, esseque falsitatem & mendacium à iudice & scriba compositum, & scriptum publicè affirmauit, vnde pro iniuria captus, & processu compilato stetit in sua declaratione priùs facta, & conuitium supradictum negauit. Quare pro sententia ferenda ad me tanquam Assessorem negotium fuit delatum, & pro vna parte videbatur palinodiæ cantum non intrare, cùm hæc iniuria *in l.* 2. *tit.* 10. *lib.* 8. *recopilat.* non inueniatur, eo maximè quando absenti fit, prout *hîc*, † quo casu præter conuitium animum vt in illius notitiam perueniat, insuper cœtus & iniuriæ vociferationem requiri, senserunt Couarr. *lib.* 1. *variarum cap.* 11. *num.* 4. § *verùm, in fine.* Parlador. *lib.* 1. *rerum quotidianarum, cap.* 17. *num.* 43. 1 2

Rursus, quia iniuria de duplici facie similis est conuitio falsitatis: at in illa 3 paliuo

palinodiam negauit idem Parlador. *dicto loco, num.*40. ergo in hac similiter esse negandam ex prædictis apparet.

4 Pro altera parte vrgebat dictum eiusdem Parlador. *vbi suprà, num.*18. vbi tenuit falsitatis conuitium grauissimum, esse proditioni similem, indeque comprehensum censui *in d.l.*2.

5 Tenui tamen primam opinionem tanquam benigniorem in pœnis, in quibus strictior interpretatio sumenda est. *l.interpretatione, cum similib.de pœnis.* † & non obstat dictum Parladorij *d.num.*18. quia illud improbat Aceued. *in d.l.*2.*num.*41. præterquam quòd repugnat assertioni, quam tenuit *d.n.*40. de iniuria duplicis faciei, quæ etiam proditioni similis, videtur, immo communiter pro eodem accipiuntur proditor, & duplicem faciem ostendens; si ergo falsitatis conuitium ex eo quod proditioni coniungitur, palinodiæ pœnam expostulat de mente Parladorij *d.num.*18 quare conuitium duplicis faciei quod multò magis proditioni quadrat, eidem pœnæ non subiacere sensit *in d.num.*40. Quare tanquam contraria sentiens repellendus erit, † & sequendus Aceued.*d.l.*2.*num.*34.*& seqq.* qui siue falsitatis, siue aleuosiæ nota quis aliquem dehonestauerit, non esse contradictionis &, palinodiæ pœna plectendus, rectiùs ostendit, ex eo quòd verbum *proditor*, *in d.l.*2. positum, ad Regis proditorem spectet, contra quem propria proditio dirigitur ex vinculo fidelitatis, & obedientiæ, quo ei subditi sunt ligati, & vinculati, quod fidelitatis vinculum frangens læsæ Maiestatis crimen committendò proditionis reus realiter efficitur: vnde qui tantum crimen alteri imposuerit, vt se contradicat, & contrarium cantet, aptissimè *in d.l.*2. præcipitur.

(6 and 7 margin numbers appear beside "nis." line and "ria sentiens" line respectively.)

8 Cæteræ autem proditiones & aleuosiæ cum amicis & coniunctis tanquam minores, minori gladio feriuntur *in subsequenti l.* 3. *eiusdem tit.*10. *lib.*8. *recopilat.* & sentit Aceued *dicto num.*34 *& seq.* † Sed quia conuitium, 9 de quo in hac quæstione, fuit atrox, tum quia contra iudicem & Magistratum. idem Aceued *in d l.*3.*num.*8. cum Menochio *de arbitrar.casu* 263.*num.*5. tum quia in foro & vociferatione. Anton.Gomez *tom.*3.*variarum cap.*6.*n.*4. duximus imponendam esse conuitianti trecentorum solidorum pœnam *in d.l.*2. contentam, *d.l.*3. expresse permittente, & concedente iudici arbitrium in minoribus conuitiis, vt pro qualitate ipsorum pœnam augeat, siue imponat.

QVÆST. XLVII.

Non vulgaris.

An sicuti reus in criminalibus causis termino principali ad se defendendum renunciare nequit, ita termino ad repulsas testium assignato nequeat renuntiare.

SVMMARIVM.

1 *Reus termino probatorio & defensionibus suis renunciare nequit in causa sanguinis, aut membrorum amissionis, aut pœna corporalis, aut infamia.*

2 *Secus in aliis causis pœna pecuniaria, aut relegationis.*

3 *Vna inter alias limitatio est in renuntiatione termini ad repulsas testium dando, seu dato.*

4 *Regula & DD. loquuntur in renuntiatione*

tiatione probatorij termini, non in alia.

5 *Terminus probatorius principale præiudicium includit rei in sua defensione, & excusatione.*

6 *Renuntiatio termini ad repulsas est secundaria, & sic minorem effectum operatur.*

7 *Repulsæ testium sunt incertæ; & possunt abesse, & frequentius sunt vagæ.*

8 *Terminus probatorius principalis est naturalis.*

9 *Terminus repulsarum est ciuilis, & de apicibus iuris, & sic in multis casibus omittitur, & renunciari potest.*

10 *Sublimitatur hæc limitatio quando repulsæ vago, & generali modo ponuntur.*

11 *Illud poterit renunciari quod ad probandum poterat reprobari.*

12 *Secus si repulsæ sint graues, & specificæ, aut notoriæ.*

13 *Refertur practica huius quæstionis.*

1 REGVLA nota est quòd reus defensionibus suis, & termino probatorio renũciare non potest in causis criminalibus, hàbendo testes in summario receptos pro ratificatis in plenario, absque eo quòd solemniter ratificentur, & repetantur in illo iudicio, ex illa potissima ratione, quòd testis in summario absque citatione partis recepti nullum ei præiudicium poterunt operari, qui nec vocatus, nec auditus in iudicio fuit, nec suas defensiones naturali iure proposuit. Quare necessarium est quòd ipsi testes repetantur, & quòd reus citetur, & audiatur, sicuti in iudicio plenario communiter obseruatur, ex iuris naturalis præcepto, à quo defensio dependet, vt per textum *in l. vt vim, ff. de iust. & iur.* & cum aliis retulit Vantius *de nullitat. tit. de nullit. ex defectu citat. num. 2. & seq.* huic autem defensioni naturali nemo renunciare potest, quoad amissionem membrorum suorum, quorum non est dominus, & ita in causa criminali, in qua venit imponenda capitalis, aut corporalis pœna, siue infamia, renunciatio supradicta non admittitur, nec valet admissa, etiam cum iuramento.

Secus in aliis causis inferioris pœnæ pecuniariæ, aut relegationis, docent per textum *in l. liber homo, ff. ad l. Aquil.* & per glossam *verb. cùm liceat, in l. pactum inter hæredem, ff. de pact.* Ioan. Gutierr. *de iurament. confirmat. 3. part. cap. 10.* Anton. Gomez *var. 3. tom. cap. 13. num. 33. versic. tertiò poterit.* Couarr. *in 4. de sponsal. 2. part. cap. 8. §. 12. num. 16.* Paz *in praxi, 5. part. 1. tom. cap. 3. §. 9. num. 3.* Salcedo *in addition. ad Diaz, cap. 128. §. finali.* Menoch. *de arbitrar.* & Clarus simul, & alij quamplures congesti à Farinacio *de indiciis & tortura q. 39. num. 51. & seqq. tom. 1. & 2. tract. de testibus quæst. 75. num. 290.* Baiardus ad Clarum *quæst. 49. num. 38. & 39.* Felinus *in cap. cùm venisset, num. 4. de testibus*, cum pluribus Vincent. Carroc. *de exceptionibus, & remediis, except. 44. num. 57.* 2

Sed hæc regula vnam patitur limitationem inter alias quas præcitati interpretes aduertunt, nempe in termino ad repulsas dato, renunciando quem reus poterit renunciare, etiam ad pœnam capitalem corporalem, aut infamem, quando iam terminus probatorius principalis fuit transactus, & in eo fuerunt testes legitimè ratificati, & recepti in iudicio plenario, & reus defensiones suas in illo plenè probauit, & constat ex sequentibus. 3

Primò, quoniam plerique DD. ex relatis 4

relatis si videantur, loquuntur in renunciatione probatorij termini, qui summariam informationem subsequitur, non verò in renunciatione termini ad repulsas concessi.

5 Secundò, quia in illo principali termino defensio partis conficitur, & testium condemnantium notitia in citatione & ratificatione acquiritur, & sic vel culpa, aut innocentia principalibus testibus & dilationibus ostenditur, aduersùs quas non vtique valuisset renunciatio ob rei præiudicium principale in primæua defensione & excusatione.

6 Renunciatio verò dilationis ad repulsas est secundaria, vnde eumdem effectum & nullitatem operari non debet, & sic sentit Couarr. *dicto loco, & num.* 16. ibi, *item quando reo fuit dilatio prima ad probandum data, poterit idem reus cæteris dilationibus renunciare, quo casu erit intelligendus textus in dict. cap. dilecti, de accusat.* &c. & licèt Ioan. Gutier. *dicto cap.* 10. *num.* 6. impugnet hanc sententiam ex eo quòd *in d. cap. cùm dilecti*, non agatur de pœna corporali, sed de priuatione administrationis, & quòd non loquatur textus in hoc casu, & contrarium in practica viderit obseruari: negari tamen non potest quin sit maioris momenti, & potioris effectus dilatio prima, & principalis terminus probatorius, quàm secundus ad repulsas concessus, vnde tanquam infirmior & secundarius nil mirum si minus valeat, & importet, & possit à reo renunciari.

7 Tertiò, quia repulsæ sunt incertæ, & non ideo quòd terminus à lege sit ad earum probationem præscriptus, necessariò supponuntur & inueniuntur, cùm tale poterit esse factum verum & firmum, & tales testes illum affirmantes, quòd nulla repulsa contra illos obiiciatur, nec possint impugnari; cur autem illud quod potest abesse & deficere, & est incertum, dato iam alio termino, & concessa altera defensione, renunciari non poterit? eo maximè cùm frequentiùs repulsæ sint vagæ & generales, & in nihilo probationes principales infirment? dixi suprà *q.* 17. *num*....

Quartò, quia terminus probatorius principalis tanquam citationem & defensionem naturalem importans, est naturalis, vt diximus *in principio.* quare ei renunciatio non obest quæ defensiones immutabiles à iure naturali, seu gentium introductas excludere non valet, *§. sed naturali, Instit. de iure natur. gent. & ciuil.* † Terminus verò repulsarum & defensio earum à lege positiua & ciuili inuentus est *in l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *recopilat.* & est de apicibus iuris; si enim à iure naturali descenderet, semper & in quacumque causa locum haberet, ex eo quòd à iure positiuo trahatur, in pluribus casibus omittatur, quos refert idem Farinacius *d. tractat. de testibus, quæst.* 62. *num.* 193. *& seqq.* quare rectè poterit renunciari, vt cum multis regulam in hoc casu limitando docuit idem Farinacius *dict. quæst.* 39. *num* 67. & vltra illos similiter limitauit Felinus *in d. cap. cùm venisset, num.* 4. *de testibus.* 8 9

Sed hæc limitatio principalis regulæ modificanda erit, & sublimitanda, vt procedat, & meo videri sit tenenda, quando repulsæ aut non inueniuntur notoriè ex eo quòd facti veritas apparet ex aliis iam præuisis & probatis, aut quando apponuntur vago & generali modo, tunc enim securè procedit limitatio vt reus tali termino & repulsarum defensione valeat renunciare. 10

Cùm etsi probarentur, nihil tamen operarentur, vnde reus nullo suo fauori nec membris in dicta repulsarum defensione renunciat, quæ ex iam apparente 11

rete veritate, aut ex generalitate inutilis iudicatur; quapropter poterit renũciari quod ad probandum poterat reprobari, ex traditis per Mascard. *de probat. 1. tom. q 17. num. 23. & seqq.*

12 Secus verò si repulsæ adeò graues, & specificæ apponuntur, aut sunt notoriæ ex aliis causis in eodem iudicio, aut Tribunali, siue in altero resultantes, vt testes in plenario deponentes totaliter infringant, ita vt pœna corporalis capitalis, aut infamis sit omittenda, tunc namque talis defensio renunciari nequibit, cùm ex ea membris vitæ, & honori renuncietur, quorum reus non est dominus, & licèt hæc defensio sit secundaria, & alteram supponat, si illa propter eandem rationem non est renunciabilis; ergo similiter secunda, quando in ea idem inconueniens non cessat.

13 Et sic hanc quæstionem in practica obseruaui, & intellexi, & in quodam casu, ex eo quòd veritas ex variis diligentiis constabat contra mulierem sortilegam, de qua suprà *quæst. 45.* & contra testes nullæ repulsæ videbantur adesse, nec fuerunt oppositæ, & mulier illis, & termino renunciauit, ideò admissa ipsius renunciatione ad pœnam corporalem fuit condemnata.

QVÆST. XLVIII.

An eo casu, quo maritus vxori legatum reliquit in testamento, debeantur ei lugubres vestes.

SVMMARIVM.

1 *Vestes lugubres debentur vxori si consuetudo sit eas dare, & si alenda sit in anno luctus, in quo fingitur durare matrimonium.*

Alimentorum nomine continentur, ibid.

2 *Si bona non sint vxori restituenda, & sic alenda non veniat, non debentur.*

3 *Item cessante consuetudine.*

4 *Item si legatum sit factum vxori.*

5 *Legatum in compensationem debiti quando factum videatur.*

6 *Maritus & hæredes sunt debitores necessarij vestium quando adest dandi consuetudo, & admittitur cum legato compensatio.*

7 *Iudicium quæstionis in praxi punitur.*

8 *Refertur Fachinaus contra distinctionem compensationis sentiens, & eidem respondetur, aliis eandem distinctionem approbantibus, relatis.*

VESTES lugubres debentur vxori, & per hæredes mariti ei præstandæ sunt, si consuetudo regionis illud obseruet, docuit expressè Angel de Perusio *in l. dos legata. ff. ad l. falcid & in l. decreto, C. ex quibus causis infam. irrog.* & cum aliis scripsit Palat. Rubios *rubric. de donat. inter vir. & vxor. §. 11. num 8 & 9* idem adiecit de lecto quotidiano, Aceuedus de eisdem vestibus loquens *in l. 4. Taur. lib 5. tit. 2. num. 30.* meliùs Couarr *in 4 decret. 2. part. cap. 3 §. 9. n. 10.* vbi hoc sentit, & sequitur vt hæredes ad dictas vestes teneantur eo casu quo alenda est vxor, ex eo quòd bona mobilia dotis ei tradita non sunt, ad quorum traditionem annum habent, *in l. vnica, §. exactio, C. de rei vxor. actio,* & quia dictæ vestes alimentorum nomine continentur, ex *l. verbo victus, ff de verbor. signif* idem similiter sentire videtur Ioan. Lupus de Palat. *rub. in* 1

d.§.11.*num.*5.*& d.num.*9. nempe quòd dictæ vestes debeantur vxori tanquam alimenta, quæ debentur ei in anno luctus, in quo debet stare in domo viri, & operari ibi, quia fingitur durare matrimonium per spatium dicti anni.

2 Quidquid sit de dictis vestibus, ex prædictis infertur quòd si bona mobilia non sint quæ vxori defuncto marito restituenda veniant, & per consequens ratio alimentorum non currat, quòd tunc de mente Couarr. & Ioannis Lupi, dictæ vestes vxori non debeantur.

3 Item similiter si consuetudo non sit illis vtendi, seu dandi, ex Angelo & aliis relatis suprà *num.*1.

4 Item rursus si per maritum sit factum legatum vxori ex quo noluisse vestes tradi colligatur, licèt enim magna contentio sit inter Doctores, quando legatum in debiti compensationem factum censeatur, de quo idem Ioan. Lup. de Palatios Rubios *in l.*16. *Tauri,* Menoch. *de præsumpt. lib.*4. *præsumpt.* 109.*&* 110. Barbos. *in l. si cùm dotem,* §. *si pater, num.*1.*& seq. ff. soluto matrim.* Mandel. de Alba *conf.*17. *à n.*6.*p.*1.

5 In illa tamen distinctione conueniunt, nempe quando causa debiti erat necessaria ex dispositione legis, statuti, seu consuetudinis, vt tunc compensatio inducatur; secus autem si causa debiti non necessaria, sed voluntaria sit, saltim in initio.
6 † Vnde si ex consuetudine introducta dictæ vestes debeantur, dicere possumus maritum & hæredes eius in illis præstandis esse debitores necessarios, & per consequens cùm causa debiti necessaria videatur, admittenda erit compensatio, & interpretanda iuxta præfatam distinctionem.

7 Quam sequutus in casus contingentia constito de consuetudine notoria, & de legato vxori facto per maritum, vestium lugubrium petitionem excludimus inter iudicandum earum debitum cum legato compensando.

Licèt enim eadem distinctio displiceat Fachinæo *controuers. iur. lib.* 5. *cap.*33. eius tamen accurata sententia in disputandò poterit fortassis admitti; secus verò in iudicando & consulendo. nam in iudiciis eamdem distinctionem admissam esse censemus, & eam confirmant Aceued. *in l.*7. *nu n.*6.*&* 7. *tit.*9. *lib.* 5. *recopilat.* Anton. Gomez *tom.*2. *variarum cap.*11. *num.*27. *&* 28. Spino *in specul. testament. gloss.*8. *n.*73. *&* 74. & circa hanc materiam pleniùs distinguit Marescot. *variarum resolut. lib.*2. *cap.*86. licèt prædictæ communis distinctionis non recordetur. 8

QVÆST. XLIX.

Non vulgaris.

An Patrono minori, seu talis beneficium habenti aduersùs iurispatronatus renunciationem competat restitutio.

SVMMARIVM.

1 *Respublica & communitas minoris beneficio gaudet.*

2 *Re non integra, & tertio ius acquisitum, minoribus & alijs denegatur restitutio.*

3 *Ecclesia non restituitur ad lucrum cum iniuria alterius.*

4 *Sententia prædicta in praxi Canonicata est, & securè dato dolo in damnum renunciantis procedit.*

5 *Post quadrimestre à tempore scitæ vacationis computandum, non reclamans communitas, collationem Ordinarij approbasse videtur.*

6 *Etiam*

6 *Etiam retento, & non renunciato iure patronatus lapsus quadrimestris deuoluit ad Ordinarium, & ipse validè confert.*

7 *An restitutio communitatis si non prodest ad vacationem præteritam, prosit ad futuram.*

8 *Patronus habet vocem non momentaneam, sed successiuam.*

9 *Vna deuolutione facta, non ideò aliis vacationibus patronus ius suum amittit.*

10 *Patronus in futurum restituendus.*

11 *Nisi alius patronus in patronatu per renunciationem intrauerit.*

12 *Melior est conditio possidentis.*

13 *Traditur regula & norma quæstionis.*

14 *Ponitur ad regulam limitatio.*

15 *Similiter alia sublimitatio adiicitur.*

1 CONSVLVI quòd non, ex eo quòd in facti contingentia renunciato iurepatronatus per quandam communitatem, alius patronus successit, & erat in possessione: tum etiam, quia ex dicta renunciatione, Capellania liberata fuit à seruitute patroni; item Ordinarius acquisiuit ius, illam absque præsentatione conferendi. Denique aderat Capellanus ab ipso prouisus, & possidebat collatione sibi facta communitate non reclamante in toto quadrimestre; post illud autem reclamare volens aduersùs renunciationem, in integrum restitutionem postulabat, tanquam minoris beneficio gaudens, *l. rempubl. C. de iur. reip. lib.* 11. Euerard. *loco* 67.

2 Vnde ex prædictis successit non esse locum prædictæ restitutioni in spiritualibus, seu illis annexis vti iuspatronatus, in quibus receptior sententia est, quòd re non integra, & post ius aliis acquisitum restitutio minoribus, & aliis priuilegiatis denegetur, bonus textus *in l. quod si minor, §. Scæuola, ff. de minoribus*, disputat ad longum, & tenet in iudicando sic esse obseruandum, Parisius *de resignat. beneficior. lib.* 3 *quæst.* 7. *num.* 55. *vers. in iudicando.* ibi, *Namque ius quæsitum alteri est sufficiens causa, vt non detur restitutio in integrum*, &c. idem tenet Nicol. Garcia 11. *part. de benefic. cap.* 3. *de renunciatione, num.* 61. & Rotæ decisiones recenset; ad idem est videnda decisio Æmil. Veralli Caputaquensis *verb. ius quæsitum, decis.* 136. ibi, *Ius quæsitum alteri est sufficiens causa vt restitutio in integrum non concedatur*, &c.

Et huc pertinet quod docuit Tiraq. *de retract. lignag. §.* 35 *gloss.* 2. *num.* 11. quòd Ecclesia non restituitur ad lu- 3
crum cum iniuria alterius, † ex quibus 4
hæc sententia ex relatis decisionibus canonicata videtur, licèt in puncto iuris alij contrariam defendant, quæ dato dolo, aut fraude in damnum renunciantis, tenenda erit iuxta eosdem Parisium, & Garciam *in dictis locis.*

Et cùm in præsenti communitas voluntariè renunciasset, & aliis ius fuerit acquisitum, cessauit restitutionis fauor, qui cum iniuria alterius etiam in Ecclesia odiosus censetur, maximè ad lucrum captandum, vt in iurepatronatus acquirendo, ex his quæ congerit Vincent. Carroc. *tract. de remediis, except.* 48. *num.* 11 *§. secundò.*

Rursus præcipuè cùm eadem communitas quadrimestre labi permiserit 5
absque reclamatione, à tempore scitæ vacationis computandum, ex his quæ refert Iulian. Viuian. *in praxi iurispatr. lib.* 7. *cap.* 1. *& cap.* 2. *num.* 5. & sic collationem Ordinarij tacitè approbasse videtur ad quem facta fuit deuolutio, vt aduertit Lara *de Capellaniis, lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 26. *&* 29.

Quare nil mirum, si ius Ordinarij, & 6

collatio eius per restitutionem postea postulatam infringi non possit, cùm etiam iurepatronatus retento per prædictum lapsum valida efficiatur. Riccius *in praxi fori, tit. praxis iurispatronat. decis.* 161. *num.* 105. *&* 106. cum decisionibus ab eo relatis: vnde multò magis renunciato.

7 Sed dubium erit, an eadem restitutio prædictæ communitati non ad prædictam vacationem, sed ad aliam futuram valeat suffragari, & ita quòd ad eam restitutio absque præteritæ præiudicio possit impartiri? & quidem Doctores *suprà* relati, & alij cum eis disputantes, loquuntur in renunciante beneficium vnica renunciatione, & actù qui est momentaneus, nec habet tempus recidiuum, si validè fiat, & re integra non reuocetur; quare sic renuncians semel moritur, nec surgere ampliùs potest, & ita prædicti Doctores ad hoc dubium non deuenerunt.

8 Patronus autem habet vocem non momentaneam, sed continuam, & successiuam succedentibus vacationibus, atque ideo licèt restitutio renunciationem ad præteritas non expergat, nec vulneret, futuras autem vulnerare, & recidiuare poterit, si ante ipsas obtineatur.

9 Sic etiam vna deuolutione facta per omissionem patroni, nòn ideò ipse aliis vicibus præsentationem amittit.

10 Quare censeo ipsum in futurum restituendum nam tunc ius tertij non est in contrariū, & sufficit quòd per vnam omissionem patroni Capellania, aut beneficium, & Ordinarius absque præsentatione conferens ad semel, & ad præsens ius consequantur, non autem in perpetuum. Et quia tunc ratio, & inconueniens prædictæ sententiæ cessat ex verosimili mente eam tenentium, quos suprà retulimus,

11 † nisi alius patronus patronatum post primi renunciationem acquisierit, quia cùm illius ius in futuris vacationibus possit viuere, præiudicabitur si primo patrono renuncianti restitutio concedatur.

Quare possidendo conditio eius potior erit, & in læsionem sui iuris in futurum considerabilis, & duraturi primus patronus restituendus non erit, ex DD. & decisionibus relatis. 12

Itaque colligitur pro regula in hac quæstione quòd patrono ius patronatus renunciante, etiam minori, aut talis beneficium habenti restitutio aduersùs renunciationem deneganda, quando aliis ius est quæsitum, & res non est integra; 13 † & limitatur vt regula procedat in vacatione præterita, non verò futura; 14 † & sublimitatur, nisi in præterita patronus alius ius acquisierit, quia tunc primus etiam in futuram vacationem restituendus non erit, placuit hanc quæstionem in patronorum terminis explanare, in quibus à Doctoribus explanatam hucusque non inueni. 15

QVÆSTIO L.

Non vulgaris.

An Canonicus absque causa, & licentia diu non residens mortiferum peccatum committat.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur Doctores pro sententia affirmatiua.*

2 *Referuntur fundamenta eiusdem sententiæ.*

3 *Nega*

3 *Negatiua sententia probatur, quia ad mortale vulnus damnare non possumus, quos lex non damnat.*

4 *Non solùm expressè, verùm nec tacitè Concilium in hoc casu mortalem culpam insinuat.*

5 *Lex pœnalis mixta iuxta intentionem legislatoris obligat.*

6 *Verbum* procedatur *ad actionem exteriorem pertinet.*

7 *Pœna excommunicationis, aut degradationis, aut alia grauis, vel preceptum sanctæ obedientiæ, aut mentio de reddenda ratione Deo, hæc verba faciunt obligationem in conscientia.*

8 *Nuda vnius verbi prohibitio ad peccatum non obligat, & ex hoc argumento vniuersæ leges obligarent, quod dici non potest, nec est in vsu.*

9 *Vbi Concilium voluit obligare ad peccatum, illud expressit.*

10 *Culpa Canonici non residentis amissione fructuum punitur, & vni culpa vna tantùm pœna respondet.*

11 *Alienum restituere non potest pœna vocari.*

12 *Serui qui pro tempore quod non seruiunt salarium non percipiunt, ad aliam culpam, seu pœnam non tenentur.*

13 *Præceptum Concilij* in d. cap. 12. *est tantùm pœnale, & ab eo ponitur argumentum in præsenti.*

14 *Declarationes Concilij in hoc casu peccatum non insinuant.*

15 *Doctores etiam illud peccatum non postulant.*

16 *Vsus habet in hoc puncto quòd peccati scrupulus non recipiatur.*

17 *Omnibus contrariis in specie respondetur.*

18 *Sententia prædicta aliquibus conditionibus modificanda traditur.*

Commmittere affirmarũt Lessius *de iust. & iure, lib. 2. c. 34. dub. 29. num. 163. §. sexta.* Pater Vasquez *opusc. de beneficiis, cap. 4. §. 2. num.* 180. cum Syluestro ab eo citato, licèt locum non inuenerim, Nicol. Garcia *de beneficiis, 3. part. cap. 2. num.* 321. *& seq.* Homobonus *tract. de statibus humanæ vitæ*, referendo obligationes Canonicorum Riccius *praxi aureæ. var. resol. resolut.* 363. 1

Mouentur ex eo, quia sequitur diminutio in diuino cultu, tum etiam, quia est contra ius naturale, non soluere officium, & ministerium acceptum, præcipuè si stipendium accipiatur, & quia Canonicus absens non satisfacit præcepto grauissimo Concilij Trid. *sess. 24. cap. 12.* vbi residentia præcipitur, simul cum aliis eiusdem Concilij declarationibus, ab eodẽ Garcia relatis *vbi proximè n.* 322. *&* 323. in quibus eadem Canonicorum residentia apertè declarata, & punita extat; refert etiam declarationes Piasecius *in praxi Episcop. p. 2. cap. 3. num. 19.* & Barbosa *remission. ad Concil. in d. sess. 24. c. 12. n. 37.* idem generaliter affirmat in Clerico beneficium, licèt exiguum habente, Iacobus à Graffis *decis. aur. conscientiæ 1. tom. lib. 2. c. 97. n. 56. & 2. tom. c. 14. n. 6.* 2

Contrariam verò sententiam veriorem existimo, ex sequentibus. Primò, quia ad mortalem culpam, & mortiferam pœnam condemnare non possumus, quos lex ad illud non damnat, nec tanti iudicij admittenda est cogitatio absque expressa legis definitione, volentis ad mortale obligare, vel certis argumentis subintellecta, iuxta supradicta *quæst. 19.* & adnotat Castro *tract. de lege pœnali lib. 1. cap. 9. § lex purè pœnalis, vers. quia nulla lex.* vnde cùm sacri Concilij tenor *in d. c. 12.* expressè prædictam mortalem culpam Canonicis non imponat, sed solùm mulctam tempo- 3

temporalem, nec etiam in toto titulo de Clericis non residentibus vllum verbum de tali pœna mortali contineatur, dicendum erit ad eam leges obligare rem minimè voluisse; quomodo ergo quis audet pœnam adeò grauem sine lege, & iure definire?

4 Nec etiam tacitè Concilium illam culpam mortalem insinuat, solùm enim prohibet absentiam per verbum *non liceat*, quod licèt graue peccatum denotet, ex sententia Castri *d. tract. & lib.* 1. *cap.* 5. §. *quidquid in iure Canonico*, non tamen est bona collectio, prohibitum est per legem Canonicam; ergo est peccatum mortale, quia potuit lex de sola tantùm prohibitione exteriori loqui, & non de interiori.

5 Maximè cùm lex pœnalis mixta aliquando obliget ad culpam, aliquando non, iuxta ipsius Legislatoris intentionem, vt magistraliter docuit idem Castro *d. tract. & lib.* 1. *cap.* 12.

6 Ita videtur *in d. cap. Concilij*, dum adiungit verbum *procedatur*, quod ad actionem exteriorem pertinet, & spectat.

7 Diuersum namque esset si Concilium post verbum *non liceat*, adiungeret pœnam spiritualem excommunicationis, degradationis, aut alias graues, aut præciperet in virtute sanctæ obedientiæ, aut de ratione reddenda Deo, mẽtionem faceret, vt refert idem Castro *d. §. quidquid, in fine, & eod. lib.* 1. *cap.* 8. *in fine*, quia tunc iam tacitè conscientiæ memoriam faceret, & peccati obligatio admissa censeretur.

8 Aliàs autem per nudam vnius verbi prohibitionem ad forum externum directam ad internum extendi affirmare non debemus, alioqui hoc argumento debiti admisso, ferè omnes Reges sæculares & Ecclesiasticæ vtriusque iuris ad peccatum obligarent, quod nec dicendum, nec vsus illud admisit, vt suprà docuimus *dict. quæst.* 19. *num.* 8

Secundò, nam vbi voluit sacrum Concilium ad peccatum obligare, id vtique satis expressit in curam animarum habentibus, & non residentibus, vt constat *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* ibi, *ac mortalis peccati reum quem incurrit*, &c. & si voluisset, idem etiam in cæteris eandem curam non habentibus, & non residentibus expressisset, & insinuasset; quare postea non exprimendo, nec insinuando, imò pœnam tantùm temporalem ipsis imponendo, illius tantùm obligationem imposuisse fatendum erit. 9

Tertiò, quia licèt in Canonico culpa sit non residere absque causa, & licentia, iam illam pœna temporalis subsequitur, nempe amissio fructuum, & prouentuum eiusdem Canonicatus, cuius titulum habet Canonicus, & ius ad eosdem fructus accipiendos, & retinendos, etsi culpam mortalem simul imponeremus, esset duobus pœnis vnam culpam mulctare, quod est insolitum, & prohibitum in iure, per textum *in l. sanctio legum ff. de pœnis.* 10

Nec dicatur latronibus duas pœnas esse impositas, nempe rei furtiuæ restitutio, & pœna pro delicto condigna. nam alienum restituere, ad quod omne ius & titulus deficit, nullo modo pœna appellari valet, cùm nihil proprium amittatur, nec videatur rem amittere, cuius propria non fuit, ex *reg. iur. in l. non videtur, ff. de reg. iuris*, facit illud Martialis de Miluo, 11

At illa cur fles, cur hac tua viscera credis,
Qui rapto viuens sola aliena vomis.

Quartò, quia serui, & ministri ordinarij, qui in seruitio per tempus deficiunt, si pro illo tempore stipendium relinquant, ad nullam aliam culpam erunt interiùs condemnandi, cùm non sit 12

sit lex, aut præceptum illam definiens, seu promulgans; similiter ergo in ministris Ecclesiæ asseuerandum erit, vt pro seruitio non præstito, mercedem fructiferam amittant, absque alio conscientiæ grauamine per legem vllam minimè promulgato.

13 Quintò, quia illud præceptum, & Canon Concilij *in d. cap.* 12. esse tantùm pœnale, & ita quòd non facta professione fidei, restitutio fructuum non obliget in foro conscientiæ, licèt pœnam ipso iure irroget, tenuerunt Nauarr. *cons.* 3. *num.* 1. *de summa Trinit.* & *cons.* 12. *n.* 1. *de iureiur.* Eman. Rodrig. *quæst regul. tom* 2. *quæst.* 72. *art.* 3. Pater Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 50. relati per Barbosam *in d. remissionibus super d. cap.* 12. *num.* 24. licèt alij contrarium sentiant; vnde si in hoc casu, vbi Concilium videtur impedire fructuum acquisitionem ex omissione professionis fidei, in quo fundatur Garcia *d.* 3. *part. cap.* 3. *num.* 35. cum aliis relatis ab eodem Barbosa *vbi proximè*, adhuc plures existimarunt esse tantùm legem pœnalem, & ad conscientiam non extendi; multò meliùs idem dicendum erit vbi Concilium loquens non de professione fidei, sed de residentia Canonicorum, illos ad eam tenēdam pœnis tantùm non ipso iure impositis, sed per sententiam imponendis, constringi.

14 Sextò, quia declarationes, in quibus fundatur Nicol. Garcia, nullo modo peccati obligationem insinuant, sed solùm coërtionem exteriorem, & temporalem, vt ibi, *mulctari potest*, & ibi, *puniendi sunt, in d. cap.* 2. *num.* 323. in tertia & quarta declaratione, vnde minus rectè idem author easdem declarationes in suam opinionem adducit, cùm è conuerso contrariam sentire videantur, ex mulcta, & punitione temporali, qua Canonicos absentes punire præcipiunt.

Septimò, quia Parisius, & alij, quos refert *de resignat. benefic. lib.* 1. *quæst.* 10. *num.* 62. & *seq.* & Piasecius *vbi suprà num.* 19 & Pater Sà *in suis Aphorismis, verb. residentia, num.* 11. dum Canonicorum residentiam, & obligationem declarant, de peccato mortali minimè loquuntur, præter DD. relatos suprà *num.* 1. & alij, si qui sunt, quorum vnus Iacobus de Graffis *in d. cap.* 97. *num.* 56. ad suam sententiam adducit textum *in cap. conquerente, de Clericis non resident.* in quo minimè peccati mortalis macula continetur in Clerico non residente. 15

Octauò, quia vsus habet quòd in hoc puncto peccati scrupulus reiiciatur in dictis Canonicis, & cæteris Præbendatis, vt attestatur Nicol. Garcia *vbi suprà d. n.* 321. dúmodo absentes sine causa, & licentia fructus non recuperent, aut percipiant, & non est absurdum à solitis, & ab vsitatis argumentum, ex Euerardo *in suis locis communibus, loco* 104. eo maximè cùm legum obligatio quoad peccatum robur, aut infirmitatem ex vsu recipiat, vt diximus suprà *quæst.* 19. *num.* 8. 16

Modò non obstant ea, in quibus contraria subsistit opinio; non primum, quia rarus erit Canonicus, qui sine causa, & licentia velit à suo Canonicatu abesse, & diminutio vnius in Ecclesia, aut parum, aut nihil diminuit, cùm cæteri officium adimpleant, præsertim cùm absentis fructus illis accrescant; quare hæc absentia diminutæ culpæ iam eorundem fructuum amissione punitur, etsi in foro conscientiæ esset similiter punibilis, diminutam, & venialem pœnam mereretur. Nauarr. *de horis Canonicis, cap.* 5. *num.* 18. Non secundum, quia non soluere officium, & residentiam, immediatè est contra ius positiuum, in quo est promulgata; mediatè autem, & largo modo erit contra- 17

rationem, & ius naturale, vnde si ius positiuum ad conscientiam non extenditur, nec in foro interno vult grauare, sed solùm in externo, in eo tantùm erit pœna consideranda, alioquin diceremus quòd Monachi, qui suam regulam ad peccatum non obligantem infringunt, eo ipso peccare, quia faciunt contra ius naturale, quod regulæ obseruantiam dictat, & exposcit, cùm contrarium sit verius, prædictos Monachos minimè peccare, & diximus suprà *in d. quæst.* 19. *num.* 6. & diceremus etiam seruos domesticos, seu mercenarios, qui in suo seruitio absunt sine causa & licentia, & pro rata absentiæ mercedem non referunt. Similiter pro absentia peccare cùm faciant contra ius naturale dictans inferiorem, & seruum superiori, & domino seruire debere, cùm contrarium sit affirmandum, vt suprà *num.* 12. non, inquam, obstat tertium de præcepto Concilij non residentibus imposito, quia illud, vt suprà, probare curauimus, non petit culpam mortalem, nec de peccati obligatione loquitur, sed solùm pœnis, & procedimentis temporalibus, & exterioribus residentiam confirmat, & imponit: si vtique de obligatione peccati sensisset, facilè aliquod aliud verbum, aut pœnam spiritalem proferret, aut claris verbis, vti in Episcopis, & Rectoribus, patefaceret, quo non facto in tantis, & præclaris Patribus, securè sentiendum, & affirmandum, peccati obligationem exclusisse, aliquid namque debet operari illa manifesta in Parochis, & Episcopis expressio, & illa in Canonicis, & dignitatibus simulatio, seu variatio, & ex diuerso modo loquendi in tanto Concilio diuersam sensisse obligationem possumus suspicari. Nec etiam obstat quòd amissio fructuum non sit causa principalis residentiæ, & horarum, & quòd hinc doceatur Canonicum propter lucrum principaliter horis inseruientem simoniam committere, vti affirmat idem Riccius *d. decis.* 363. *num.* 1. quia non inde sequitur pœnam non esse eandem fructuum amissionem, vnde si pœna qualis qualis est, ad illam solùm considerandam, & imponendam sufficiens est, illud item quod considerat Riccius *de Episcopo*, quòd ad chorum saltim festiuis, & Dominicis diebus sub peccato teneatur procedere, poterit vel propter scandalum cessante causa legitima, vel quia cum pœna circa fructus ob chori absentiam in Episcopo non intret, spiritualis peccati pœna propter Prælati abusum cogitari, non verò in cæteris Canonicis, & Præbendatis, ex supradictis.

18 Verùm hæc sententia, quam veram sentimus, aliquibus modificationibus accipienda est. Prima, vt absit Ecclesiæ contemptus. nam aliàs ex hac circumstantia, ipsa absentia peccaminosa reddetur. Secunda, vt Canonicus absens minimè fructus accipiat absque beneplacito Apostolico, seu aliter de iure, nam ad restitutionem eorundem fructuum tenebitur. Tertia, quòd plures Canonici Ecclesiæ seruitium non relinquant, & totaliter iam non diminutio, sed extinctio, aut desertio notabilis succedat, tunc namque ipsi in sua absentia quoad Deum securi non erant, & in hoc sensu bene loquitur Riccius *d. decis.* 363. *num.* 2. affirmans cum Nauarro notabile detrimentum Ecclesiæ mortale vulnus efficere, quod sub correctione sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, & aliorum Doctorum meliùs sentiendum dictum intelligatur.

***

QVÆST. LI.

Non vulgaris.

An officiales sancti Officij sicut sunt exempti ab oneribus & officijs secularibus & publicis, ita ab oneribus & officijs Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1 *Officiales S. Officij exempti sunt ab officijs publicis & personalibus. & refertur casus super Ecclesiasticis.*

2 *Exemptio in fauorem Ecclesiæ data in ipsius contemptum, retorqueri non debet.*

3 *Ratio exemptionis officialium secularium in Ecclesiasticis cessat.*

4 *Refertur Doctor in terminis.*

5 *Stante publica vtilitate tam exemptio secularis, quàm Ecclesiastica frangitur.*

6 *Idem procedit in ceteris officijs hospitalium & Confraternitatum.*

1 NOTA est omnibus exemptio officialium sancti Officij circa onera & officia publica & personalia, vulgò, *officio concexiles*; quo exemplo officialis quidam, exemptum etiam esse ab oneribus Ecclesiasticis, vulgò, *mayor domias de la Iglesia*, similiter contendebat, vnde ab eius electione & nominatione ad sanctæ Inquisitionis Tribunal appellationem interposuit, vbi causa considerata, malè fuisse per ipsum officialem appellatum, & dicta officia & onera acceptanda iudicarunt.

2 Et meritò. nam aliàs prædicta exemptio in fauorem Ecclesiæ data, in eius contemptum retorqueri non debet, ex regula *quod ob gratiam, de reg. iuris.* vbi Dynus plura loquitur.

Et quia si finis illius exemptionis ad hoc tendit, vt officiales præfati ab oneribus minus honorabilibus liberentur, hæc ratio in officiis Ecclesiasticis cogitari nequit, tanquam æquè fauorabilibus, & eiusdem honoris & qualitatis in prædictis officialibus inferioribus sancti Officij. 3

Tandem difficile est Doctorem in terminis disputantem inuenire, & casu legimus Genuensem in suis practicabilibus Ecclesiasticis *quæst.* 323. vbi fundat & tenet quòd exempti à muneribus personalibus, non eximuntur à muneribus Ecclesiasticis & piis, nisi in casu magnæ & publicæ vtilitatis & necessitatis, † qua extante sicut frangi debet exemptio sæcularis, ita Ecclesiastica, per textum *in cap. non minus, de immunitate Ecclesiarum.* licèt idem Genuensis, allegato dicto capite, non ita, nec his verbis declaret. 4 5

Idem etiam affirmandum erit *en los mayor domias de los demas lugares pios hospitales y Cofadrias*, ex identitate rationis, quæ generaliter in officiis Ecclesiasticis procedit, ex traditis per Euerardum *in suis locis, loco* 101. *per totum.* 6

P 2 QVÆSTI

QVÆST. LII.

An adulterij accusatio sicut est viro & vxori communis, quoad diuortium, ita ipsius accusationis renunciatio.

SVMMARIVM.

1 *Refertur quidam auctor existimans adulterum cognoscentem adulteram remisisse adulterium, sed non è contra.*

2 *Conditio coniugum par est in adulterij accusatione quoad diuortium.*

3 *Etiam est par conditio eorum quoad adulterij remissionem.*

4 *Refutatur ratio authoris contrarium sentientis.*

5 *Licèt vxor maritum non possit corrigere, poterit tamen ius petendi aduersùs eum remittere, & renuntiare.*

1 MARIVS Antoninus Maceraten. *var. resolut. lib. 1. resol. 35. num. 4.* censuit remissionem adulterij cogniti præsumendam in viro se commiscente cum vxore adultera, sed non è contra, cùm mulier sit in viri potestate, nec sit vxoris corripere virum.

2 In quo fallitur idem author; sicut enim conditio coniugum par est in adulterij accusatione quoad diuortiũ, & ipse Maceraten vxori eandem accusationem, & separationis petitionem concedit *d. resol. 35. n. 1. & 2.* Baiard. *ad Clarum in §. adulteriũ, n. 115. iuncto, num. 118* optimè iuribus, & rationibus allegatis, & ponderatis Thomas Sanchez *de matrim. lib. 10. disput. 14. num. 6. & eod lib. resolut. 3. num. 6.* cum pluribus relatis Gutierr. *tract. de matrim. c. 129. n. 2. § sed his non obstantibus.* Couarr. *de sponsalib. 2. p. cap. 7. §. 6. num. 5.* Gama *decis. 234. num. 1. & 3.* Palat. Rub. *in repetit. rub. de donat. inter, §. 20. num. 2. & 5. in fine.*

Ita etiam eorundem coniugum conditio par erit quoad ipsius adulterij remissionem, & renunciationem circa diuortium, & effectus eius, & sic vxori eandem remissionem concedunt, idem Sanchez *d. lib. 10. disput. 5. num. 19.* generaliter in renunciatione coniugis loquens, Viuius, Bursatus, Bertaçol. & alij relati per Farinacium idem sentientem *in prax. criminal. tract. de delictis carnis, q. 132. num. 69. vers. vbi idem, de vxore.* 3

Nec ratio per Maceratensem cogitata vllius momenti est, nempe quòd solius mariti est corrigere vxorem, non è contra. nam aliud est corrigere inferiorem, & in eum superioritatem exercere, quæ non nisi in subditum cedit; aliud ius quod inferiori de iure competit renunciare: hoc autem superioris authoritatem non euacuat, nec ei repugnat, cùm possit, subdito aduersùs dominum actionem competere, vt in praxi multoties videmus, cuius actionis renunciatio consequenter admittitur. 4

Nec valet argumentum quòd Maceratensis cogitauit, vxor maritum non potest corrigere; ergo ius petendi aduersùs eum nequibit renunciare, cùm hæc duo valde sint difformia, & diuersa, à quibus non fit illatio, iuxta iuris regulam *in l. Papinianus, ff. de minoribus,* cum aliis, vt per eundem Maceratensem *d. lib. 1. var. resol. cap. 106. num. 42.* 5

QVÆST. LIII.

Non vulgaris.

Circa retractum, & terminum nouem dierum ad eum aßignatum, an à tempore contractus incipiat, seu à tempore confectæ scripturæ, opiniones Joannis Gutierrez, & Parladorij, & aliorum conciliantur.

SVMMARIVM.

1 *Refertur dictum Ioan. Gutierr. super termino nouem dierum ad retractum assignatum, qui currat à tempore tractus, quando scriptum pro substantia requiritur, secus è contra.*

2 *Refertur dictum Ioan. Parlador. existimans mentionem de scriptura factam operari, vt terminus à die confectæ scripturæ incipiat.*

3 *Hæ sententiæ licèt repugnare videantur, conciliantur, & probatur.*

4 *Explicatur ad propositum dictum Gomezii.*

5 *Quæ signa sint in contractu super scriptura necessariò requisita, remissiuè, & quid si nullum sit signum super necessitate scripturæ.*

1 IOAN. Gutierrez cum aliis scriptum reliquit *lib. 3. pract. quæst. cap. 94. num. 18. & seqq.* prædictum nouem dierum terminum à tempore contractus, & conuentionis computandum, etiamsi de scriptura conficienda contrahentes meminerint, dummodo insuper non adiecerint per omissionem scripturæ contractus nullitatem induci, ita vt nullus censeatur, nec velint, aut intendant contrahere, quousque tenor scripturæ subsequatur tanquam de substantia in contractu requisitus; secus verò si non de substantia, sed ad contractus probationem, & exequutionem absque illius præiudicio, scriptura requiratur, quam sententiam, tam ex legibus Regni, quàm ex aliis mediis, & rationibus probare contendit.

Contrarium scripsit aduersùs Ioannem alter Ioannes Parladorius *rer. quotid. different. different. 159. n. 5. & seqq.* nam ex *l. 6. tit. 5. p. 5.* arbitratur mentionem scripturæ factam in contractu operari, vt terminus à die confectæ scripturæ computetur; secus verò si de illa mentio non sit facta, quia tunc à die conuentionis terminus computandus, & suam opinionem ex *d. l. 6.* confirmat, quam non abrogatam existimat, per *l. 2. tit. 16. lib. 5. recopil.* ex aliorum iudicio, & quòd sic etiam tenuit Gomezius *tomo 2. var. cap. 2. num. 7.* 2

Sed hæ sententiæ licèt in cortice repugnare videantur, in effectu, & substantia in idem incidunt. nam ipse Gutierrez *vbi suprà num. 13.* sentit, & tenet quòd quamuis partes scripturam petierint, & desiderauerint; si tamen non pro substantia; sed ad contractus probationem, & exequutionem, & hoc aliquibus coniecturis constiterit, quòd tunc terminus non à die scripturæ, sed contractus, & conuentionis computetur, & idem manifestiùs repetit *d. c. 94. num. 21.* ibi, *Dummodo constet ex modo contrahendi perfectam omnino fuisse venditionem, tametsi scripturam de ea esse conficiendam partes conuenerint, quod voluit eadem lex 2. dum dicit, Pareciẽdo que alguno se quiso obligar, quod in effectu* 3

concurrit cum imitatione quam suprà tenuimus ad opinionem contrariam, &c. Parladorus autem *in d.differ*.109.*n*.10. intelligit & limitat suam sententiam de termino computando à tempore scripturæ, non conuentionis, aut contractus, quando contrahentes etsi scripturæ meminerunt, nihilominus voluerunt quòd contractus perfectus & immaculatus remaneret, veluti si emptor pretium numerauit, & rem venditor tradiderit, tunc namque iam non scripturæ tempus, sed contractus & conuentionis erit ad retractum inspiciendus, quia in prædicta specie qualitas scripturæ conficiendæ non pro substantia contractus à contrahentibus exigitur, cùm iam ille absolutus remaneat, sed ad ipsius probationem & exequutionem. Ecce ergo quomodo prædictæ sententiæ in eumdem sensum coniunguntur, nempe quòd in præsenti dubio quoties de scripturæ, seu contractus tempore contenditur, aut de qualitate scripturæ, verùm sit de substantia contractus, vel non, ex verosimili contrahentium animo iudicetur, & quæstio sopiatur, veluti si pretium ante scripturam sit numeratum, aut res vendita sit tradita, vt Parladorius insinuat, vel adsint aliæ coniecturæ, vt existimat Gutierrez, tunc namque signum erit qualitatem scripturæ non fuisse in contractu de substantia requisitam. nam si fuisset, nec pretium, aut traditio sine scriptura interuenisset, signum etiam erunt verba quibus contractus etiam verbo fuit celebratus cum requisito scripturæ; ex aliis enim aut fuisse prædictum requisitum substantiale, aut ex aliis non fuisse arbitrio indicantis, poterit comprehendi, veluti si post mentionem factam scripturæ, ante illam contractum non censeri factum partes adiiciant, vt suprà *num*. 11 aut si scripturam ad contractus titulum requirant; in primo enim casu sine scriptura nihil fuit actum, in secundo illam contractum non euacuare perpennditur.

4 Ex prædictis intelligendus est Gomezius, qui *dicto tomo* 2. *variarum*, *cap*.2. *num*.7. censuit terminum retractus computandum à tempore scripturæ quando fuit à partibus requisita, vt procedat iuxta supradictam conciliationem opinionum in specie, qua contrahentes ex verbis, aut signis sine scriptura contrahere non intenderunt; secus econtra, quando illam ad contractus titulum postularunt.

5 Manet igitur discordia supradicta sedata ex signis, & coniecturata mente contrahentium, eo in casu, vbi signa, aut coniecturæ inueniantur; quid ergo erit, si minimè? Sed quòd partes scripturam postulantes animum, aut mentem non insinuarunt, nec rem, aut pretium receperunt, existimarem signum esse non contrahendi ante confectionem scripturæ, quando res, aut pretium vsque ad illam fuit suspensum; si enim scripturæ tenor à contrahentibus non necessarius intenderetur, & substantialis, ad traditionem absque illo deuenissent; qua non facta, aliud sensisse possumus suspicari, & in hac specie sententiæ Parladorij & Gomesij adhærendum existimo, quidquid contrariam defendere conetur idem Gutierr. *dicto loco*, cuius fundamenta prædictà consideratione cessant ex verosimili contrahentium animo & signo, & ipse etiam sentit, vt retulimus suprà *num*.3.

QVÆST.

QVÆSTIO LIV.

Non vulgaris.

Pro eo qui sibi mortem consciuit, an possit Episcopus, seu Vicarius quintum petere, de quo in l.6. & 10. tit.4. lib. 5. recopilationis, *& pro anima, si ab intestato moriatur, distribuere.*

SVMMARIVM.

1 *Quæstio proposita ab alia dependet, & concesso antecedenti, conceditur & consequens.*

2 *Commemoratio, & sepultura æqualiter pro desperatis prohibetur.*

3 *Simul de sepultura, & oratione Doctores disputarunt.*

4 *Prima regula est quòd pro desperatis orationes, & sepultura, & quinti distributio denegentur.*

5 *Desperati decedunt in peccato mortali, & sepultura minor Eucharistia dicitur, aut Sacramentum; & sanctum non est dandum canibus.*

6 *In duello morientes sepeliri in Ecclesiis non possunt.*

7 *Item publici excommunicati.*

8 *Item hæretici, Iudæi, Pagani, & vsurarij manifesti.*

9 *Secunda regula est, quòd prima non procedat in desperatis non voluntariis, & furiosis.*

10 *Tertia est regula, vt prima non procedat in desperatis cum aliquo interuallo temporis ad mortem.*

Orare priuatim potest pro occidente seipsum, ibid.

11 *Refertur casus practicatus, & quòd bona occidentis se ipsum indistinctè ad Regium fiscum pertinent.*

12 *Distinctio communis an se ipsum occidens de delicto pœnam mortis, & confiscationis habente, sit accusatus, aut ex tædio vitæ, seu impatientia illud fecit, non est sine Authoribus, & patronis.*

13 *Testamentũ desperati valet in legato Ecclesiæ, & ab illo sumitur argumentum pro quinti distributione, & à causa testati ad causam intestati.*

14 *Declaratio in recursu violentiæ facta in præsenti specie.*

15 *An sancta Cruciata in quinti distributionibus ab intestato morientium, seu desperatorum, se possit intromittere, & refertur casus practicatus interueniente iudice, eiusdem Cruciatæ.*

DEPENDET hæc quæstio ab illa, an sibi mortem incutiens, tradendus sit Ecclesiasticæ sepulturæ. nam hoc concesso tanquam antecedens, consequens quinti distributionis pro Missis erit similiter concedendum, *l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, de procurator.* 1

Et constat ex *cap. placuit, 23 quæst. 5.* vbi commemoratio, & sepultura pro testibus prohibentur æqualiter: si enim pro illis Psalmorum cantus in sepeliendo fieri non liceat, vt vtar verbis Pontificis *in d. cap. placuit*, nec orare, & Missam pro eorum animis canere & offerre licebit, & è conuerso si primum liceat, secundum per consequens licitum erit. 2

Atque ita Doctores simul de sepultura, & oratione disputarunt, Menoch. *de arbitrariis, lib. 2. cas. 284. num. 36.* Farinacius *tract. de homicidio, q. 128. num. 16.* pluribus relatis, vnde vno ictu loquendo 3

loquendo de sepultura, & oratione pro talibus desperatis, possumus quinti quæstionem per conclusiones exponere.

4 Sit prima regula, quòd illis Ecclesiastica sepultura denegetur, nec orationes Ecclesiæ, aut sacrificia pro illis fiant, nec ad hunc effectum quintum bonorum, quæ sequuta morte reliquerunt in Missis, & sacrificiis, erit postulandum, & elargiendum, ex *d. cap. placuit*, & ex *cap. ex parte*, & *ibi* gloss. *verb. non sponte, de sepultur.* cum cæteris scribentibus Menoch. & Farinac. *vbi suprà*, Palac. Rub *in gloss. legum Tauri, in l. 4. num. 24 §. condemnatus, vers. fallit in occidente se ipsum.* Acceued. *in dict. l. 8. tit. 23. lib. 8. recopil. num.* 20. cum Placa *ibi* allegato. Spino *in speculo testam gloss.* 1 *de electione sepulturæ, n.* 19. Genuens. *in praxi Archiep. c.* 61. *n.* 10. *vers. quoniam, & num.* 21.

5 Potissima huius regulæ ratio ea est, quia tales decedunt in peccato mortali, & facti sunt inimici Dei, & eis sepultura denegatur, vt per gloss. *in cap. 2. de statu Monachorum*, rescripsit Iacobus de Graffis *decis. aur. part. 2. lib. 3. cap.* 18. *n.* 12. quia sepultura minor Eucharistia vocatur à Gratiano *disceptat. forens.* 3. *tom. cap* 410. *num.* 8. licèt iura quæ refert, non mihi illud probent, probant tamen sepulturam esse Sacramentum, textus *in cap. cùm in Ecclesia, & cap. ad Apostolicam, de simonia, & in cap. dictum est*, 1. *q.* 1. expresse docet Archidiac. *in cap. quibus* 13. *q.* 2. vbi subdit quòd in mortali peccato constituto sacra sunt prohibita, quia non est dandum sanctum canibus, *cap. nonnulli, de pœnit. distinct.* 1. & hinc meritò docuit glossa *verb. ad sepulturam, in d. cap. placuit*, quod subintelligatur de canina sepultura, dum textus ait quòd eam eorum cadauera deducantur.

6 Et à prædicta ratione dependet, quòd in duello morientes sepeliri in Ecclesiis non possint, Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de reformat.* & *ibi* Barbos. *in remissionibus suis, num.* 8. Gratian. *d.* 3. *tom. & c.* 410. *n.* 7. Item similiter quòd 7
morientes publicè excommunicati eadem pœna puniantur, de quo P. Auila *de censuris*, 2. *p. cap.* 6. *disput.* 4. *dub.* 8. Spino *d. gloss.* 1. *num.* 24. quam pœnam magnam esse ex multorum testimoniis comprobat Cenedus *collectan. ad Decretal. in cap. in literis, de raptoribus, num.* 2.

Idem propter eandem rationem 8
constitutum est in hæreticis, Iudæis, & Paganis, & vsurariis manifestis, vt cum aliis de horum pœnis tractantes, scripsit idem Spino *d. loco num.* 17. & 18.

Secunda regula est, vt prima minimè 9
procedat, si per furorem, & non sponte, aut voluntariè mortem sibi tales consciuerunt, tunc enim cessat regula supradicta, & subsequitur alia quòd sepultura concedatur, & orationes, & sacra, & ad ea quinti distributio admittantur, & meritò, quia in his terminis exclusa voluntate, & consensu excluditur peccatum, quòd nullum dicitur, nisi voluntarium, & sic cessat ratio, in qua prima regula innititur, docuerunt per glossam *verb. voluntariè, in d. cap. placuit*, cum aliis relatis, & ideò non repetendis. idem Farinacius *d. q.* 128. *num.* 18. glossa *verb. non sponte, in d. cap. ex parte, de sepult.* Acceued. *in d. l.* 8 *num.* 17. vbi iura communia, & Partitæ illud probantia recenset, Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 1. *num.* 11. *penes finem, vers. vel si forsan*, &c. Genuensis *d. c.* 61. *num.* 20. *vers. nisi indiciis.*

Tertia regula est, vt etsi in occiden- 10
te se ipsum, furor non constiterit, si tamen mors non fuit nimis subita, ita vt esset considerabile interuallum à principio occisionis vsque ad spiritus emissionem, pia poterit admitti in fauo-

rem

rem animæ præsumptio, nempe contritionis, aut occisionis, & peccati displicentiæ, ex mortis angustia, & futuri iudicij pauore, & ex benigna Dei nostri, & larga miseratione, quæ contritio cùm in illo medio sit possibilis efficere, & aliquam fidelium concipere poterit spem, quâ priuatim pro defuncto orare intendant, vt expressè loquens de oratione priuata pro occidente se ipsum comprobat Couarr. *in d.cap.1.num.11.vers.quamuis priuatim*, &c. expressè Genuens. *d.paxi Archiep. & cap.61.num.21.vers.pro illo*, cum Paludan. relato.

11 Ex prædictis expeditus fuit quidam casus, in quo miser homo in profundum flumen se contulit, & ibi decessit; postea autem circa dandam eidem sepulturam, fuit coram me tanquam iudice Ecclesiastico controuersum, & auditis partibus, & copia Fiscali tradita per informationem deponentium, apparuit ipsum miserum mentis defectum habuisse tunc temporis, & per dies antea, & molestas animi, & intelligentiæ species sensum contristantes, & perturbantes in actionibus, & querelis demonstrasse; quare ei sepulturam Ecclesiasticam concessimus, in priuato tamen, duabus ex causis, tum quia de prædicto furore, aut mentis alienatione dubitabatur communiter, tum quia vulgus eam non approbans, aut nesciēs de publica sepultura non conturbaretur, postea de oratione facienda priuatim, & Missis celebrandis egimus, & bonorum quintum à sæculari iudice exposcimus ad illum effectum, qui omnia bona defuncti ad Regium Fiscum pertinere contendebat, ex *d.l.8.tit.23. lib.8.recopil.10.* maximè cùm indistinctè, & generaliter loquatur, vt fatentur Couarr. *in d.cap.1.& num.11. versic. loquitur enim.* Accued. *in d.l.8.num.12. 13.& 14.* Anton. Gomez *tom.3.var.c.3. num.13. in fine*, & quia hæc sententia est communior, licèt quidam contrariâ teneant; † pro parte verò Fiscalis Ec- 12
clesiastici proponebatur, *d.l.8.* non procedere constito de aliquo furore, vt diximus *suprà*, eo maximè concessa sepultura Ecclesiastica. Item licèt prædicta lex indistinctè, & generaliter loquatur, & ea de causa Doctores Regni distinctionem iuris communis (an scilicet se ipsum occidens de delicto pœnam mortis, & confiscationis habente accusatus fuisset, vel ne, aut se ipsum interficiens ex tædio vitæ, seu impatientia illud fecit) eandem distinctionem non probent nouiori iure *d. l.8.* & firmat Palac. Rubios *in d.l.4 Tauri, num.17.* non tamen defuerunt qui eandem legem secundùm præfatam iuris communis, distinctionem esse intelligendas asseuerarūt, vt testatur Couarr. *vbi suprà d.num.11. in fine*, vbi videtur ab hac sententia non multum discedere, ibi, *quæ forsan est intelligenda iuxta distinctionem iuris communis, & legis Partitarum, vt quidam opinantur*, &c. & tandem cogitandum relinquit, tenet etiam Gregorius Lopez *in l. 24. tit.1. p.7. gloss. para el Rey, ad finem*, cum Auendaño, & Gratiano relatis per eundem Aceuedum *in d. l. 8. num. 10.* vsque *ad* 14.

Item, quia si se ipsum occidens te- 13
stamentum relinquat, & in eo legatum pium Ecclesiæ constituat, valet legatum, vt cum Benedicto *in cap. Raynutius.* & Placa *in epitome delict.* docuit Farinac. *d. q.128. num. 20.* Palac. Rub. *in d.l.4. Tauri, num.24.* & quòd ille in testamento validè in fauorem animæ disposuit, in eundem fauorem tanquam iudex, & protector animæ, ab intestato poterit Episcopus, & Vicarius disponere, vt diximus suprà *quæst.23.* & valet argumentum à causa testati, ad causam intestati, vt per Euerardum *in*

locis legal. loc. 54. num. 1. versic. sic è contra.

14 Tandem pro sæculari iudice fuit ad violentiæ remedium recursum, & processus ad Regalem, & Pincianum Senatum remissus, in quo in fauorem iudicis Ecclesiastici pronunciatum ad ipsum causa fuit fideliter remissa, & ita absque controuersia pro dicto defuncto miserè se occidente quinti bonorum eius distributionem egimus.

15 Item iudex subdelegatus sanctæ Cruciatæ candem quinti distributionem contendebat, & super eam censuras contra Ordinarium Ecclesiasticum fulminauit, à quo compulsus suæ iurisdictionis titulum ostendens illum vacuum, & inanem esse constitit, ex eo quòd erat præteriti Commissarij generalis sanctæ Cruciatæ, alio iam officium exercente, absque ipsius approbatione, ex dictis suprà *quæst.* 27. vide consulto eodem, & ipsius ministris, talis iudex declarauit, nullas fuisse censuras, quas contra Ordinarium fulminauit, & in quinti distributione supersedit, quia cæteræ quatuor partes ab intestato morientium ad eandem sanctam Cruciatam, & Regem indulto pertinent Apostolico, deficientibus hæredibus; quintum verò animæ est, & per consequens eius distributio ad ipsius animæ Prælatum spectat, non verò ad dictam Cruciatam, quæ in hoc casu iustè supersedit.

QVÆSTIO LV.

Delinquentes in mortuos, & eorum cadauera, perfodientes, seu vulnerantes, qua pœna puniantur, & ad quem forum punitio pertineat.

SVMMARIVM.

1 *Mortuo sepulto locus fit religiosus.*
2 *Mortuum vulnerantes quasi sacrilegium committunt.*
3 *Reprehenditur quidam Ecclesiasticus index.*
4 *Mortuus an & quomodo iniuriam sentire dicatur.*
5 *Mortuum in loco sacro sepultum offendentes verum sacrilegium committunt.*
6 *Pœna huius delicti de iure Digestorum qualis fuerit.*
7 *Qualis de iure Codicis.*
8 *Hodie iam pœna est arbitraria.*
9 *Delictum sacrilegij, vel quasi, est mixti fori.*
10 *Refertur casus de hoc delicto in foro Ecclesiastico.*
An in desperatis possit impunè sepultura impediri, & distinguitur, ibid.

QVANDO mortuus sepultus erat extra locum sacrum, & Ecclesiam, & locus religiosus iam factus, ex §. *religiosum, Instit. de rer. diuis. & in l. 1. de religios. & sumpt. funer.* 1

Tunc illum vulnerantes quasi sacrilegij crimen cõmittere, docuit expressa gloss. *verb. crimē in l. 1. C. de sepulchro violato* 2

violato, & expreſſiùs text. *in l. pergit audacia* ibi, *proximum ſacrilegio, ff. eod.*

3 Ex quo reprehendendus venit quidam iudex Eccleſiaſticus, qui negabat eſſe quaſi ſacrilegium, aut proximum crimen ſacrilegio, non enim adhuc ad eius aures iura prædicta peruenerant. † Facit Baldus *in l. ſororem, num.* 3.

4 *C. de his quibus vt indig.* vbi mortuum ſpolians dicitur eum offendere, & illum refert Menoch. *de arbitr. caſ.* 285. *num.* 4. & licèt *ibi* ſubiungat Baldus quòd mortuus iniuriam non ſentit, intelligendum eſt materialiter de ipſo cadauere, & adhuc pœna iniuriarum teneri mortuum ſpoliantes, vt vulnerantes, docuit cum aliis Farinac. *tom.* 1. *quæſt.* 20. *num.* 121. aliàs non conſiderato cadauere, ſed ipſius, & ſepulchri religione, ipſum dicitur offendere, qui mortuum, & ſepulchrum violat, & offendit, ex text. *in d. l.* 1. *C. de ſepulchro violato.*

5 Quando verò mortuus in loco ſacro ſepultus eſt, iam non eſt dubium illum percutientes verum & proprium ſacrilegium committere, ex traditis per Menoch. *de arbitrar. caſ.* 389. *per totum.* Acеued. *in l.* 2. *tit.* 2. *num.* 3. *lib.* 1. *recopil. cum l.* 2. *tit.* 18. *part.* 1. Paz *in praxi* 1. *tom. cap.* 3. § 3. *num.* 104.

6 Circa pœnam huius delicti de iure Digeſtorum, extat text. *in l.* 3. §. *aduerſùs eos. ff. de ſepulchro viol.* vbi more latronum, & manu armata mortuos, & eorum cadauera ſpoliantes morte naturali plectuntur; ſi verò ſine armis, vſque ad metallum, & docent idem Farinac. *d. q.* 20. *num.* 116. & Menoch. *de arbitrar. caſ.* 387. *num.* 15. cum aliis.

7 De iure verò Codicis pœna pecuniaria abſque derogatione primæ Digeſtorum pœnæ puniuntur, ex textu *in l. qui ſepulcra, C. eod. tit. de ſepulcro violato*, qui licèt in principio ſolùm loquatur de ſepulcrorum violatoribus, in fine tamen concludit ſimiliter de contrectantibus reliquias, & corpora defunctorum.

Verùm hodie non pœna capitalis, 8
& metalli, vt antiquitus, ſed mitior extraordinaria prædictis delinquentibus imponetur arbitraria, ſecundùm perſonarum, & factorum diuerſitatem, vt docuit gloſſ. *verb. videtur impoſitum, in d. l. qui ſepulcra*, vbi iura refert antiqua, ad denotandum, etiam olim arbitrariam fuiſſe prædictam pœnam, de cuius arbitrio, quia diuerſus caſus, & concluſiones conſiderantur, ab eiſdem Farinacio *d. q.* 20. *à num.* 114. *vſque ad* 144. & à Menochio *d. caſ.* 387. erit ad eos in contingentia facti recurrendum.

Circa forum conſtito ſupra hoc de- 9
lictum ſacrilegiũ eſſe, vel quaſi, & docet idem Farinac. *d. q.* 20. *num.* 124. ipſius cognitio mixti fori conſequenter erit, & firmat Aceued. *in d. l.* 2. *tit.* 2. *num.* 10. *verſ. & notandum, lib.* 1. *recopil.* vbi legitur omnes ita tenere, & comprobatur in practica, in qua ſemper in curiis Eccleſiaſticis ſuper ſacrilegio, vel quaſi proceditur.

Pro vt proceſſum fuit contra quoſ- 10
dam homines, mortuum, de quo *in proxima quæſt.* 54. ſe ipſum occidentem; ſed ex furore, ſepeliri impedientes, ſpoliantes, & vulnerantes. nam licèt Menochius *d. caſu* 387. *num.* 31. & Farinacius *d. q.* 20. *num.* 133. impunè poſſe ſepulturam ſe ipſos occidentium impediri teſtentur, hoc ceſſat quando non voluntariè, ſed ex furore mortem ſibi conſciuerunt, vt diximus ſuprà *d. q.* 54. *num.* 9. ceſſat etiam quando ſepultura nedum fuit impedita, de quo loquuntur præfati DD. verùm cadauer laceratum, & vulneratum, quod nullo modo etiam in deſperatis licitum inuenitur, proceſſum, inquam, fuit pro impedimento ſepulturæ, quia declaratum

Q 2 erat

erat mortuum ex furore deliquisse, & ei erat sepultura Ecclesiastica concessa, & hoc delinquentibus fuit relatum, & quia ipsi corpus etiam vulnerarunt, capturati fuerunt aliqui, & quia delictum fuit nocte commissum, rei non patefuerunt, quòd si paterent, acriter vulnerantes forsan corporali pœna plecterentur, & impedientes pecuniaria.

QVÆST. LVI.

Non vulgaris.

De constitutione census redimibilis, an cum apparenti & fictitia pecunia legitimè procedat.

SVMMARIVM.

1 *An in constitutione census pecunia præsens requiratur, & sententia negatiua refertur cum Auctoribus suis.*

2 *Refertur affirmatiua cum eisdem.*

3 *Vsurarius est census habita fide de pretio.*

4 *Habet hæc sententia plura pro se, & enumerantur.*

5 *De practica circa vsum in contractibus censuum, & de intellectu* l. 10. tit. 15. lib. 5. recopil.

6 *Census cum apparenti pecunia an sit validus, & probatur opinio negatiua.*

Veritas superat fictionem, & in claris non est locus coniecturis. ibid.

7 *Tenentes opinionem quòd pecunia ad censum non requiratur, eam limitant interueniente fraude, & simulatione.*

8 *Census cum mutuata pecunia constitutus vsura est.*

9 *Feliciani dictis adhærendum in hac materia.*

10 *Emptio & venditio ex debito vel æstimatione rei est impropria.*

11 *Ad censum vera requiritur emptio, & venditio, & casus fictus non habet locum in statutis, in quibus verba propriè accipiuntur.*

12 *Verba Motus Pij V. & Extrauag. Martini, & Callixti, & legis Regni propriè intelligenda.*

13 *Iudicium quæstionis & praxis cuiusdam casus.*

LICET valde controuersum sit, an in census constitutione pecunia præsens requiratur? & pro parte negatiua plura consideret Auendanus *de censibus, cap. 37. per tot.* plura etiam Rodericus *de annuis redditibus lib. 1. quæst. 13. à num. 3.* & plures hanc partem teneant relati per Felicianum *eodem tractat. 2. tom. lib. 1. cap. 6. §. itaque.* 1

Contraria tamen sententia multo melior & probabilior est, quam bene probat ipse Felicianus *d. tract. in proœm. cap. 4 num. 10. & lib. 1. cap. 8. num. 11. & lib. 2. cap. 5. num. 17. §. secundò censut. & 2. tom. lib. 1. cap. 8. num. 6. §. contrarium verò*, vbi latè rationes primæ sententiæ impugnantur, & fundamenta secundæ adducuntur, simul & authores eam tenentes tam ex nostris, quàm ex Theologis: † hanc secundam sententiam docet expressè Gutierrez *practicarum quæstionum lib. 2. quæst. 176. num. 6.* & Nauarr. *lib. 3. de emptione & venditione, cons. 13. num. 1. & cons. 14.* dum sentit vsurarum esse census contractum non in pecunia factum, sed habita fide de pretio. habet hæc sententia pro se iura & constitutiones Martini & Calixti. † Vtcumque considerentur, siue mentione facta de pecunia enunciatiuè, vt aiunt Auendanus *dicto* 2 3 4

cap.

cap.37.num.16. & cæteri relati per Felicianum *d.2.tom. lib.1. cap.8. num.6.* penes finem, siue dispositiuè, vt alij plures cum ipso Feliciano censuerunt *dict. cap.8.& num.6.§. contrarium verò*, habet etiam constitutionem Papæ Pij V. legem Regiam 8.*tit.15.lib.5. recopilat.* habet etiam rationem irrefragabilem veri & numerandi pretij in pecunia, vt verè & propriè emptio & venditio census efficiatur, vt latiùs ipse Felicianus *dicto cap.4. in proœmio, num.10.* considerat, nec quicquam facit Auendaños *dicto tractat. cap.37. num.22.* dum etiam extra pecuniam pretio accedente in æstimatione rei veram formari emptionem & venditionem contendit, quia loquitur impropriè, & largo modo sumpto verbo *pecunia*, & text. *in l.1. C. de rerum permutat.* meliùs intelligit & exponit Felicianus ipse *d cap.4. num.11. vers. nec etiam obstat. & in dicto §. contrarium verò*, satisfacit legi Regis 10. eiusdem tituli, in qua Motum eiusdem Pij in his Castellæ Regnis receptum non esse continetur, licèt hæc satisfactio displiceat Auendaño *d.cap.37.num.25.*

5 Sed ego dum prædictam legem decimam attenderem, & vsum contrarium in his Regnis inspicerem, nempe quòd nullo modo vnquam census constituatur absque saltim apparenti pecunia, de qua Tabellio fidem facit, cogitabam Motum proprium tantùm abesse, non esse receptum in vsu, quod immo praxis ipsum firmiter acceperit, aut in vera pecuniæ traditione, aut in fictitia, & apparenti, vt vulgò constat; vnde nescio quomodo præsupposita eadem praxi dici possit eumdem Motum in his Regnis non esse vsu receptum, nisi intelligatur non esse receptum in vera census pecunia, quia vt plurimum in supposita conficitur, & adhuc hoc modo periculosus est hic intellectus; nam aliquando non supposita erit cẽsus pecunia, sed vera, cum qua, aut cum illa, & non alio modo census scriptura perficietur; nullus enim ex Tabellionibus etsi enixè rogatus cẽsus scripturam conficiet, nisi præsente pecunia, aut in vera, aut falsa traditione, hoc est, quòd ille qui censum præstat, assumit ab amico mutuatam pro momento temporis pecuniam, vt scriba de illa fidem faciat, & pro tempore confectionis scripturæ sit præsens, reuersura domino proprio, confecta & absoluta scriptura, quod cùm ita sit, asseuerandum videtur eumdem Motum circa eamdem solemnitatem realiter & per vsum admissum esse, vel vero, vel simulato modo.

Quo supposito quid iuris erit de prædicta forma constitutionis census, nempe in apparenti pecunia constitutus, aliqua ex partibus ignorante, vel ipsis scientibus habita in veritate fide de pretio, aut recepto in aliqua specie taxata, seu de debito, vtrùm erit validus, seu inualidus, & primò miror quod Doctores de hac materia fusè pertractantes de hoc puncto, apparentis nempe pecuniæ in terminis non cogitarunt, in quo dicendum erit prædictam constitutionem census esse inualidam, ex sequentibus. 6

Primò, quia illa pecuniæ demonstratio falsa est, & mendax, cùm postea non accipienti censum, sed eius vero domino sit restituenda, vnde idem est ac si contractus absque præsente pecunia fuisset factus, & iuxta secundam opinionem suprà relatã Feliciani, & aliorum tenentium erit talis contractus inualidus, & nullus iudicandus, quia constito de veritate falsæ demonstrationis pecuniæ, veritas superare & vincere debet fictionem. Seraphinus *decis.1251.num.16.* cùm in claris non sit locus coniecturis. *l.continuus*, §.*cùm ita*, *de*

de verb. oblig. de censu autem cõstituto ex mutuo, vel de specie taxata, seu de debito, tractarũt DD. non addita qualitate apparẽtis pecuniæ, & quid sit circa hoc asseuerandum dicetur infrà *à n.*8.

7 Secundò, quia adhuc DD. primam sententiam neruosè tenentes, nempe quòd pecunia non requiratur ad censum legitimè constituendum, limitant & contrarium docent & sentiunt, quando fraus, & simulatio interuenit in contractu, Auendañus *d.c.*37.*n.*34. ibi, *nullaque simulatio fraudis deducitur*, &c. & clariùs Aceued. *in l.* 10. *tit.* 15. *lib.* 5. *in fine*, ibi, *& hoc sine figmento aliquo, vel fraude fit*, &c. & Roderic. *d. quæst.* 13. *num.* 2. §. *ego*, ibi, *& nulla fraude æstimata, & num.* 3. §. *in secundo.* ibi, *nulla interueniente fraude.* & apponere pecuniam suppositam, & fictitiam, in constitutione census est mera fraus, & simulatio, quæ iuxta supradictos adhuc annullat, & vitiat eandem constitutionem.

8 Tertiò, quia quoties census constituitur in prædicta specie apparentis pecuniæ habita in veritate fide de pretio, verè & realiter vsura committitur, quia censetur pretium principale contractus esse tanquam mutuo datum, & ad tempus sub fide & dilatione destinatum, & postea soluuntur reditus pro dicto pretio mutuato, & pro dicta pretij principalis dilatione, quod quidem vsurarium esse, & illicitum, docuerunt Nauarr. *d. consil.* 14. *de emption. & vendit.* §. *pro parte verò* Felician. cum aliis *d. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 12. §. *ego quoque*, subdens quòd non soluto pretio illicita est præstatio pensionis, & reditus, & idem asseuerat *d. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 17. §. *rursus annua pensio.* Auendañus *d. tract. cap.* 45. *num.* 7. & hinc est, quòd quando non interuenit pecunia in censu, sed species aliqua, quòd reditus in sortem principalem debeant computari, quia census non fuit, vt firmant idem Felicianus *d. proœmio cap.* 4. *num.* 10. *vers. ideo si census*, & meliùs Gutierrez *d. q.* 176. *num.* 6. Nauarr. *d. consil.* 14. & idem Felicianus *d. tract. & lib.* 1. *c.* 8. *num.* 13. *vers. deinceps*, tractans de censu ex debito constituendo, illum improbat, & nullum existimat, & similiter tenet 2. *tom. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 7. §. *verum*, & quod de mutuo, & pecunia sub fide recepta etiam talis census minimè possit constitui, tenet etiam idem Author *d. tract. & lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 12.

Cuius dictis, & sententiis adhærendum est in iudicando, & consulendo, firmiter enim, & securo pede per has vias pertransit, & bene existimat, & loquitur, quidquid Auendañus, Rodericus, & alij Iurisperiti, atque Theologi contrarium velint docere, & affirmare. 9

Quorum placitum circa emptionem & venditionem ex debito, vel æstimatione rei considerandam verè, & realiter est impropria emptio & venditio, ex lato nomine pecuniæ, vt ipse Auendañus testatur *d. cap.* 37. *num.* 22. & quæ breuis manus fictione, & artificio mentali indiget. idem Rodericus *dict. quæst.* 13. & §. *in secundo*, ibi, *fingitur numeratio tempore contractus*, &c. 10

Quare ad censum constituendum non impropria, sed substantialis, & liquida debet esse emptio & venditio; non imaginaria, mentalis & fictitia, sed realis, propria & effectiua, vt asseuerat idem Felician. *d. l.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. §. *deinceps, & lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 17. §. *secundò census, vers. nec obstat*, vbi quòd casus fictus non habet locum in statutis, in quibus verba propriè, & verè accipiuntur, ex his quæ *ibi* referuntur, 11

Considerato maximè quòd motus Pij V. saltim in dicta apparenti pecunia, vel in vera est in vsu receptus, vti diximus *suprà num.* 5. vnde huius statuti 12

ruti verba, & cæterorùm Martini & Calixti,& legis Regni verè,propriè,& strictè, non autem largè, & impropriè accipienda, & intelligenda sunt; sed quod *pecuniæ* verbum in numerata, & reali numeratione ante contractum accipiatur, vt vera & immaculata emptionis & venditionis substantialia re-
13 quisita concurrant; † & ita iuxta supradicta iudicaui in quadam causa,cuiusdam Capellaniæ,in qua de censu in pecunia fictitia constituto agebatur, eandem constitutionem nullam, & redditus perceptos in sortem computandos declarando, ex mente Doctorum, quos *suprà* in hac quæstione retulimus, *num.*8.

QVÆST. LVII.

Non vulgaris.

Vtrùm in causa immunitdtis Ecclesiasticæ requirantur testes omni exceptione maiores.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Immunitas Ecclesiæ ad cœmeterium, septa & coharentia eius extenditur, omniaque sub clausura contenta.*
3 *Proditio est aliquem incautum nihil tale præcauentem occidere.*
4 *Depositio iudicialis præualet extraiudiciali, sed illa debilitatur.*
5 *Testis ebrius vt infringatur de tempore testimonij, debet ebrietas concludi, & quòd illa sit totalis.*
6 *Testes viles, & pauperes, licèt non repellantur à testimonio, non sunt omni exceptione maiores.*
7 *Testis omni exceptione maior est qui non habet maculam.*
8 *Dicta testium immunitatis Ecclesiasticæ per regulam in causis criminalibus latè accipienda sunt, & sic debere esse maiores omni exceptione videtur.*
9 *Causa immunitatis est annexa causæ criminali, & argumentum valet de ciuilibus ad criminalia, vel è contra, & vbi eadem est ratio, eadem debet esse dispositio.*
10 *Causa immunitatis est grauis, licèt sit ciuilis, & in causis grauibus etiam ciuilibus viles testes non sunt idonei.*
11 *Ratio quæ petit testes integros in causis grauibus, currit in causa immunitatis.*
12 *Testibus dignioribus credendum, & in dubio pro reo pronunciandum.*
13 *Iudicium quæstionis ponitur.*

REVS quidam de homicidio 1
conuictus, & ab Ecclesia, & Monasterij terminis, & horto extractus,condendebat se immunitatis Ecclesiasticæ refugio tuendum, contra quam sæcularis iudex obiectabat, homicidium fuisse proditoriè commissum,& aliquibus testibus proditionem comprobabat, dicentibus reum ad defunctum incautum,& securum absque aliqua præcedenti rixa accessisse, & diro ensis mucrone subitò percussisse.

Non dubitabatur de loci Ecclesiasti- 2
ci priuilegio, quòd nedum ad Ecclesiam, Conuentum, & Monasterium, verùm ad cœmeterium, & septa ac cohærentia Monasterij,& omnia quæ sub eius clausura concluduntur, extenditur, vt per glossam *verb.exempto,in c.*1. *de priuileg.in* 6. & Remigio *in tract.de immunit. Ecclesf. ampliation.*3. *num.*11. notauit

notauit Suarez de Paz *in praxi 5. part. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 31. 32. & 33.* Riccius cum aliis *in praxi aurea, resol. 276.* Farinac. cum multis *tom. 1. de carceribus, & carcerat. quæst. 28. num. 14.* Rebuff. *commentar. immunit. Ecclef. num. 7.* cum Alexandro *consil. 145. vol. 7.* & aliis Franciscus Leo *Thesauro fori Ecclef. p. 1. cap. 13. num. 11. & 12.* per glossam *verb. adhærentibus, in cap. si quis contumax* 17. *q.* 4. ideò Gregorius Pontifex XIV. in Bulla, quam edidit de confugientibus ad Ecclesias; quam referunt Piasecius *in praxi Episcopali, p. 2. cap. 4 art. 8.* & Genuensis *in praxi Archiep. cap. 17. in fine*, generaliter loquutus fuit in fauorem Ecclesiarum, Conuentuum, Monasteriorum, & aliorum locorum religiosorum, & sacrorum.

3 Nec etiam dubitabatur de proditione iuxta depositiones testium iudicis sæcularis, quæ reum (absque causa defunctum nihil tale præcauentem) occidisse continebant, ex doctrina Couarr. *lib. 2. var. cap. 20. num. 7. §. Tandem, versic. item is,* idem Suarez de Paz *d. cap. 5. §. 3. num. 115. & 116.* Farinac. *d. tom. 1. tractatu de accusatione, quæst. 18. n. 74. §. vel qui,* cum pluribus ab ipsis relatis, inter quos Menoch. Anton. Gomezius, Iulius Clarus, & alij.

4 Dubitabatur autem in eo quòd prædicti testes aliquibus erant notulis maculati, vnus enim extra iudicium affirmauit contra illud quod in iudicio deposuerat, in qua specie licèt primum iudiciale dictum præualeat, vt longa manu cumulat Farinac. *tract. de testibus q. 66. num. 193.* & fortiùs *num. 204.* negari tamen non potest, quin idem primum dictum per secundum debilitetur, vt idem auctor limitando regulam aduertit *num. 208.*

5 Alij duo testes, licèt ebrij, & tabernarij proponantur, de tempore tamen testimonij circa ebrietatem nihil constat, quod erat necessarium, vt dictum totaliter infringeretur, iuncto quòd penitus ebrius stetisset testis in eodem tempore, ex eodem Farinacio, *d. tractatu quæst. 56. num. 435. & 438.* † Et *q. 57. num. 61.* affirmat & cum pluribus dicit, testes huiusmodi viles & pauperes, licèt non repellantur à testimonio, de fide tamen eis detrahitur; & non sunt omni exceptione maiores, vt ipse auctor *d. quæst. 57. num. 1.* † Et *quæst. 55. num. 57.* cum Mascardo *conclus. 1361. num. 6.* declarat quòd testis omni exceptione maior dicitur is, cui nihil opponi potest, nec habet maculam in fide, nec diminutionem in opinione. Couarr. *lib. 4. Decretal. 2. part. cap. 8. n. 8.* vnde prædicti testes maculati, & non omni exceptione maiores, dubium erat an in causa immunitatis Ecclesiasticæ essent admittendi ad faciendam plenam probationem. 6 7

In quo dubio iudicaui pro parte negatiua, ex sequentibus. 8

Primò, quia licèt causa immunitatis sit ciuilis, testes autem iudicis sæculares, de delicto criminali deponũt quòd esset proditoriè commissum, vnde eorum dicta per regulam in causis criminalibus latam iudicanda sunt, in quibus statutum est quòd testes omni exceptione maiores requirantur, vt pluribus relatis scripsit idẽ auctor *d. tract. de testibus, quæst. 62. num. 22.* Mascard. *de probat. tom. 3. conclus. 1361. num. 4.* & ideò Menoch. *consil. 214. num. 20. vsque ad 22.* cum aliis docuit, testes in probando delicto debere esse omni exceptione maiores, quia delictum, & peccatum non præsumitur, ex regula iuris, & testes contra præsumptionem iuris declarantes in criminalibus, debent esse integri, & sine macula.

Secundò, quia causa immunitatis à criminali descendit, & est connexa, & 9

annexa

annexa cum illa; quare vna, & altera debent pariformiter iudicari quando subest eadem ratio, & validum est argumentum à ciuilibus ad criminalia, vel è contra, data eadem ratione, vt per Euerardum in suis locis legalibus *loco* 114. & quia vbi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio, vt per textum *in l. illud, ad legem Aquiliam,* scripsit idem Euerardus *loco* 14. *in fine.*

10 Tertiò, quia licèt immunitatis causa sit ciuilis coram iudice Ecclesiastico, adeò tamen grauis, & ardua est, vt ex illa vita hominis tueatur, & conseruetur, cùm per sententiam Ecclesiastici reus ad Ecclesiam restituatur, & pro tunc à manibus sæcularis iudicis ad mortem condemnantis eripiatur, vnde viles testes non sunt idonei in causis adeò grauibus, & maximi momenti, & præiudicij, nedum in criminalibus, verùm & in ciuilibus, vt eruditè docuit Couarr. *practicar. qq. cap.* 18. *num.* 1. & *d. lib.* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 8. *num.* 8. vbi per textum *in cap. licèt causam, de probation.* ait quòd in causa ardua non admittitur testis, cuius fides aliqua ex parte diluitur, & hinc scripsit idem Farin. *d. tract. de testibus, quæst.* 57. *num.* 26. quòd in causa ciuili ardua, & magna, pauper testis non est integer, nec omni exceptione maior, nec admittitur. idem auctor *vbi proximè, num.* 27. & *quæst.* 56. *num.* 107. vbi latiùs Doctores referuntur.

11 Quartò, quia ratio, propter quam causa ciuilis ardua, aut maximi momenti, & præiudicij, petit testes omni exceptione maiores, illa est secundùm relatos *suprà*, quia æquiparatur causa criminali; cùm ergo immunitatis causa nedum æquiparetur, verùm sit causæ criminalis comes & filia, in qua acta criminalia compulsantur, & repetuntur, proculdubio eadem testium integritate exornari debet. nam æquipollentium eadem est disciplina, & idem iudicium, ex eodem Euerardo *locis communibus, loc.* 101. *num.* 2. & 7.

Quintò, quia in præfata specie pro reo aderant etiam testes negantes proditionem, & in rixa mortem fuisse sequutam affirmantes, & erant sine macula, integrique testes, & digniores, quibus magis credendum asserit idem Farinac. *d. tract. quæst.* 65. *num.* 114. vbi iura, & plures congeruntur; item erant testes rei qui cæteris paribus sunt testibus actoris præferendi, cùm pro reo in dubio sit pronunciandum, *l. fauorabiliores, ff. de reg. iur.* & tradit Mascard. 3. *tom. de probation. conclus.* 1194. *num.* 73. & 74. 12

Ex quibus eandem immunitatem, prædicto reo secluso, proditionis obstaculo contra sæcularem iudicem concessimus. 13

QVÆSTIO LVIII.

Non vulgaris.

An Ordinarius Ecclesiasticus possit Clerico in sacris concedere licentiam, vt medicinalem artem tanquam Medicus exerceat, absque incursu irregularitatis.

SVMMARIVM.

1 *Ars medicina non est Clerico prohibita, sed in consilio posita, seclusa adustione, & incisione, & periculo.*

2 *Medicina officium sæculare est, & includitur in prohibitione sæcularium negotiorum Clericis posita.*

R Destrè

Doctrina primò relata procedit in Clericis in minoribus, secunda in beneficiatis, & in sacris, ibid.

3 *Doctores affirmantes in hoc puncto quomodo intelligendi.*

4 *Tacita permissioni Pontificis adhaerendum, non obstante generali prohibitione saecularium negotiorum.*

5 *Speciale ius derogat generali, & generi per speciem derogatur.*

6 *In praxi est receptum Clericos medicare posse.*

7 *Non omnis negotiatio est Clericis prohibita, & quòd non est prohibitum, permissum censetur.*

8 *Illud quod Papa potest, seclusa reseruatione, illud Ordinarius potest.*

9 *Licentia medicandi Clerico quibus conditionibus concedenda, & quibus fuit in praxi concessa.*

10 *Chirurgia officium Clericus exercere non valet, & sine culpa contrahit irregularitatem?*

11 *Clericus Medicus requisita in curando quae debeat adhibere.*

12 *Quamlibet culpam etiam leuissimam Clericus Medicus in se debet assumere, vt iudex omnino liber existat, ibid.*

1 QVODAM Clerico praedictam licentiam postulante, dubium fuit ortum circa illam, & visis aliis Ordinariorum licẽtiis, eam ipsi non denegauimus, ars enim medicinae non est Clerico Medico prohibita, sed in consilio posita, propter periculum, si conscientia remordeat, bonus textus *in cap. ad aures, de aetat. & qualit.* quem ad hoc ponderant Couarr. *in Clement. si furiosus, de homicid. 2. part. §. 4. num. 3. §. sic & idem.* Ioan. Campanil. *in diuersorio iuris Canon. rubrica 11. cap. 24. num. 12.* Ioan. Gutierrez *lib. 2. canonic. qq. cap. 6. num. 25. & 26.* Iacobus de Graffis *decis. conscientiae, tom. 1. lib. 2. cap. 66. num. 6.* & ipsi alios antiquiores referunt, & etiam congerit aliquos Cenedus *collectan. ad Decretales, fol. 472. super eod. cap. ad aures*, inter quos Petrus Placa *de delictis*, & Felicianus *de censur. tit. de irregularit. pag. 498.* & affirmat esse Clericis licitum medicare, seclusa adustione, incisione, & periculo. Franciscus Leo *Thesauro fori Eccles. part. 3. cap. 9. num. 48.* vbi quòd si sine culpa aegrotus moriatur, non efficitur Clericus Medicus irregularis, quod & vtrumque docuit Pater Auila *tract. de censur. 7. p. disput. 6. sect. 1. dubitat. 10. §. sit quinta conclusio.* P. Molina *de iust. & iure, tract. 3. disput. 75. n. 6.* Pater Suarez *de censur. disput. 45. n. 12.* cum aliis ab ipsis relatis.

Verùm in contrarium facit, quòd 2
Medicinae officium saeculare est, quapropter inclusum videtur in generali prohibitione totius tituli, *ne Clerici, vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant*, & hinc Nauarr. *consil. 3. eiusdem tituli*, & Cerol. *in pract. Episcopali, 2. p. verb. Medici*, & Iacobus de Graffis *d. cap. 66. & num. 6.* declararunt doctrinam *suprà* relatam, quòd licitum sit Clericis medicare in minoribus constitutis; secus verò si sint in sacris, aut beneficiati, tunc enim iam in praedicta generali prohibitione includuntur, & egent dispensatione Apostolica, iuxta Nauarrum *vbi proximè, in fine*, & cum aliis retulit idem Auila *d. tract. & dubit. 10. §. si opponas, & d. §. sit quinta con-*
clusio. ✠ Vnde DD. *suprà* relati affir- 3
mantes Medicinae operam Clericis non esse interdictam, aut de minoribus, aut de speciali prohibitione intelligendi erunt, seclusa generali saecularium negotiorum, qua stante, praedictum officium non esse eisdem Clericis in sacris, aut beneficiatis permissum, apparet; quomodo ergo Couarr. Campanilus, Ioan.

Ioan. Gutierrez, & Franciſcus Leo prædictæ generalis prohibitionis immemores, licitum eſſe Clericis medicare affirmarunt?

4 Sed nihilominus adhærendum eſt ſpeciali Pontificis tacitæ permiſſioni *in d cap. ad aures*, per Couarr. optimè ad hoc ponderatæ *vbi ſuprà.* Si enim Pontifex in generali prohibitione ſæcularium negotiorum dubitaret, aut obicem inueniret, nequaquam eandem permiſſionem concederet in prædicta ſpecie, quam etiam cõcedit gloſſ. *verb. à medicis, in c. ſi quis à medicis 55. diſtinct.*

5 Quare ſpecialė ius derogare debet generali, iuxta iuris regulam, & hæc ſit prima reſponſio ad ea, quæ in contrarium proponuntur.

6 Sit ſecunda quòd receptum eſt in praxi Clericos aſſumere poſſe officium, & artem curandi in medicina, vt de obſeruantia Romæ teſtatur Felinus *in cap. tua nos, circa finem, de homicidio.* & refert præcitatus Auila *d. dubitat.* 10. *§. primò ſupponendum.*

7 Sit tertia quòd non omnis negotiatio eſt Clericis prohibita, cùm iuſtum negotium non ſit eis contradicendum propter neceſſitates diuerſas. verba sũt textus *in cap. 1. ne Clerici, vel Monachi.* vbi non ponitur reſeruatio, aut prohibitio contra Epiſcopos, aut eorũm iudices, & Vicarios, vt negotiorum iuſtificatione cognoſcant; quod enim non eſt prohibitum, permiſſum conſequenter cenſetur, *l. ſancimus, C. de teſtamentis.*

8 Et regulariter ſecluſa ſpeciali reſeruatione, illud quod Papa poteſt in toto orbe, Epiſcopus etiam illud in ſua Diœceſi poteſt, vt multis relatis ſcripſit Pater Sanchez *de matrimon. lib. 1. diſp. 61. num. 3.* quibus addendus eſt Campanilus *d. tract. diuerſor. iur. canon. rubrica 6. cap. 3. num 45.* [vnde impedimentum quod prouenit ex generali prohibitione ſæcularium negotiorum contra Clericos medicantes, ceſſare debet ſi illud cum Ordinarij licentia exerceant, ex prædicta tertia ratione, quam conceſſimus eidem Clerico cum aliquibus conditionibus.

Prima vt chirurgiæ operam nequaquam aſſumeret, ex eo quòd ſit expreſsè Clericis in ſacris prohibita, *in cap. ſententiam ſanguinis, eod. tit. ne Clerici, vel Monachi.* 9

Inde etiã ſine culpa contrahunt irregularitatem, cùm dent operam rei illicitæ, maximè accepto præmio, ſeu ſalario. & idem Campanil. *d. rubric. 11. cap. 24. num. 13.* idem Auila *d. dubitation.* 10. *§. ſecundò ſupponendum eſt*, idem Leo *d. part. 3. & cap. 9. num. 49.* idem Graffis *d. cap. 66. n. 5.* vbi etiamſi ſine præmio & intuitu pietatis Clericus ſit Chirurgus, & infirmus moriatur, affirmat irregularem remanſiſſe, quia nõ eſt exercenda impietas propter pietatem, licèt mors non ei imputetur quoad peccatum, ſi artem obſeruauerit; ſed Campanil. *vbi proximè*, cum Soto contrarium ſentit, ſi cauſa curandi ſit pietas; ſed melior eſt Graffis ſententia, quàm ſequuntur Anan. & Vgolinus ab eodem Campanilo relati, & pro ea eſt text. & *ibi* Felinus & alij *in cap. tua nos, de homicidio.* & Couarr. *d. § 4. num. 3.* 10

Secunda vt alia requiſita Clericus Medicus obſeruaret quæ per DD. poſtulantur, maximè per Ioannem Gutierr. *d. cap. 6, num. 27.* ſcilicet quòd ſit peritus in arte, quòd omnem diligentiam exhibeat, quòd infirmum de his quæ ſaluti nocent, informauerit, quòd conſcientiam habeat quietam abſque remorſu. 11

Tertia quòd quælibet culpa etiam leuis, aut leuiſſima, eidem Clerico imputetur, & ipſius tantùm imputationi, non autem noſtræ adſcribatur, & 12

hoc propter varias Doctorum opiniones circa qualem culpam requiratur ad prædictam irregularitatem relatas per eumdem Auilam *d. tractat. disp. 6. sect. 1. dub. 11.*

QVÆST. LIX.

De iudicio & punitione binuborum per Vicarium & iudicem Ecclesiasticum imponenda.

SVMMARIVM.

1 *Doctores de hoc delicto disputantes referuntur.*

2 *Pœna binuborum est arbitraria.*

3 *Quæ soleat imponi à iudicibus Ecclesiasticis.*

4 *Quæ sit de iure Regni, maximè in fœminis.*

5 *Defenditur Didacus Perez.*

6 *Arbitrium huius pœnæ per leges Regni non est prohibitum.*

7 *Mulier & vir excusantur si verisimiliter crediderint per vnicum testem, vel per famam maritum, vel vxorem mortuos esse.*

8 *Gomezius reprehenditur, & aliquæ doctrinæ referuntur super probatione mortis absentis.*

9 *Quoddam dictum Gutierrez declaratur.*

10 *Praxis recepta in audientijs Ecclesiasticis super probatione mortis absentis ad effectum matrimonij.*

11 *Hæc praxis dicto Gutierrez aduersatur, & maritus & vxor in remotis partibus mortui tanquam vagi accipiuntur, & vt superstes contrahat, licentia requiritur.*

12 *Refertur casus iudicatus & practicatus binuborum.*

13 *Coniugium eorum irritum declaratur.*

AGVNT & disputant de hoc delicto in specie Couarr. *in epitom. de sponsal. 2. part. cap. 7. §. 3. num. 6.* Salcedo *in additionibus ad practicā criminalem D. Bernardi Diaz in cap. 80. §. nec illud.* Aceued. *in l. 5. 6. 7. tit. 1. lib. 5. recopilat.* Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cas. 420. num. 96. & sequentib.* Anton. Gomezius *in l. 80. Tauri, num. 27.* Iulius Clarus *in pract. §. fornicatio, num. 30.* & *ibi* Baiardus *verb. pœna stupri, & verb. vltimo supplicio affectus*, cum Carrerio, Bossio & Grammatico *relatis.* Palacios Rub. *in repetit. cap. inter vestras, rubr. 60. num. 6. & in d. repetit. §. 18. num. 25.* & vtroque loco Baraonam & alias de hæreticis tractantes ad idem recenset, docet Gutierrez *practicar. quæst. lib. 2. quæst. 6.* & Farinacius latissimè *tractat. de delictis carnis, quæst. 140. part. 1. & 2.* cum pluribus, Paulus Grillandus *de pœnis omnifariam coitus, quæst. 14.* Repertor. Inquisitor. *verb. contrahens.* Aloysius Riccius *in praxi aurea variarum resolutionum, resolut. 373.* 1

Ex quibus Doctoribus colligitur pœnam contra binubos esse arbitrariam. Menoch. *vbi suprà, num. 97.* & Farinacius *d. quæst. 140. num. 9.* 2

Et quòd à iudicibus Ecclesiasticis imponitur publica ignominia ante fores Ecclesiæ in scala, tradiderunt Couarr. *d. num. 6.* idem Salcedo *in d. loco, §. & pœna,* Menoch. *vbi suprà, num. 113.* & Farinacius *in ead. quæst. num. 11.* 3

De iure verò Regni Castellæ per *l. 8. tit. 20. lib. 8. recopil.* iam pœna triremis per decem annorum & ignominię publicæ imposita est contra binubas nuptias contrahentes, notat Gutierrez *practicarum quæstionum d. lib. 2. quæst. 6. num. 7.* vbi aduertit pœnam ignominiæ bene 4

bene in fœminas cadere; non verò pœnam triremium, in cuius locum posse imponi pœnam exilij decem annorum contra fœminas duos viros simul accipientes, existimauerat Didacus Perez à Gutierreo *ibi* relatus, qui illum arguit de capite loquutum fuisse.

5 Verùm non tam acri censura dignū existimamus, si enim Anton. Gomez *in d.l.80.Tauri, num.28.* audacter affirmat *l.5.tit.1.lib.5.recopil.* quæ de littera fronti imponenda loquitur, etiam in fœminis intelligendam esse, cùm loqui videatur in masculis, ibi, *qualquier que fuere cassado o desposado*, &c. idémque senserunt Matienço, & Didacus Perez, quos refert Gutierr. *d.lib.2.practic.quæst.6.num.1.2.& 3.* licèt ipse dissentiat *num.* 4. & idem sensit Salcedo *in d cap.80.lit.B.§.punitur, in fine*, licèt in Nobilibus discrimen constituat, cur etiam *d.l.8.* similiter in fœminis non poterit intelligi, cùm loquatur absolutè, ibi, *contra los que se casan*, eo modo, quo Didacus Perez voluit arbitrari sequendo tenorem illius legis 8. in pœna ignominiæ imponenda fœminis binubis, & item pœnam exilij in locum triremium? tum maximè cùm text. *in l.fin. tit.17. part.7.* qui iuxta Gutierr. *d.q.6. num.4.* in fœminis loquitur, etiam exilij pœnam imponat, & retulit Gomez *in d.l.80.num.27.*

6 Arbitrium autem quod est in pœna binuborum secundùm DD. proximè relatos, adhuc in legibus prædicti Regni Castellæ non est omnino prohibitum. nam *in l.7.tit.1.lib.5.* dicitur ibi, *que las nuestras Iusticias tēgan especial cuydado de la punicion y castigo de los que earciaren culpados y las impingan y executen en ellos las penas establecidas por derecho y leyes destos Reynos*, item, ibi, *attenta la calidad del delicto*, &c. quæ verba si attentè considerentur, dum curam imponunt iudicibus, & dum considerant delicti qualitatem, tacitè arbitrium iudicandi insinuant, & *in l.8.tit.20.lib.8.* dum ibi ponitur, *en caso que se les hauia de poner pena corporal*, &c. vtique ille casus non ab eadem lege explicitus & apertus, aliquid de arbitrio circa illum adhibendo demonstrat.

Constat etiam ex prædictis Doctoribus mulierem excusari, similiter & virum, si crediderint verisimiliter per vnicum testem, aut per famam maritum, aut vxorem mortuos esse, dummodo super hoc certum habeant nuntium, & mors sit plenè & sufficienter probata, Menochius *d.cas.420.n.118. vsque ad 127.* & deinceps vbi relinquit arbitrio iudicis. Iulius Clarus *d.§.fornicatio, num.31.* Anton. Gomez *in dicta l.80.Tauri, num.31.& in §.vnum est tamen*, addit, quòd si sola credulitas, aut fama adsit, excusaret vxorem, per textum *in cap.2.de secundis nuptijs*, in quo de excusatione delicti, aut pœnæ non fit sermo, sed solùm de excusatione reddendi debitum, † de qua re apertè loqui debebat Gomezius, & non dicere absolutè quòd mulier per illum textum excusatur; subiicit tamen idem Doctor, quòd vxor mitiùs punietur si secundum maritum accipiat, non plenè de morte primi certificata, & hoc per *l.7.tit.15.lib.8.ordinamenti.* Primum etiam docet Couarr. *in d.cap.7.§.3.n.3.* quòd requiratur certus nuntius de morte, vt peccatum & pœna excusetur, etiamsi aliquæ coniecturæ interueniant, ex text. *in cap. in præsentia, de sponsalibus, & in cap.quoniam frequenter, §.porrò, vt lite non contest.& num.4.* arbitrio iudicis relinquit, qualiter mors probetur, illud etiam docuit Aceued. *in d.l.5.num.6.* ibi, *non tamen punietur ignorans, vel nesciens, an prima viueret vxor, vel maritus; certioratus tamen per probationem de morte absentis, & petita* 7 8

licentia à iudice Ecclesiastico contrahendi secundo ob hanc causam, secundùm quod disponitur in l.final.tit.17. part.7. *de quo latè agit Matienço hic* gloss. 1. &c. Gutierr. *d.l.2. quæst.8. num.* 3. & meliùs *num.*4. vbi loquitur de textu *in d. cap. in præsentia*, & de ipsius intelligentia, & expositione, ad idem videndus est Farinac. *dict. quæst.*140. *part.*2. *num.*42. *& sequentibus*, & præsertim *num.*56. *vsque ad* 60. vbi cum Abbate, Couarr. & Rolando refert vxorem etiam cum præsumptiua probatione secundo contrahendo, sine Ecclesiæ licentia, non excusari à dolo.

9 Quòd autem idem Gutierr. *in d. quæst.*8. *num.*9. subscripsit contra Palac. *in* 4. *sentent. distinct.* 27. *disput.*3. nempe quòd vxor secundò nubens per certum nuntium certificata de morte viri, & factis denunciationibus in Ecclesia, si non resultat impedimentum, possit absque Ordinarij licentia cum secundo marito contrahere, & quòd Concilium Tridentinum *in sess.*24.*c.*1. prædictam licentiam non petit, nec alibi, declarationem exposcit, vt dictum Gutierr. intelligatur, quando in eodem loco, aut valde proximo, maritus fuit mortuus, tunc namque de morte certificatá, aut per visum, aut per proximum, & certum nuntium factis etiam denunciationibus in loco mortis, & Ecclesia defuncti, & in Ecclesia vxoris, & non oriente aliquo impedimento, rectè vxor, aut maritus secundò contrahunt,

10 sine licentia Ordinarij. † Quando verò mors non in proximo loco, sed in remoto successit, praxis Ordinariorum in Audientiis Ecclesiasticis est, de qua testimonium præsto, quòd literæ requisitoriæ ab Ecclesiastico prouideantur, vt in prædicto loco mortis ipsa probetur ad minus per vnicum testem de visu, & aliquos de fama, aut per Capitulum extractum à libro defunctorum, iuxta id quod retulit Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici, decis.*265. & tradit Farinac. *d. quæst.*140. *part.*2. *num.*67. *vsque ad* 75. vbi relinquit arbitrio iudicis, dixi suprà *quæst.* 43. *num.*14. tunc namque si facta probatione, & factis denunciationibus in Ecclesia mortis nullum resultat impedimentum, visis his diligentiis per Ordinarium superstitis, & contrahentis, concedit licentiam secundò nubendi.

† Inde praxis hæc aduersatur dictis 11
Gutierr. dum totaliter Ordinarij licentiam exclusit. Rursus si maritus, aut vxor remotis in partibus mortui fuerunt, iam tanquam vagi accipiuntur, & erit prædicta licentia necessaria, ex eodem Concilio *d. sess.*24. *cap.*7. & plura de vagis diximus suprà *cap.*1. quomodo ergo idem Gutierr. nec *in d. cap.*1. *sess.*24. nec alibi Concilium prædictam licentiam postulasse credidit? quam ideo bene postulat Aceuedus *in d. l.*5. *num.* 6. cuius verba proximè retulimus.

Ex his præhabitis binubos quosdam 12
iudicauimus, vxor enim audiens virum suum in quodam loco defunctum fuisse, ibi se contulit, vt de morte fuisset certiorata, & licèt certitudinem non inuenit, signa tamen, & aliquas defuncti coniecturas circa viri mortem attulit, vnde rediens cuidam homini partem dedit sui itineris, & diligentiæ, & cum illo matrimonij fœdus tractauit, qui prædictarum rerum conscius ad Audientiæ Ecclesiasticæ ministros pro publicationibus accipiendis accessit, & interrogatus vbi viduæ maritus decessisset, vt de literis requisitoriis ageretur, si alibi mors contigisset, responsum dedit non alibi, sed in proprio loco decessisse, quo audito, tantùm de publicationibus fuit actum, quibus factis matrimonium fuit contractum, & aliquibus

bus transactis diebus maritus non mortuus, sed viuus apparuit; captis ergo binubis, & processu compilato ad sententiæ locum accedendo vxor, quia aliqualiter sibi constitit de morte viri, & fecit aliquam diligentiam, liberata fuit à pœna corporali ordinaria ignominiæ publicæ: quia tamen non totalem certitudinem habuit de morte viri, nec illud quod itinerando cognouit, ministris patefecit, in pœna exilij præcisi fuit condemnata, vt vno actu culpam lueret, & maritum primæuum quæreret. Vir autem qui secundò cum illa contraxit, quia in ipsius narratione sperauit, & viduam existimauit, non verò maritatam, etiam à pœna ordinaria fuit liberatus, verùm quoniam mulieris narrata, & à se audita simulauit interrogatus, & errare fecit Ecclesiam, in publica pœnitentia fuit condemnatus, insuper & vtrosque in peruniaria,

13 † Quorum coniugium irritum, & nullum fuit declaratum ex impedimento ligaminis. & secundis nuptiis, de quo Ioan. Gutierr. *de matrim. cap.* 106. Thomas Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 80. *num.* 1. *& seq.* Couarr. *d.* 2. *part. cap.* 7. §. 3. *num.* 1. *&* 5. Menoch. *d. casu* 420. *num.* 1. *& pluribus seqq.* Farinac. cum pluribus *d. tract. de delictis carnis*, *& q.* 140. *p.* 2. *n.* 1. *&* 2. Grillandus *d. tract. & q.* 14. *n.* 1. *&* 2. additio ad Repertorium Inquisitorum *dict. verb. contrahens.*

***

QVÆST. LX.

Non vulgaris.

Mutuans in mandato alterius, & cum credentiæ literis, an sibi obligatum habeat, nedum mandantem, verùm & accipientem.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus.*
2 *Nuncius non loquitur voce sua, sed mittentis.*
3 *Vsus, & consuetudo in literis credentia est vt eas præstantes obligentur, non portantes.*
4 *Expenditur textus* in l. si literas, C. mandati.
5 *Literam credentiæ portans ad lucrum suum etiam obligatur.*
6 *Tres conclusiones oriuntur ex hac quæstione, & in specie ponuntur.*
7 *Iura* in §. item si procuratori, l. si pupilli, ff. de negotiis gestis, & d. l. si literas, *conciliantur.*

QVIDAM mercator epistolam dedit negotiatori, qua pergeret ad certum hominem, & ab eo pecunias exposceret, quibus merces ad sui vtilitatem negotiando emeret. Epistola accepta homo pecunias credidit, propter epistolam allatam, & negotiator accepit; post aliquod tempus mutuans ad mercatorem accedens vt mutuum recuperaret ipsum decoxisse, & cessisse bonis, inuenit, vnde pecunias recipere non valuit, nisi tantum in spe; quare contra accipientem reuersus eum super solutione receptæ pecuniæ iudicialiter conuenit, de qua conuentione 1

uentione fuit controuersum, & dubitatum.

2 Et pro parte negociatoris aliqua proponebantur, nempe quia ipse pecunias vt nuntius recepit, quo casu obligatio non recipientem, sed mittentem; & mandantem comprehendit, quia nuntius est nudus minister, & non loquitur voce sua, sed mittentis. ita docet Bald. *in l. si literas, n.* 1. *C. mandati.* Ioannes Faber *in annotationibus ad Codicem, in l. ei qui, num.* 2. *C. quod cum eo.* celebris glossa *verb. quia ex abundanti, in l. si pupilli, §. item si procuratori, de negotiis gestis,* quam DD. commendant, & specialiter Baldus *ibi.*

3 Rursus, quia vsus & consuetudo fauebat ipsi negociatori, ex qua nunquam homines portantes literas, seu epistolas cambij, aut credentiæ subiiciuntur obligationi pecuniarum, sed tantùm domini literas, præstantes, dummodo veræ sint, & cesset fraus, eo maximè si literarum præstationem præcesserit solutio realis pecuniarum, quo casu si negociatores postea literas credentiæ exequuntur, nihil aliud nisi suum postulant, & accipiunt, vnde iniquum videtur si ad illos reddendum, aut assecurandum compellantur.

4 Pro parte autem mutuantis illud considerabatur quòd in hac specie non interuenerunt literæ credentiæ in forma consueta, & pro tantis nummis receptis; sed solùm epistola quædam assecurationis, & crediti, vnde recipiens videtur principaliter obligatus, & mãdans secundariò, tanquã fideiussor, aut assecurator. Præterea text. *in d. l. si literas,* videbatur esse literalis ad casũ, ibi, *Si literas eius sequutus qui pecunia egebat fuerat, ei qui tibi literas tradidit, pecunias credidisti, tam condictio aduersus eum, qui à te mutuam sumpsit pecuniam, quàm aduersus eum, cuius mandatum secutus es, mandati actio tibi competit,* &c. ponderando quod primò dat textus actionem aduersùs accipientem, quàm aduersùs mandantem, quasi videatur non fuisse accipiens Procurator, sed negotiorum suorum gestor, quod etiam innuitur in illis verbis, *si literas*; si enim de Procuratore loqueretur textus, diceret, si procurationem, aut mandatum, vnde loqui videtur de literis credentiæ extraiudicialibus, aut assecurationis, quibus mandatur pecunias mutuare, quod amplius comprobatur in text. ibi, *ei qui literas tradidit, pecunias credidisti,* vnde videtur quòd accipiens, sui fuit negociator, & de lucro, aut mutuo suo tractauit, ideoque in eum principaliter actio dirigitur in litera textus, quod non rectè fieret si nudus Procurator fuisset, ex textu *in d. §. si Procurator.* ibi, *aduersus eum, cum quo contraxi, nullam,* &c. vnde subtiliter Baldus optimè intelligens textum *in d. l. si literas scripsit, num.* 3. ibi, *vel contrahebat vt Dominus ad vtilitatem propriam,* &c. qui sensus conuenit cum ponderationibus quas ex verbis eiusdem textus enucleauimus.

Quapropter in præsenti casu, cùm accipiens, & negociator epistolam credentiæ portans, suam negociationem ageret ad lucrum suum, iudicari debebat vt principalis obligatus ex mutuo accepto, & in eum primò actionem esse dirigendam apparebat, quia ambo obligantur, dominus, quia mandauit, & recipiens, quia ad sui vtilitatem recepit, ideò contemplatione vtriusque præstita fuit pecunia, & bene textus contra eos concedit actionem, & scribit Ioannes Faber *in d. l. ei qui, num.* 2. ibi, *aut vtriusque, & tunc vterque,* &c. idem docuit gloss. *in d. l. si pupilli, §. item si procuratori.* ibi, *si autem contemplatione vtriusque, tenetur vterque,* &c. 5

Censui in præfata specie contra negociatorem 6

gociatorem esse primò dandam actionem, ex prædictis, ex quibus tres oriuntur conclusiones.

Prima quòd nudus minister, & nuncius literas credentiæ portans maximè soluto tantundem ad nihilum teneatur, seclusa fraude, aut dolo circa easdem literas.

Secunda quòd nudus etiam Procurator minimè obligetur.

Tertia quòd negociator circa suum lucrum, & portans epistolam, non verò literas, principaliter ad pecuniarum restitutionem teneatur, & postea mandans, aut epistolam scribens, in subsidium.

7 Et sic conciliari possunt iura *in d. §. item si Procuratori, & in d. l. si literas,* simul cum aliis, quæ dissentire videbantur.

QVÆST. LXI.

Non vulgaris.

Minor pars creditorum an in aliquibus prævaleat maiori.

SVMMARIVM.

1. *Regulariter maior pars creditorum minori præiudicat.*
2. *Limitatur regula vt minor pars prævaleat in aliquibus casibus.*
3. *Expenditur textus* in l. 7. tit. 19. lib. 5. recopil. *& quòd delatio maioris partis sine fideiussoribus admissa minori non præiudicat.*
4. *Extenditur* d. l. 7. *etiamsi omnes creditores renuncient fideiussores, quòd nihilominus teneatur debitor illos dare.*
5. *Mercatores præscientes decoctionem, & recipientes tenentur actione criminali, tam ex fractione legis, quàm ex dolo præconcepto.*
6. *Creditor mutuans ante obitum, præsumitur mutuum in funeris expensis consumptum, & habet illius prælationem.*
7. *Refertur casus practicatus de decoctore in causa criminali ante sex menses decoquens, & cum dolo præconcepto.*
8. *Decoctores tenentur in conscientia præconcipientes decoctionem nunciare mutuanti, aut deponenti, aut tenentur excusare se à recipiendo.*
9. *Regula maioris partis creditorum fallit quoad pignora, & fideiussores minoris.*

REGVLA ponitur in contrarium, quòd maior pars creditorum minori præiudicat in remittendo partem debiti, quando propter remissionem adest debitor, quem creditores valeant conuenire, & cessante remissione non adsit conuentio: vnde cùm ex ea fiat creditorum conditio melior, hinc est quòd debet minor ipsorum pars in remissione consentire, textus *in l. & suum, § hodie, cum l. sequenti, ff. de pactis,* de cuius materia Afflictis *decis.* 288. Alexand. Trentacinq. *var. resol. lib. 3. resolut. 2. de solutionibus, num. 3.* Seraphinus *decis.* 1233. Iason *in d. § hodie, num. 2.* & idem est dicendum de dilatione à fortiori, ex textu *in l. quoties. C. de precib. Imper. offer. & in l final. C. qui bonis ced. poss.* & refert Afflictis *in ead. decisione, num. 1.* cum declarationibus *ibi* relatis, quòd propter remissionem adeatur hæreditas debitoris defuncti, & habeant creditores hæredem debitorem; quem conueniant, vel absente debitore facta remissione sit præsens, & facilis in 1

conueniendo: dummodo in remissione, vel dilatione creditores congregentur, & negotium tractetur inter omnes ad hoc congregatos, & citatos, saluo, & incolumi creditore non citato, vt per Seraphinum *vbi suprà num.* 1 & docet in terminis Maceraten. *var. resol. lib.* 2. *resolut.* 18. *num* 4. *&* 5.

2 Sed cùm omnis definitio sit in iure periculosa, nec vlla regula adeò integra reperiatur, quæ variis circumstantiis, & adminiculis non deficiat, ideò limitatur supradicta regula,

Primò vt minor pars maiori præualeat, quando sine remissione, aut dilatione debitor est præsens, aut hæreditas absque remissione, & dilatione sit adita. Afflictis *d. decis.* 288. *num.* 2. 3. *&* 4.

Secundò, quando minor pars habet hypothecam, maior non, vt colligitur ex Afflicto *num.* 5. & Iasone *in d.* §. *hodie, num.* 2.

Tertiò, quando minor pars non fuit citata, colligitur ex eodem Seraphino *dicto num.* 1.

Quartò, quando maior pars vellet remittere totum debitum. Iason *in d. n.* 2. & Baldus *ibi num.* 3. Afflictis *d. decis. num.* 2.

Quintò, quando dilatio, aut remissio maioris partis contineret iniquitatem, ex diuersis capitibus arbitrio iudicis, vt aduertit idem Iason *d. num.* 2. & notat Maceraten. *d. lib.* 2. *& cap.* 18. *num.* 1. *&* 2. Surdus *consil.* 65. *num.* 20. *&* 21. *tom.* 1. vbi loquitur etiam in dilatione inutili.

3 Ex qua limitatione vltima inferebam ego ad explicationem *l.* 7. *tit.* 19. *lib.* 5. *recop.* vbi disponitur quòd mercatores, & decoctores, si velint gaudere dilatione quinquennali quòd capiuntur, & vinculis subiiciantur, donec præstent fideiussores, quia si maior pars remittat fideiussoriam præstationem, hæc remissio sit iniqua, & inutilis, imò nociua omnibus creditoribus, ideò minori parti reclamanti non præiudicet, est iniqua, & nociua, quia absque fideiussoribus decoctores post completam dilationem aufugere poterant, creditores supplantando, & defraudando tam bonis, & creditis, quàm tempore expectato dilationis, est inutilis, quia præstare tempus absque sufficienti securitate, illo elapso nihil vtilitatis affert, nisi ipsis mercatoribus, & decoctoribus, vnde meritò in prædicta legis prohibitione statutum fuit quòd prædicti ante carceris egressum fideiussores dare teneantur, non obstante dilatione concessa, aut pactis aliquibus, seu bonorum cessione, aut compromisso; quapropter quilibet creditor minoris partis poterit reclamare, & petere fideiussorem debitori, etiamsi à maiori parte sit ab eodem onere liberatus, quia talis liberatio iniqua, & nociua est, simul & inutilis communitati creditorum, quorum maior pars in his terminis minorem vincere non valet.

Quod adeò securum est, vt attenta prædicta lege 7. non sit exorbitans cogitatio, & propositio, quod etiamsi omnes creditores maior & minor pars debitorem à fideiussoribus exonerent; nihilominus sit in carcere detinendus, donec illos præstiterit. nam etsi in ipsorum creditorum fauorem illa præstatio scribatur, & possint illam renunciare, ex regula iuris; negari tamen non debet, quin ipsa lex in odium etiam decoctorum illud constituit, & in fauorem non solùm creditorum, sed totius Reipublicæ, ideò non erit admittenda prædicta generalis renunciatio, ex qua odium legis ipsos decoctores non percutiat variis solicitudinibus acquisita, quibus in gaudium, contra iuris rudimenta, odium prædictum retorqueatur, 4

tur, & præcipuus Reipublicæ fauor supplantetur; si enim per renunciationem prædicta fideiussorum conditio pacto creditorum, & debitorum tolleretur, & defraudaretur, in damnum publicum vergeret, cui pacto priuatorum derogari non potest, & ex odio suo, & grauamine legali, decoctores, & mercatores commodum reportarent; quæ omnia iuris principiis repugnant, & aduersantur.

5 Vnum tamen aduertere non displicet, in concursu creditorum maioris, & minoris partis, nempe quòd si debitores, aut mercatores scientes se in breui decocturos, vt quia per leges Regni partem suorum bonorum per pretia rerum, aut per diminutionem valoris pecuniæ, & monetæ perdiderunt, & hoc cognito intra sex menses ante decoctionem pecunias ad creditum, siue depositum receperunt, quod per legem huius Regni additam ad *lib. 5. tit. 19. recopil.* tenentur actione criminali, & capturantur, quia recipiendo cognita sua decoctione, & occultando illam mutuanti, aut deponēti, dolus & fraus, securè committitur, cùm mercator, & decoctor præconceperat fugam, aut decoctionem, quæ illico intra breue tempus successit, & fefellit creditorem. verba sunt Flores de Mena *lib. 1. var. resolut. q. 6. art. 3. n. 40.* ita sentiens & affirmans.

6 Facit simile dictum Ioannis Petri Surdi *decis. 55. n. 10.* quòd creditor qui mutuauit alicui qui statim decessit præfertur anterioribus creditoribus pro expensis factis in funeralibus, & aliis necessariis quæ fuerunt facta, quia præsumuntur facta de pecunia mutuata ob temporis breuitatem, succedit enim hoc mutuum in loco, & priuilegio funeris expensæ, quæ sicut omnia credita præcedit, *l. impensa, ff. de religios. & sumpt. funer.* ita creditum, aut mutuum quæ in ipsius causa fuit consumptum.

Et vidi casum practicatum de quodam debitore, qui ex duobus capitibus 7
tam quia intra illos sex menses, quàm quia dolo, & fraude decoctionis præconceptæ recepit, & fuit captus non obstante ciuili negotio creditorum super dilatione, & ad ipsum fuit petita remissio causæ criminalis, & per integerrimos dominos, vulgò *Alcaldes de corte,* & per Regale consilium fuit denegata remissio, & per primam & secundam sententiam condemnatus extitit decoctor ad debiti satisfactionem, & licèt aliqua partita fuisset ante sex menses habita, & postulasset, quòd de illa sententia non loqueretur, tanquam recepta sine culpa, & ante terminum sex mensium; nihilominus sententia fuit generalis de omni debito, veluti quia recipiens vnam partitam intra illum terminum, lex constituat illum reum, & suspectum in omnibus.

Itaque mercatores, & decoctores 8
præconcipientes suam decoctionem, tenentur in foro conscientiæ, secretò manifestare illam mutuanti, aut deponenti, vt sibi postea periculum imputet, cùm scienti, & consentienti iniuria non fiat. aliàs dolum & fraudem committunt, & intrat peccatum in interno foro, & docet Rebuffus *in commentariis, tract. de mercatoribus, art. vlt. glossa vnica, num. 19.* & addit cum Bart. Iacobino, & Angelo, quòd damnum à mercatore passum nunciari debet per ipsū intra annum mutuanti, aut deponenti, alioqui post annum non audietur, vnde in vtroque foro nunciatio prædicta requiritur, aut tenentur euitare, & dimittere mutuum, siue depositum excusando, quòd alienis pecuniis onerare se non velint, & hoc medio bene faciunt sibi, & altero; sibi, quia excusant peccatum quod consistit in fraude,

& in recipiendo illud quod scienter solui non potest. Altero, quia ipsum ab actione litigiosa super pecuniæ restitutione & prælatione ante litigij tempus quasi à seruitute quadam manumittunt.

9 Sextò fallit regula in principio tradita in fauorem maioris partis creditorum, vt minor præualeat quoad pignora & fideiussores minoris partis, in quibus non intrat nec remissio, nec dilatio, ita per textum *in l. si præcedente, §. Lucius Titius, ff. mandati,* docuit Ias. *in d. § hodie, §. sextò limita.*

QVÆST. LXII.

Non vulgaris.

Vtrùm Vicarius de speciali syndicatu (ante Generalem, vbi Generalis admittitur) teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Finito officio omnes administrationis rationem præstare debent.*

2 *De iure Hispaniæ syndicatus admittitur generaliter.*

3 *Probatur etiam speciali Concilij Tridentini decreto.*

4 *Speciali consuetudine, aut synodali statuto sanciri valet.*

5 *Refertur Bulla Gregorij XIII. contra syndicatum Vicariorum.*

6 *In eminenti dignitate constituti syndicari non debent.*

7 *In loco vbi Bulla Gregor. cecidit, aut vbi sit speciale statutum, aut consuetudo contra syndicatum, ipse excludendus erit; admittendus tamen si pro admissione sit decretum, vel consuetudo.*

8 *Specialis syndicatus ante generalem finito officio an admittatur.*

9 *Vicarius de culpis commissis in officio syndicari non debet ante finitum officium, secus de culpis extra officium.*

SYNDICATVS Vicariorum & iudicum Ecclesiasticorum de iure communi permissus videtur; generaliter enim statutum est in omnibus iudicibus, vt finito officio, suæ administrationis rationem præstent, textus *in l. vnica, C. vt omnes iudices tam ciuiles, quàm criminales. & in l. vnica, C. de negotijs gestis*; & docent cum aliis Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. praxis vicariatus, cap. Sede vacant. decis. 481. num. 2. & 3.* Marcus Antonius Genuensis *in praxi Archiepisc. Neapol. cap. 58. num. 1.* & annotatio *ibi num. 2.* † & de iure Regni Hispaniæ huiusmodi syndicatus admittitur generaliter *in l. 2. tit. 7. lib. 3. recopilat.* & *ibi* Aceuedus *num. 3.* cum pluribus, inter quos Paris de Puteo, Augustinus Dulcetus & Amedæus Iustinus de syndicatu tractantes. † Probatur etiam speciali Concilij Tridentini decreto *sess. 24. de reformat. cap. 16.* vbi fuit sancitum in Vicario Capituli Sede vacante, quòd sui officij rationem nouo reddat Episcopo, & refert idem Riccius *d. decis. 481. num. 4.* 1 2 3

Rursus specialiter potest vsu & consuetudine recipi, aut synodali constitutione sanciri quòd Vicarij syndicentur, vt in Toletana diœcesi vsu admissum & statutum est, quo casu indubius syndicatus apparet, loquendo de Generali post finitum officium. 4

In contrarium adest Bulla quædam Gregorij XIII. anno 1578. in fauorem Vicariorum Archiepiscopi Tarentin. vt licèt Clero instante, non tamen ipsi Vicarij, siue generales, siue foranei, syndicatui 5

dicatui sint obnoxij, & refert sic tenens præcitatus Genuensis *d. cap.* 58. & annotatio *ibi*, propter dignitatem Vicariorum, qui fulgent radiis Episcoporum, in cuius dedecus tenderet syndicatus, cùm pro illis sit præsumptio in bono & iusto sui officij exercitio;

6 † in eminenti enim dignitate constituti syndicari non debent, de sententia Cephali *cons.* 39. relati per eumdem Genuensem *in d. annotatione, in fine*, licèt contrà etiam in Rege & Imperatore teneat Aceued. *in dict. l.* 2. *in principio*.

7 Sit conclusio quòd in loco vbi cecidit Gregoriana constitutio, syndicatus sit exclusus, & idem similiter vbi aliud speciale fuerit statutum, aut consuetudo pro eadem exclusione; vbi verò aut dicta Gregoriana terminatio non est extensa, aut recepta, immo in contrarium adest specialis consuetudo, vel decretum pro syndicatu, quòd ipse sit admittendus, ex rationibus ab Aceuedo congestis, & suprà relatis; bonum enim opus populo præstatur in reddendo eidem administrationis rationem, qua cuilibet satisfieri possit ab iniuriis illatis, & licèt fama periclitetur, veritas si pro iudice adsit, ipsum innoxium ab inimicis latrantibus reddet, qui, fauente Deo, aduersùs iudicem iustum & bonum non præualebunt; qui enim bonum facit, non habet timere potestatem, immo habebit laudem ex illa. nam Deus minister est illi in bonum; verba sunt Apostoli Pauli *ad Romanos* 13.

8 Sed hoc de generali syndicatu finito officio accipiendum erit; quid autem si ante finitum specialis intentetur syndicatus pro rebus officij, numquid sicut generalis admittitur, ita admittendus erit specialis. Nequaquam; generalis enim adhuc habet contradictionem, ex supradictis post completum officium; quomodo ergo ante completum specialis syndicatus admittetur? prætereà speciali admisso ante exitum officij, & post illum alio syndicatu generali recepto, iudex duobus examinibus grauabitur, & duplici syndicatu quòd nullo modo permittendum erit, & esset contra iura præfata, in quibus vna tantùm ratio administrationis exigitur, non duplex. Quare iudex cōtra quem speciatim syndicatur, reclamet, & ad superiorem pro suo præiudicio recurrat, vt singularis syndicatus reuocetur, cum reseruatione ad generalem, si vsu admittatur, eidem enim iudici, aut Vicario fit grauamen, & præiudicium in dicto singulari syndicatu, eo maximè si pro illo extra domum fuisset extractus, vnde accepto grauamine duplici silere nōn debet, sed contradicere & appellare, quòd si non faciat, superior qui de speciali syndicatu cognoscit, cognoscat etiam iniuriam illatam, & ne sibi similiter eueniat, rationabiliter timeat. nam pro rebus particularibus officiorum, ante syndicatum & generalem residentiam, contra iudices siue seculares, siue Ecclesiasticos, procedi non debet; sed quando contra ipsos petitur ad syndicatum generalem si sit admissus, remittenda erit querelæ petitio, vbi suo loco & tempore de ipsius iustificatione tractabitur; quòd si secus fiat, grauamen infertur, & res intempestiuè tractatur, & æquiparantur iudices cæteris inferioribus Parochis & Clericis, contra quos vsu & stilo receptum est quòd toties quoties contra illos procedatur, non obstante quòd generaliter in visitatione syndicentur. Quare iudices ipsis inferioribus parificari non debent, sed pro eorum reuerentia distingui & honorari, ne aliàs in gubernatione Ecclesiastica sit confusio & inordinatus modus agendi, & procedendi, nec sit discretio & distinctio

personatum, cùm ea adsit in Ecclesia militante, & triumphante; testante Apostolo Paulo *ad Corinthios 1. cap. 12.* quòd diuisiones gratiarum sunt, alij namque sunt Apostoli, alij Prophetæ, alij Doctores, secundùm mensuram donationis Christi.

9 Quod intelligendum, & accipiendum erit, quando contra Vicarium super culpis in officio commissis procedi contendatur; secus verò de culpis extra officium, veluti si homicidium, aut adulterium, aut membri truncationem, seu honoris damnum commiserit, vel quid simile perpetrauerit; tunc autem cum in his delictis non vt iudex, sed vt priuatus homo se habuerit illorum punitio, non vtique ad syndicatum generalem remittenda, sed continuò (ne delicta impunita, aut oblita remaneant) iudicanda erit.

QVÆSTIO LXIII.

Non vulgaris.

Visitatio Episcopalis in Ecclesiis Regularium, ad quæ extendatur.

SVMMARIVM.

1 *Confratriæ sitæ in Monasteriis Regularium ab Ordinariis visitantur.*

2 *Eximuntur Confratriæ sub Regum immediata protectione.*

3 *Confratriæ in quibus statutum est quæ personæ rationes exigant, an possint ab Ordinariis visitari, & refertur quædam Auditorum Regiorum declaratio, & sacra Congregationes super Concil. Trid.*

4 *Expenditur contra Aceuedum, textus* in cap. 9. sess. 22. eiusdem Concilij.

5 *Episcopalis visitatio extenditur ad Patronatus Regularium, & ad officia circa curam animarum, & exequutionem testamentorum.*

6 *Extenditur ad memorias, & Capellanias in eisdem Monasteriis sitas, & declaratur.*

7 *Si in fundatione sit exclusus quoad visitationem Episcopus, an nihilominus visitare possit.*

8 *Referuntur declarationes iudicum Regalis auxilij in terminis prohibitionis fundatorum, & exclusionis Episcoporum in visitando.*

9 *Extenditur visitatio Episcopalis ad plures casus à Doctoribus congestos circa Regulares.*

10 *Altaria, & Capellas Regularium, an visitare possit Episcopus, & eius visitator.*

PRIMÒ extenditur ad Confraternitates in eisdem Regularium Ecclesiis sitas, quæ per Ordinarios quotidie visitantur, præcipuè tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, vt per Concilium Tridentin. *sess. 22. cap. 8.* vbi expressè fit mentio de Confraternitatibus laicorum, & etiam de priuilegio, aut exemptione non obstante, & de delegatione Sedis Apostolicæ, sed cùm in prædicta Ordinarij visitatione in Confraternitatibus ipsi Regulares non visitentur regulariter, sed solùm Confratres, & sint laici, & non exempti, nunquam in praxi occurrit dubium de exemptionis priuilegio, quod vtique posset allegare Regularis, si quis est gubernans Confratres, & edocens virtute ordinationum Confratriæ, ad quem visitandum si Episcopus, aut Visitator voluisset, vti deberet de delegatione Apostolica ipsius Concilij, & cessatione cuiuslibet priuile- 1

priuilegij ibi contenta, sed in praxi, vt dixi, nunquam Regularis visitatur, licèt prædictus, qui edocet, benè posset; itaque visitatio tantùm Confratres eiusque ordinationes spirituales, & bona temporalia pertingit, ex pluribus eiusdem Concilij declarationibus per sacram Congregationem coniunctis, quas referunt Marzilla *lib. 2. tit. 6. verb. Confraternitates laicorum*, & per Farinacium *in d. cap. 8. & in eodem verbo* Cerola *in pract. Episc. 1. p. §. visitatio, §. secundum dubium*, vbi quòd Gregor. XIII. reuocauit Bullam Pij V. latam in fauorem Confraternitatum, & idem annotat Leo *Thesauro fori Eccles. p 4. cap. 2. num. 33. & num. 41.* vbi loquitur (iuribus congestis iuris communis) de eadem Ordinariorum visitatione circa Confraternitates, quas ego in prædictis Regularium Ecclesiis, dum essem Visitator Toletanus, sine repugnantia visitaui, & similiter faciebat in sua Diœcesi Thelesina præcitatus Leo, vti ipse testatur *d. p. 4. cap. 2. num. 149* eandem visitationem probat Piascecius *in praxi Episcop. p. 2. c. 3. n. 8. & in part. 3. cap. 15.* ponit quæ sint inquirenda in visitatione contra Confratres, docet etiam Cenedo *canonic. qq. q. 22. num. 14.*

2 Ab hac visitatione eximuntur Confraternitates si quæ sint sub Regum immediata protectione, vt absque Regali licentia per Visitatorem visitari nequeant, vt expressè limitat idem Concilium, & aduertunt Doctores suprà relati, & Declarationes sacræ Congregationis per eundem Marzillam, & Farinacium congestas, quæ expressam protectionem, non verò tacitam requirunt, & declarat idem Leo *d. cap. 2. num. 97.* Sed in praxi nunquam de hac expressa protectione excipitur inter visitandum quia, quod viderim, non habent Confraternitates Regum protectionem, licèt Reges soleant esse Confratres.

3 Item eximuntur Confraternitates secundùm Aceuedum *in l. 3. num. 10. tit. 24. lib. 8. recopilat.* in quarum statutis, aut per consuetudinem est inductum, quæ personæ debeant rationes exigere; tunc enim Episcopus, aut eius Visitator se intromittere non debet, & quòd sic, fuit declaratum per Auditores Regios vim fieri per Episcopum, & eius Visitatorem, seu Vicarium, & sequitur Cenedus *d. num. 14.* Sed hoc Aceuedi, & Cenedi dictum verum non credo in iure loquendo. nam licèt in statutis Confratrum contineatur, quæ personæ rationes exigant, non per hoc excluditur Episcopi visitatio, quæ etiã rationibus exactis, & confectis pro ipsarum reuisione adhiberi potest, imò ego quampluries Confraternitates visitando iam ipsas rationes assumptas reuidebam, & ipsis Confratribus consentientibus visitabam, non enim sequitur consequenter sequela quam faciunt Aceued. & Cened. de personis ad rationes exigendas nominatis ad exclusionem visitationis Ordinarij, cùm rationabiliter hæc non contrarientur, nec in mente, nec in praxi. Quare ab Aceuedi, & Cenedi dicto super hoc cauendum existimo. Nec insuper Regij Consiliarij vim fieri declarantes fortassis iustè declararunt Episcopum, & Vicarium excludendo, ex ratione tantùm per Aceuedum perpensa, & allegata, iuxta quandam declarationem sacræ Congregationis ab eisdem Farinacio, & Marzilla relatam, super quodam hospitali de Olmedo, in cuius fundatione stabiliuit fundator, quòd Prior S. Hieronymi visitaret prædictum hospitale, vnde accedente Episcopo Abulensi, itemque visitationem hospitalis contendente impeditus fuit à prædicto Priore, & pro dubio ad

ad sacram Congregationem recurrentes, cùm Prior allegasset à fundatione sibi esse commissam visitationem, sacra Congregatio respondit Priorem non bene institisse, quia fundatio licèt admittat illum, non tamen Episcopum excludit à visitatione; vnde ad propositum, quòd Confraternitatum statuta decernant personas ad rationes exigendas, quid rogo hoc importat ad Episcopum, & Vicarium, seu Visitatorem excludendum, maximè cùm frequenter in praxi ipsæ personæ rationes conficiant, & ad residendum illas præsentent, & rationibus non confectis Visitator decretum facit quòd intra terminum illas assument, prout ego fidem facio: ex quo colligi poterit quantum obsit rationum confectio visitationi, de mente Aceuedi, & Cenedi, quòd imò ipsa easdem rationes solicitat, vt postea visitentur.

4 Rursus Aceuedus dum refert Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 9.* vt quoties statuto, vel consuetudine aliis ad id deputatis ratio sit reddenda, infert quòd tunc Episcopus in rationibus exigendis se intromittere non possit, & cum eo probat Cened. *vbi suprà*, quæ illatio tantum abest, quòd à Concilio inducatur, quòd è conuerso illi repugnat. nam illo in casu de rationibus aliis statuto, aut consuetudine reddendis non exclusit Episcopum Concilium, vti voluit Aceuedus, simul & Cenedus, sed potiùs admisit vnà cum illis deputatis, ait enim, *quòd si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur*, &c. Quare affirmandum erit, etiamsi rationes à Confratribus, seu eorum calculatoribus sint conficiendæ, aut confectæ tam consuetudine, quàm Confratriæ constitutionibus quòd Episcopi, seu Ordinarij, subiiciuntur visitationi, & licèt Cenedus alleget quandam sacræ Congreg. declarationem pro confirmatione Aceuedi, & eius sententiæ; ipsa tamen declaratio permittit Episcopo exigere rationem administrationis in hospitalibus, & Confraternitatibus, seruata dispositione dicti Concilij *in d. cap. 8.* & refert Cerol. *in pract. 1. p. verb. visitatio, in fine.*

Secundò extenditur ad patronatus 5
in prædictis Regularium Ecclesiis sitos, ex *capitibus 8. & 9.* eiusdem Tridentini *sess. dicta 22.* vbi generaliter omnia opera pia tam eleemosynarum, & ad pauperes sustentandos, quàm ad animarum salutem, & earum piarum operum administratores prædictæ visitationi subduntur, & constat ex declaratione sacr. Congreg. suprà relata de patronatu Prioris S. Hieronymi hospitalis de Olmedo, cuius patronatus visitatio non fuit Ordinario denegata, & mirum non est cùm iuspatronatus tanquam res quasi spiritualis, & spirituali annexa, *cap. quanto, de iudic. cap. de iure, de iurepatron.* cum aliis, vt per eundem Leonem *d. Thes. fori Eccles. p. 2. cap. 6. num. 34.* optimè dicitur opus pium, quia aut ad Missas dicendas, aut ad eleemosynas præstandas instituitur, vnde comprehenditur in regula Concilij de visitatione piorum operum in fauorem Ordinarij loquentis, & hinc idem Piasecius *in d. praxi compendiosa, de visitatione* adhibuit *in p. 2.* vnum caput *9. de his quæ de iurepatronatus in visitatione Ecclesiastica sunt exercenda,* & *in praxi eadem p. 2. cap. 3. num. 27. & 28.* docet quòd Regulares ratione hospitalium, aut curæ animarum possunt per Episcopum corrigi, & visitari, ex iuribus Concilij Trident. *in cap. 7. sess. 7. de reformat. & in cap. 11. sess. 25.*

de

de Regular. & constitutionis Leonis X. & Pij V. *super visitandis Ecclesiis militum sancti Ioannis Hierosolymitani, & eorum Religionis*, etiamsi Religio Episcopalem, & temporalem iurisdictionem in eisdem Ecclesiis Diœcesum habeat, & *in eodem cap.3.num* 47. similiter docet Regularem, qui permissu Superioris suscepit onus executionis testamenti, teneri rationem reddere Episcopo, & si in eo deliquerit, posse per illum puniri, ex *Clementina vnica, de testament.* simul cum aliis, & notat Riccius *in praxi fori tit. praxis Regular. decis.* 654. *num.*7. Campanil. loquens de Regularibus curam animarum habentibus, & quod in iis Episcopi subsunt visitationi, & correctioni, *in diuersor. iur. Canonic. rubric.* 12.*cap.*13. *num* 51. *&* 115. *& num.*130. idem docet de Regularibus exequutoribus vltimarum voluntatum: vnde ratione officij patronatus, aut Commissarij vltimæ voluntatis, & executoris testamenti bene poterunt Regulares per Episcopum, & Visitatores ordinarios corrigi, puniri, & visitari, & sic practicatur, egoque in illo visitationis munere constitutus multoties Priores, & Prælatos Regularium super ordinatione patronatus visitaui, & insuper decreta illis fuerunt intimata, nec ab ipsis fuit declinatum, aut iurisdictio recusata.

6 Tertiò extenditur ad memorias, & Capellanias, quas defuncti pro suarum animarum salute in prædictis Regularium Ecclesiis reliquerunt ad Missas, & anniuersarium quotannis celebrandum, ex eisdem ponderationibus, iuribus, & rationibus, quibus proximè de patronatibus loquuti fuimus, omnia enim sunt opera pia, & ita pariformiter sunt iudicanda, & terminanda, ex argum. text. *in l. illud, ff. ad l. Aquil.* de quo Euerard. *in locis legal. loc.* 14. *in fine*, & diximus suprà *quæst.* 57. & quomodocumque tractetur de adimplenda testatoris voluntate tam in Missis dicendis, quàm in distribuendis legatis, siue in nominandis pauperibus dispensandisve eleemosynis, in his omnibus Regulares non eximuntur ab Ordinario, imò illius visitatione, & iudicio tenentur, & in specie disseruit idem Piasecius *d. praxi. & p.*2.*cap.*3. *num.*47. & Riccius *d. decis.* 654. *num.*7. & Campanilus *d cap* 13. *& num.* 130. *cum seqq.* cum Panuino, Sbrot. & aliis quamplurimis relatis. Sed in praxi parum visitantur Missæ, quas Regulares ex fundatione Conuentus, seu Monasterij persoluunt, seu quarum stipendia vnà cum redditibus Conuentuum recuperant, & accipiunt absque sæcularibus personis, quibus hæc cura, scilicet Missarum dicendarum sit imposita, non quia ad illas visitatio Episcopalis excludatur, sed quia Visitatores non habentibus sæcularibus exequutoribus, quos ad visitationem conuocare possint, absque difficultate & litigio, & ab eis iura recipere, de cæteris Regularibus indomitis, & ordinariæ iurisdictioni aduersantibus non curant, aut etiam harum Missarum non sunt participes, nec compotes, licèt ego memor sim diligentiam fecisse contra Regulares prædictos super Missis sibi per defunctos adiunctis, etiam deficientibus sæcularibus, vulgò *cumplidores*, & rationibus coëgi eosdem Regulares, vt visitarent, prout fecerunt; verum est tamen quòd dicebant Missas cuiusdam memoriæ, & anniuersarij non in sua Ecclesia, in quo casu nullo modo visitationem absque litigio consentirent, sed in alia Ordinario subiecta, adstantibus autem sæcularibus Visitatores illos compellũt, vt à Regularibus accipiant testimonia, & rationem in scriptis de Missis celebratis, quo viso me-

moriæ in visitationum libris pro impletis adnotantur.

7 Sed quid si in institutione, aut fundatione Confraternitatum, Memoriarum, Capellaniarum, siue patronatuũ, aut Collegiorum, vel aliorum operum piorum, expresè cautum sit quòd Episcopus, & Visitator ordinarius, aut Vicarius non se intromittat, nec visitet, vt plures in rebus Ecclesiæ, & iurisdictionis eius odiosi cum malo exẽplo constituunt, nunquid locus erit prædictæ visitationi, an non? In quo casu Gutierr. *in repetit. textus, in l. nemo potest, de legat.* 1. *num.* 449. *&* 450. tenet virtute illius textus fundatorem excludere non posse Episcopum, & Ordinarium à cognitione fundationis, nec illam eximere à iurisdictione Ecclesiastica, vtpote cùm sit contra iura Canonica, & leges quæ in qualibet institutione intrare, & non expelli debent, nisi consentiente Episcopo, & Ordinario ab exordio dispositionis, & prohibitionis sibi factæ, vt idem author limitat *n.* 451. & secundò etiã limitat *n.* 453. virtute Concil. Trid. *d. c.* 9 *sess.* 22 quãdo in institutione, siue ordinatione Ecclesiæ, seu fabricæ, statuitur ne administratores teneantur rationem Episcopo reddere, qua limitatione destruere videtur id, quod numeris antecedentibus autumarat, & ab ea sumpserunt ansam Aceuedus *in d. l.* 3. *num.* 10. *lib.* 8. *recopil.* & Cenedus *d. quæst.* 22. *num.* 14. existimandi, & opinandi validam esse prohibitionem, & exclusionem Episcoporum in institutione, aut testamento factam, recurrendumque esse ad Regale auxilium *de la fuerça*, vbi declaratur vim fieri per Episcopum.

8 Verùm in hoc dubio negare non possum id quod Concilium *in d. cap.* 9. constituit, & declarationes sacræ Congregationis, quas referunt Marzilla & Farin. *in d. capitib.* 8. *&* 9. *eiusdẽ Concilij*, quibus continetur Episcopum expressè in testamento, aut fundatione prohibitum intrare non posse in ipsius cognitione, aut visitatione; vnum tamen circa Regale auxilium in his casibus scribo, quòd in aliquibus fundationibus prohibentibus expresè visitationem Ecclesiasticam, imò quòd illa accedente memoria non sit Missarum, sed laicorum, & patronatus profanus, contendente Visitatore Toletano oppidi de Talauera contra ministros, & Ducem de Bexar, in quadam memoria de la villa de Herrera fundata à quodam Licentiato Ximenez, quòd visitare debebat ipsam memoriam, & patronatum, per eosdem ministros ad Granatense Prætorium fuit recursum per viam Regalis auxilij, vbi auditis partibus fuit declaratum vim non fieri per Ecclesiasticum, & ad eum visitatio eiusdem patronatus pertinere, quæ per me fuit postea succedente in ipso officio per aliquos annos continuata, & vidi fundationem, & declarationem Audientiæ, & nunquam amplius prædicti ministri in eadem visitatione, & computationibus manus imposuerũt, & intra ipsum oppidum Talaueræ Collegium pium fundauit Petrus quidam de Vaga pro pueris educandis, cum nominatione Patronorum, qui computationes assumerent, & insuper visitarent, & exclusione generali, vt scilicet nemo eisdem Patronis rationem peteret, & ipsi ad Pincianum Senatum prouocauerunt pro Regali auxilio super visitatione Ecclesiastica, quam ego proposui in dicto Collegio, & in eodem Tribunali fuit in fauorem iurisdictionis Ecclesiasticæ iudicatum, & ad eam remissa visitatio, vimque non fieri declaratum; quare postea sine repugnantia multoties ipsũ Collegium visitauimus, tam in spiritualibus,

tualibus, quàm temporalibus, vnde nescio quomodo hæ vtriusque Senatus declarationes conueniant cum illis, quas quotidie practicari firmat Aceuedus *in d num.* 10. contra visitationem Ecclesiasticā, eiusque iurisdictionem, eo maximè, cùm in his casibus relatis fuerit expressa exclusio Episcopi; in specie verò Aceuedi nominati tantùm calculatores ad computationes recipiendas; quid ergo dicemus de his decretis in fauorem iurisdictionis Ecclesiasticæ factis contra dispositionem fundatorum, & de aliis à me non visis, nec cognitis, nunquid repugnante Concilio, & eius declarationibus, & fundationibus defunctorum possunt recta iudicia, & decreta iudicari? Dico quòd Senatores fauere volentes visitationi Ecclesiasticæ, & ad Missarum onera attendentes, simul & ad dispositionem text. *in d.l.nemo potest*, & ad ea quæ ad id cumulat Gutierr. cū aliis *vbi suprà*, præfata decreta constituerunt; dignus enim est testator, aut fundator qui voluntatis odium insinuat contra Ecclesiam, quòd eiusdem voluntatis exequutione priuetur, eo maximè cùm visitatio Ecclesiastica ab illa non deflectat, imò sit scopus ipsius, & si hanc portam, excludendi scilicet eandem visitationem, ipsi Senatores pio, & fauorabili iudicio non clauderent, ipsa crescente odio scribarum, & aliorum sæcularium summopere decresceret, & eidem defunctorum voluntati noceret; prætereà quia in voluntate cuiuscumque non est relinquendum iurisdictionem Ecclesiasticam ad libitum proiicere, & contemnere, quibus bene, & prudentialiter attentis ipsi sæculares Auditores, prout expedit Rempublicam, suis humeris commissam, sobriè maturéque regunt, & exornant, non enim omnia sunt in vsu recepta quæ Concilium Tridentinum, eiúsque sacra Congregatio circa reformationem disponunt, & vt absolutè regula textus *in d.l.nemo potest*, etiam circa visitationem Ecclesiasticam procederet, & præfatis periculis obuiaretur, fortassis expediret quòd diplomate, & constitutione Apostolica sic statueretur contrariis quibuscumque tam iuris, quàm facti exclusionis, nempe fundationum non obstantibus.

Quartò extenditur eadem visitatio Ecclesiastica ad plures casus, quos cōgerunt DD circa Regulares, & eorum personas, & vigintiquinque enumerauit idem Campanil *diuersor. iur. canon. rub.* 12. *cap.* 13. *per totum.* Solicitus enim fuit tanquam Episcopus, & rem propriam agens in inuestiganda ordinaria iurisdictione, & visitatione contra exēptos, & Regulares, solicitior etiam præcitatus Pittecius, qui *in d praxi Episc. part.* 1. *cap* ; *per totum*, disseruit de visitatione Regularium, & de casibus, in quibus ipsi Episcopis, & Ordinariis subiiciuntur, idem tractat Leo *in d. thesauro fori Eccles. p.* 1. *cap.* 8. *à num.* 13. *vsque ad* 21. Cerola *in sua pract. Episcop.* 1. *p. verb. Monachi*, § *ad tertium.* Riccius *d. praxi fori, tit praxis Regularium, d decis.* 554. *per totam* cum multis ab ipsis relatis. Verùm in ipsa visitatione Episcoporum parum prædicti casus practicantur, nisi super licentiis ad confitendum, & prædicandum, an sine illis illud faciant, vel an luxuriosè, & scandalosè vixerint; cæteri verò casus rarò frequentantur, non quia non possint, sed quia non occurrunt, & Monachi non de facili delinquunt, & tunc fortassis non constat Episcopis, seu Visitatoribus; quando autem ipsorum crimina probantur, remittuntur cum actis ad suos superiores, vt punitionem debitam adhibeant, & hoc medio liberantur Visitatores, & Episcopi ab onere puniendi Regulares, prout possent in 9

T 2 præci

præcitatis casibus, quod & fecisse aliquando cum singulari Monacho certus sum; in eisdem autem casibus durat incolumis & integra iurisdictio Ordinariorum contra Regulares, non obstantibus exemptionibus & suorum Ordinum priuilegiis, vt ex prædictis Doctoribus apertè colligitur, præcipuè à Piasecio *vbi proximè*.

10 In eisdem autem casibus ordinariis non licet recitare Capellas & Altaria Regularium, vt constat ex declaratione quadam, quam refert Marzilla *dicto lib. 2. titulo 6. verb. Confraternitates Laicorum*, quod enim suprà, quasi limitando, in eisdem casibus traditum est, regulam & normam firmat in contrarium ex iuris principio, nisi quatenus esset necessarium pro adimplenda testatoris voluntate irritare etiam Capellas & Altaria, scilicet si præcepisset quòd hoc, vel illo modo esset Capella, vel Altare, & non alio, tunc ad videndum & exequendum eiusdem testatoris iussum cognoscere, & visitare bene poterat Ordinarius easdem Capellas & Altaria ab ipso fundatore ædificata, seu fabricata; cætera verò Altaria, seu Capellæ Monasterij, non memoriæ, aut patronatui suppositæ, circa quas nulla interuenerit defuncti dispositio, de his est intelligenda sacræ Congregationis declaratio, & colligitur ex eisdem regulis, & doctrinis, quas in tota hac quæstione retulimus.

* * *

QVÆST. LXIV.

Non vulgaris.

An sit punibile crimen obiectum contra testem ad diminuendam depositionis fidem.

SVMMARIVM.

1 *Casus in practica proponitur.*
2 *Testes obiecti pro criminibus obiectis non puniuntur criminaliter, sed solùm ciuiliter.*
3 *Delicta non debent impunita remanere.*
4 *Ex processu super obiectionibus testium solùm ipsi impugnantur, & punitio non intenditur.*
5 *Ad punitionem alius processus formandus est; & quædam glossa & aliqui Doctores declarantur.*
6 *Quædam conclusiones à Felino positæ superflua dicuntur, & ponitur iudicium quæstionis in praxi.*

CAVSA matrimonialis agitata, 1 fuerunt testes in plenario repetiti, & contra eos obiectiones proponebantur, inter quas vna contra mulierem testem specificè constabat, ipsam nempe lenocinij genus exercuisse, terminato matrimoniali iudicio dubitatum fuit, an prædicta mulier pro illo delicto punienda veniret.

In quo dubio mulier allegabat quòd 2 testes obiecti pro criminibus obiectis non puniuntur criminaliter, sed solùm ciuiliter; nam eorum scilicet depositionibus non statur, verba sunt textus *in cap. cùm dilectus, vers. quemadmodum*, & *ibi* glossa magna *verb. restitutio facienda*, cum cæteris scribentibus, *de ordine cognit.* & tradit Rebuffus *in commentarijs*,

mentarijs, tractat. de reprobat. testium, art. 5. gloss. vna, num. 8.

3 Pro parte verò delicti considerabatur illud impunitum non remanendum, ex textu *in l. vulneratus, ff. ad legem Aquiliam.*

4 Sit conclusio in hac quæstione, quòd formata causa ciuilis matrimonialis, aut criminalis, si in probationibus obiectorum testium, vulgò *prueba de tachas*, resultet delictum aliàs punibile in persona testis obiecti, quòd tunc ex illo processu puniri non possit, nisi tantùm ipsius depositio impugnari, & sic procedat textus *in dicto cap. cùm dilectus*, vt *ibi* constat, dum ratione præstita ait, *quoniam in ipsum accusatio non procedit*, ex eo enim quòd in causa non intenditur punitio contra testem, sed solùm fidei, aut depositionis diminutio, nec adest accusatio, tractari non debet de punitione, sed de diminutione prætensa; sic etiam accipiendus Rebuffus *vbi suprà*, & Felinus tractans hanc materiam *in cap. 1. num. 5. versic. secunda conclusio, & n. 17. versic. vltima conclusio, de exception.*

5 Ex alio verò processu quòd seorsum conficiatur per viam denunciationis, accusationis, aut inquisitionis, sumpta occasione, aut notitia de illa obiectione probata, bene poterit talis obiectio puniri, etiam criminaliter, & est ratio, quia hoc modo non intenditur depositionis diminutio, nec extra chorum, aut finem saltatur, sed agitur separatim de culpa punienda, & inconueniens in primo membro relatum in secundo non intrat, immo cessat, & sic accipienda est glossa supradicta *in cap. cùm dilectus, ibi, ad contraria signata superiùs dicas quòd illud cap. ecce, intelligitur cùm de crimine constat, siue accusando siue denunciando, aut inquirendo, & quocumque tali modo constet, punitur, & ideo dicit etsi crimina vndecumque claruerint*, &c. sic etiam intelligendus est Felinus *in dicto cap. 1. num. 5. in versic. secunda conclusio*, ibi, *potest ordinari noua tela inquisitionis contra eum, secundùm prædictos*, &c. & hoc ne delicta maneant impunita, & hinc est quod Rebuffus ait *in dicto tractatu de reprobat. testium, glossa vna, art. 5. num. 9.* quòd vidit aliquando remissos testes, ad suos iudices pro criminibus obiectis & probatis, instante fiscale, vt crimina puniantur.

Vnde sic accepta hac quæstione forte superfluæ sunt octo conclusiones, quas coniungit Felinus *vbi suprà*, ad eius declarationem, cùm ex prædicta distinctione circa praxim, sufficiens cognitio, & curia procedendi resultet, qua retenta præfatam mulierem de lenocinio imputatam formata noua tela denunciationis fiscalis, & testibus ratificatis, prout de more puniuimus, & humiliauimus. 6

QVÆST. LXV.

Non vulgaris.

An Ecclesiastici iudices confugientes ad Ecclesias licitè possint extrahere.

SVMMARIVM.

1 *Refertur quidam Auctor negans posse iudices Ecclesiasticos confugientes ad Ecclesias extrahere, & explicatur.*

2 *Mors, aut membri mutilatio imputabitur iudici Ecclesiastico in aliquo casu extrahenti.*

3 *Iudex Ecclesiasticus super extractione, & immunitate competens est.*

4 *An Clerici, siue Religiosi gaudeant immunitate, & referuntur duæ sententiæ, & consuetudine negatiua resoluitur quæstio.*

5 *Canonicata est consuetudo per Bullam Gregor. XIV. per quam solùm iudices laici prohibentur extrahere, & idem erat de iure communi.*

6 *Affertur ratiocinatio super libertate iudicum Ecclesiasticorum in extrahendo.*

7 *Ecclesia in iudice Ecclesiastico repræsentatur.*

8 *Ecclesia non priuilegiat contra se.*

9 *Offertur declaratio Rebuffi, & aliorum.*

10 *Consuetudo habet vim declarationis, & interpretationis.*

1 REBVFFVS *in commentariis, & tract. de immunit. Ecclesiastica, art. 1 gloss. 1. num 40.* affirmauit non posse confugientes extrahi ab Ecclesiis, etiam nec à iudicibus Ecclesiasticis, per textum *in cap reum, & in cap. definiuit 17. q 4* quæ iura vtuntur vniuersali negatiua, in fauorem confugientium, quod dictum explicationem meretur, nam si loquitur de causa vertente coram iudice sæculari, & delicto commisso, cuius causa reus ad Ecclesiam confugit, in qua iudex Ecclesiasticus de facto ipsum ab Ecclesia extraxit omissa Templi immunitate, bene dictum procedit, in ea namque specie prædictus iudex præiudicium intulit Ecclesiæ, & reo sublato
2 immunitatis priuilegio, † & si mors, aut mẽbri mutilatio fuit sequuta, imputabitur prædicto iudici, qui irregularitatis pœnas non euadet, ex eo quòd ad mortem, aut membri mutilationem cooperando causam dedit, vt cum pluribus firmauit Pater Auila *de censuris, 7. part. disp. 5. sect. 2. dub. 1.* Iacobus de Graffis *decis. aur. conscient. 1. tom. lib. 2. cap. 62. num. 27. & num. 49.* & nedum causam dedit remotam, verùm propinquam, & ordinatam ad homicidium, quando iudex Ecclesiasticus extrahendo reum sciebat delictum, & notoria erat, seu certa pœna mortis, aut membri pro eo imponenda.

Si autem loquitur Rebuffus, quòd iudex Ecclesiasticus non possit extrahere, hoc est, quòd super extractione iudicare non possit, contrarium tam verius, quàm receptius est, vt cum Couarr. Aceuedo, Iulio Claro, docuit Ioan. Gutierr. *pract. lib. 3. q. 1. n. 5.* Suarez de Paz *in praxi 2. tom. fol. 8. n. 43.* cum Remigio, & aliis Rebuff. *in eod. tract. num. 34.* 3

Si autem ipse loquitur de causa vertente non coram sæculari iudice, sed coram Ecclesiastico, vt ipse ad effectum puniendi extrahere non valeat Clericum, siue laicum suæ iurisdictionis in causa subditum, in hac specie in varias itum est sententias; multi enim existimauerunt Clericos, & Religiosos non gaudere immunitate Ecclesiastica, quos refert idem Gutierr. *d. lib. 3. q 3. num. 1.* quibus sunt addendi Farinac. *de carceribus & carceratis, tom. 1. q. 26. num. 7.* & Genuensis *in praxi Archiep. cap. 17. num. 11.* Alij contrarium affirmarunt, vt ex eisdem Gutierr. Farinacio, & Genuense colligitur, vnde hanc discordiam sedauit consuetudo introducens, quòd Clerici, & Religiosi respectu iudicum suorum, non verò sæcularium, eadem immunitate indistinctè non gaudeant, de qua testantur idem Gutierr. Diaz, Couarr. & Genuensis, qui omnes curias habuerunt Ecclesiasticas, & ego in illis versatus nusquam de hac exceptione vidi per Clericos, aut Religiosos disputari. † & hæc consuetudo canonicata iam videtur de iure in Bulla Gregorij XIV. quam circa 4 5

hanc

hanc immunitatem edidit, & ad literam recitant Genuensis *d. cap.* 17. & Piasecius *in praxi Episcopali p.*2.*cap.*4. *art.*8. in qua laici tantùm iudices prohibentur confugientes ad Ecclesias extrahere, & hoc sine licentia Episcopi, vnde declarata est iam prohibitio quòd laicos tantùm pertingat, & idem erat, licèt non tam clarè constitutum de iure communi, ex textu *in cap. frater* 17.*q.*4. & aduertit Abbas *in d. cap. inter alia, de immunit. Eccles. num.*11. Requirit autem Gregorius Episcopi, & iudicis Ecclesiastici licentiam, quo innuit ipsum liberè posse in causis suæ iurisdictionis ad Ecclesias accedere, & ibi reos inuentos extrahere, siue Clericos siue laicos.

6 Et iustissima ratione hoc erit accipiendum. nā Doctores, qui pro Clericorum, & Religiosorum immunitate disceptarunt, eorum tantùm personas considerantes, & quòd regula immunitatis indistinctè, & absque personarum acceptione procedit, ipsos gaudere debere censuerunt; alij namque causas, aut enormissima delicta ab eis perpetrata, in quorum punitione Curiæ sæculari traduntur perpendentes, eandem immunitatem in eisdem delictis Clericorum, seu Religiosorum excluserunt, sed cùm ad fundandam cognitionem, seu iurisdictionem etiam cognoscentis, seu iudicantis persona sit attendenda, an habeat cognitionem, vel non; hinc est quòd ad personam Ecclesiæ, & suorum iudicum attendere debuissent, vt in excludendo Clericos ab immunitate, seu admittendo, eandem cognitionem, seu iurisdictionem non defraudarent, si enim Clerici immunitate gauderent, etiam quoad suos iudices ipsi, & eorum iurisdictio inanis existerent, & cognitione carerent. Itemque similiter, si non gauderent, & in casibus permissis etiam ab Ecclesiis extrahendo curiis sæcularibus tradere non valuissent. † Quid ergo 7
dicere valet Clericus, vel Religiosus ab Ecclesia violenter à competente iudice extractus, illud nempe, quòd Ecclesia sibi est profectura? Ecce ergo ipsa Ecclesia, in qua habitat, medio iudice, & Vicario, in quo repræsentatur, ipsa eum extrahit, & non extrahit; extrahit à Templo materiali, sed non extrahit à cognitione iudiciali. nam eadem est vtriusque temporis cognitio, & eadem persona cognoscentis, & tenentis, quæ ratio cùm generalis sit, nedum in eisdē Clericis, & Regularibus, verùm & in laicis cognitioni Ecclesiasticæ in causis aliquibus subditis, indistinctè procedit.
† Quam rationem vnico verbo sentit 8
Abbas *in d. cap. inter alia, num.*11. dum scripsit quòd aliàs Ecclesia priuilegiaret contra se, si in personis Clericorum immunitate excluderetur: placuit tamen eandem rationem profundiùs, & latiùs aperuisse. Quare iustè Gregorius Episcopum, & Ecclesiasticum iudicem in prohibitione suæ Bullæ non ligauit, imò viam aperuit, & iustè etiam consuetudo eandem immunitatem prædictis personis denegauit; † vnde Re- 9
buffi, & aliorum sequentium dictum sic accipiendum erit, prout declarauimus, ex quibus iura generaliter immunitatem concedentia possunt concordari, & ad laicorum iudicum potestatem restringi, ex prædicto textu *in cap. frater* 17.*q.*4. & ex prædicta Gregorij Bulla contra eosdem laicos iudices loquente, & ex prædicta consuetudine sic obseruari declarante, † quæ hanc vim 10
declarationis, & interpretationis habet, prout suprà retulimus *quæst.* 15. *num.*15.

QVÆST.

QVÆST. LXVI.

Non vulgaris.

An Parochi, siue Clerici decimales redditus conducentes, possint criminaliter de negociatione puniri.

SVMMARIVM.

1 *Negotiatio Clericis est prohibita, etiam per interpositam personam.*
2 *Refertur praxis, & quod negotiatio Clericorum pro sua, & suorum necessitate est licita.*
3 *Rationes prohibitionis referuntur.*
4 *Redditus decimales conducere videtur licitum Clericis.*
5 *Contraria opinio etiam refertur.*
6 *Traditur quædam distinctio, qua præfatæ sententiæ conciliantur.*
7 *Affertur praxis super eadem distinctione.*

1 NEGOCIATIO Clericis est prohibita toto tit. *ne Clerici, vel Monachi, cap. final. de vita & honest. Cleric cap. eiciens*, cum aliis, 88. *distinct.* quod adeò verum est, vt etiam per interpositam personam prohibitio procedat, ex gloss. *verb. conducere, in cap. 1. ne Clerici, vel Monachi.* Salcedo *in additionibus ad Bernard. Diaz, in pract. crimin. cap. 55. § sed verùm*, & sequuntur Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. tit. praxis pœnarum, decis. 375. n. 6* per glossam *in Clement. 1. de vita & honest. cler. verb. publicè, & personaliter.* Marcus Antonius Genuensis *in praxi* 2 *Archiep. cap. 62 num. 6.* † & sic aliquoties practicaui contra Clericos de negociatione per alium conuictos, non pro sua, aut suorum necessitate, quo casu permittendi essent, ex supradictis DD. nam quòd Clerici per alios negociationem exercent, non ideò curis sæcularibus, & lucro temporali exonerantur, imò retrahuntur à diuinis, & peccatorum periculis inuoluuntur, † quæ cùm sint rationes prohibitionis, 3 & refert idem Riccius *d. decis. 375.* hinc meritò seclusa honesta necessitate fuit Doctorum opinio, etiam per alium Clericis negotiari nō licere; licèt enim gloss. *in d. Clement. 1.* & in eodem verbo arguat, quòd non personaliter negotiantes non incurrant pœnam *d. Clementinæ*, ipsa tamen addit quòd sunt in culpa, & sic delinquunt, ex *reg. qui per alium, de reg. iur.* & exponit idem Genuensis *d. cap. 62 num. 6.*

Verùm, an sit eis licitum redditus 4 decimales conducere, non ita est in cōperto, quòd sit licitum, argui potest ex textu *in d. cap. 1. ne Clerici, vel Monachi*, ibi, *conductores sæcularium rerum, &c.* dum enim Pontifex sæculares conductiones tantùm excepit, Ecclesiasticas non prohibuisse videtur, quod insuper ex eodem textu corrobatur dum negotia Monasterij per Monachum procurari permittuntur, quasi negotia Ecclesiastica, & non sæcularia; quod enim non est prohibitum, permissum consequenter habetur, ex *l. sancimus, C. de testament.* & hanc opinionem docuit Abbas *in cap. 2. num. 2. eod. tit. ne Clerici, vel Monachi.* vbi quòd bona Ecclesiæ possunt Clerico locari, & retulit Genuensis *d. c. 62. in annotatione, n. 12.*

In contrarium facit quòd hæ con- 5 ductiones, etsi decimales, sunt præiudiciales rationibus finalibus prohibitionis negociationis, nam fiunt propter lucrum, & sic lucri causa negotiantur in illis Clerici, contra text. *in d. cap. secundum*; rursus retrahuntur à diuinis,

&

& spiritualibus, cogitationibusque pecuniariis, & sæcularibus illaqueantur, periculisque peccatorum subiiciuntur. Quare Pontifex *in cap peruenit 86. distinct.* generaliter conductiones alienarum possessionum propter lucri gratiam Clericis, & Monachis prohibuit, exceptis quibus Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, vnde cessante hac Episcopali commissione prædictas conductiones illicitas esse, etiam in redditibus decimalibus, apparet.

6 In quo dubio sic arbitror distinguendum, vt prima opinio procedat in redditibus decimalibus ad Clericos pertinentibus singulariter, vnusquisque enim in suis poterit conductionem facere, quia tunc cessat lucrum, cùm non alienum, vt *in d. cap. peruenit*, sed proprium intendat, veluti cùm Monachus negotia Monasterij procurat. Secunda verò opinio procedat in redditibus alienis, ex eodem textu, non ad Parochum, seu Clericum pertinentibus, in quibus conductiones ad lucrum tendunt, & ad cætera damna, quę in prohibitione concluduntur, senserunt hanc distinctionem idem Riccius *d. decis.* 375. *num.* 25. ibi, *Quemadmodum potest locare animalia, & oues, & boues, si habet ex decimis*, &c. & Genuensis *d. cap.* 61. *num.* 13. *&* 14 vbi eadem verba repetit, & ambo concludunt. *Non autem si emit, vt traderet ad incrementum, vel aliud ageret in fraudem negociationis*, &c. quando enim Clericus ex decimis habet, licet ei bona, & redditus decimales conducere, secus si non habet, sed vult locare, aut emere ad incrementum, seu lucrum in fraudem negociationis, refert Genuensis Redoanum *de spoliis quæst.* 2. cum aliis ab ipso relatis.

7 Secundùm hanc distinctionem in praxi iudicatur, nam in ea receptum est, & per iudices, & Vicarios permissum Clericis, & Parochis suorum beneficiorum redditus conducere, & sic oportet fieri, vt ipsi in conductionibus augeantur, & cæteri domini, & habentes partem in redditibus non lædantur; redditus verò aliorum beneficiorum conducere non permittitur eisdem, & ego iam causam criminalē memor sum iudicasse contra quendam Parochum, ob varias eorundem redditum conductiones, quibus cupiditatem, & negotiationis animum insinuauit, simúlque scandalum cæteris conductoribus sæcularibus exhibuit, itémque parum de lucro suarum ouium spiritali cogitare demonstrauit.

QVÆSTIO LXVII.

De laico falsificante literas non Papæ, nec Regis, sed Legati, Nuntij, & Ordinarij, per Vicarium, & iudicem Ecclesiasticum puniendo.

SVMMARIVM.

1 *Casus, & tria dubia disputanda proponuntur.*

2 *Falsitas probatur ex vitio visibili literarum, & in claris non est locus coniecturis.*

3 *An visibile vitium falsitatis sufficiat ad pœnam ordinariam, & distinguitur.*

4 *Correptio, & emendatio in partibus substantialibus, seu loco suspecto, & sine saluatione Notarij arguit falsitatem.*

5 *Falsare est veram literam mutare.*

6 *Falsitas coniecturis, & præsumptionibus probatur.*

7 *An ex illis pœna ordinaria, seu extraordinaria sit imponenda.*

8 *Pœna falsitatis est arbitraria, & an in iudice Ecclesiastico, & an sit ex causa minoranda.*

9 *An falsarius possit sub fideiussoribus relaxari, & falsi crimen in re Ecclesiastica mixti fori est.*

10 *Vtilitas quæstionis refertur.*

1 DENVNCIATVS fuit quidam laicus conductor impositionum Regalium, ex eo quòd ad recuperandas impositiones, vulgò *sisas*, falsificauit quoddam monitorium Nuntij Hispaniarum cum facultate Legati de latere, & cuiusdam Vicarij pro rebus furtiuis extractum, ita vt cum falsitate, & literarum emendatione etiam in eodem monitorio prædictæ impositiones, & eorum detentores comprehenderentur, fabricato processu cùm ad sententiæ tempus ventum esset, de tribus fuit disputatum. Primò, an falsitas sufficienter esset probata; secundò, an de auctore falsitatis constaret; tertiò, de pœnæ qualitate, & quantitate imponenda.

2 Circa primum visum fuit probationem esse sufficientem, & claram; nam de corpore falsitatis vitio visibili ex monitorij, & literarum inspectione apparebat, ita vt non esset dubitandi locus prædictum monitorium emendatum, & correptum esse, & de hoc vitio visibili in hac materia falsitatis faciente plenam probationem loquuti fuerunt Doctores plures congesti à Prosp. Farinac. *de falsit. q.* 152. *num.* 13. & 14. & quid mirum, cùm in claris non sit locus coniecturis, nec opinionibus Doctorum, ex *l. continuus, de verbor. oblig.* & sic falsitas apertè cognita cuilibet inspicienti disputatione non indiget ad sui probationem; quare in compilatione processus quasi primus lapis ipsa charta, seu scriptura falsitatis adiungitur, vt intuentium oculis eadem falsitas absque opinionibus, & dubiis intueatur. † Subiungit autem 3 idem Farinac. *in d. loco num.* 15. *vsque ad* 18. quòd hoc visibile vitium falsitatis solùm sufficit ad pœnam extraordinariam, non verò ordinariam imponendam, ex mente DD. quos ipse recenset, quod ego sic explicarem, vt non sufficiat hoc vitium ad pœnam ordinariam, non respectu sui, sed falsarij; cùm enim licèt vitium appareat, de auctore vitij apertè non liqueat, hinc est quòd propter hoc dubium à pœna ordinaria recedatur; respectu verò vitij ipso solo considerato, & manifestè, & oculariter perpenso, cùm sit concludens probatio ex mente DD. non erat à pœna ordinaria recedendum, cùm in eo quod videtur, & apparet, non verbo, sed scripto nihil deficiat, vt sicut vitium perspicitur, ita & auctor si simul videretur, consummata remansisset ordinariæ pœnæ impositio; quare eius exclusio vitio falsitatis adstante, & visibili non ab eo, sed ab auctore adhuc dubio dimanat, aliàs illo secluso rectè concludens probatio appellari non posset, quæ extraordinariam pœnam, & non concludentem percipere non valeret, & in eo DD. sententiæ inuicem repugnarent, † vnde in specie 4 proposita aperta erat nota falsitatis, & monitorium Illustrissimi Nuntij in partibus deletum, item emendatum, & correptum, simulque literæ Ordinarij correptæ, & emendatæ apparebant, in paribus substantialibus, seu loco suspecto, & sine saluatione, seu correctione Notarij, ex eodem Farinacio *d. tract. q.* 151. *p.* 1. *num.* 47. & 49. & 54. & *quæst.* 153. *p.* 13. vbi latiùs de saluatione Notarij. Quare pro falsitatis probatione, & manifestatione fuit conclusum ad tradita per eundem Doctorem *d. tract.*

de

de falsitate, q. 153. part. 4. & pluribus capitibus antecedentibus, & subsequẽtibus, Menoch. de praesumpt. lib. 1. q. 99. num. 3. Acceued. in l. 5. num. 1. tit. 17. lib.
5 8. recopil. † Declarando falsare, quod est veram literam mutare, vel veritatem, Hieronymus Campanilus plures coniungens in diuersor. iur. can. rubr. 11. cap. 28. num. 3. Anton. Gomez in l. 80. Tauri, in princip. & num. 6.

6 Circa secundum, an scilicet de auctore falsitatis constaret, fuit etiam iudicatum in partem affirmatiuam. nam falsitas cùm sit difficilis probationis, praesumptionibus, & coniecturis probatur, ex Menochio d. quaest 99. Farinacio d. tract. de falsitate q. 152. per totam, & sequentes.

7 Et licèt valde disputatum sit, an praedictis praesumptionibus, & coniecturis deueniri possit ad poenam ordinariam imponendam, vel tantùm ad extraordinariam; & frequentior sit opinio, itemque tutior in fauorem poenae extraordinariae, vt ex ipso Farinacio plures congerente d. quaest. 152. num. 21. num. tamen 22. limitat quando praesumptiones sunt vehementes, & vrgentes, & falsitates sunt plures, & ex vitio visibili prouenientes; tunc enim poenam corporalem relegationis, seu triremium impositam vidisse testatur, facit decisio Veralli Caputaquensis 4. num. 1. part. 2. vbi fuit tentum falsitatem per coniecturas vehementes, & ad eundem finem tendentes, plenè probari per textum in l. qui sententiam, C. de poenis, & sic loquitur in prae dicto num in criminalibus; in casu autem proposito vehementes aderant coniecturae. nam conductor primò praesentauit Parocho monitorium, & literas sine mentione Regalium praestationum, & sine abrasione, vel emendatione. Secundò cùm sibi dictum fuisset praestationes in literis non comprehendi, post dies iterum easdem emendatas, & impositiones comprehendẽtes praesentauit. Tertiò, vt legerentur in Ecclesia requisiuit; & quartò in ipsius commodum, & lucrum emendatio, & abrasio tendebat, vt excommunicationis vinculo Regales praestationes haberet, ex pluribus per eundem Farinacium coniunctis d. tract. quaest. 153. p. 10. num. 209. & 211.

Circa tertium de poena praedicto falsario imponenda considerabatur illam esse iudici arbitrariam, iuxta facti, & personarum qualitatem, vt cum Diaz, Boërio, Petro Gregor. notauit idem Farinac. eod. tract. q. 151. p. 1. n. 60. & 61. & quaest. 150. p. 2. num. 21. cum pluribus Menoch. de arbitrariis cas. 306. n. 8. & n. 37. & cas. 315. n. 4. Anton. Gomez in d. l. 80. Tauri, n. 13. verùm ego non totaliter arbitrariam hanc poenam reperiebam per iudicem Ecclesiasticum infligendam. nam textus in cap. ad falsariorum, de crimine falsi, disposuit quòd laici de illo crimine conuicti secundùm legitimas constitutiones puniantur, vt retulimus suprà q. 39. in princ. vnde textus in l. 3. tit. 17. lib. 8. recopilat. loqui videtur de falsificante literas Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Praelatorum, & pro poena bonorum medietatis amissionẽ imponit, text. enim in l. 6. tit. 7. part. 7. poenam mortis imponens non loquitur de falsario inferiorum Praelatorum, sed superiorum Domini Papae, & Serenissimi Regis; quare videbatur arbitrium in lege clara non faciliter intrare: nihilominus tamen ipsum assumendum existimaui. nam reus ex praesumptionibus, & praesumptiua probatione erat condemnandus, vnde aliquo modò poena ordinaria minorari poterat, ex eodem Farinacio dict. tract. q. 152. num. 37. Menoch. d. cas. 306. num. 26. accedebat falsitatem praedictam in Mo- 8

nitorio & litteris Ecclesiasticis pro recuperandis secularibus præstationibus, licèt nocibilem, cùm hominum conscientias perturbet, dolentes quòd secularibus remediis securè poterant præstationes adimpleri, attento maximè Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 2. de quo suprà *quæst.* 33. in re tamen parum falsitas nocet, cùm hoc, vel alio modo illæ sint persoluendæ: vnde licèt Aceuedus *in dicta l.* 3. *num.* 7. hanc paruam falsitatis læsionem ex illa lege non distinguente reiiciat; adhuc tamen quando ex debilitate probationum pœna est arbitranda & minoranda, bene potest per consequentiam prædictæ paruæ læsionis haberi ratio, licèt seorsum & principaliter, si ad eundem effectum velit considerari, dubium adiit, ex tenore prædictæ *l.* 3 & eius generalitate, iuxta mentem Aceuedi *d. num.* 7. vnde pœnam ex eisdem causis arbitrio iudicis minorauimus. Item ex eo, quia licèt hic reus falsis litteris fuerit vsus, vtens autem mitius punitur, quàm falsificans, glossa *verb. sub nomine nostro, in cap. ad falsariorum, de crimine falsi.* & latè tradit idem Farinacius *vbi suprà quæst.* 151. *part.* 2. *num.* 65. *& seq.*

9 Ex proximè dictis, & ex *dicta l.* 3. inferebam quòd prædictus conductor & reus in eadem causa bene potuit sub fideiussoribus relaxari, nam licèt Hieronymus Campanil. *d. cap.* 28. *num.* 8. cum aliis affirmet contrarium, & plures etiam relati ab eodem Farinacio *de carceribus & carceratis, quæst.* 33. *n.* 30. intelligendi sunt & accipiendi, quando in delicto falsitatis esset periculum, aut certitudo imponendæ pœnæ corporalis, veluti in falsificante litteras Papæ, aut Regis, ex *dict. l.* 6. *tit.* 7. *part.* 7. iuxta secundam regulam, quam pluribus exornat idem Farinacius *dict. q.* 33. *num.* 48. at quando de aliorum Prælatorum, seu iudicum sigillo, aut litteris falsificatis agitur, & ex prædicta *l.* 3. certum est pœnam esse pecuniariam, licèt medietatis bonorum, nulla causa est quæ reum præfato beneficio priuet, & spoliet, & sic tenet & sentit idem Prosperus Farinacius *dicto tractatu de carceribus, & quæst.* 33. *num.* 31. 32. *&* 33. vnde sub fideiussoribus in eadem specie poterit relaxari per iudicem Ecclesiasticum, ad cuius forum falsi crimen in re Ecclesiastica commissum quasi mixti fori pertingit, ex eodem Aceuedo *in d. l.* 3 *n.* 30.

Sed cùm hæc materia plenè sit ab eodem Prospero disputata, & ipse pluries in hac quæstione referendus & citandus veniat, quid ergo nouitatis afferat, necessitatis, aut vtilitatis ipsius quæstionis indagatio poterit cogitari; sed respondemus aliqua esse sic considerata & digesta, quòd noua fortè videantur, præcipuè *num* 3. *&* 9. Rursus licèt nil dictum sit, quin priùs excogitatum fuerit, & explanatum, cùm nihil sit sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, hoc recès est, *Eccles. c.* 1. illud tamen ad praxim deducere, & casum praxis iam factum demonstrare, quasi quid nouum & lucidum amplectendum, parum enim prodest sophisticè speculari, si mens rei ad exterius deductæ non cohæreat. Item Doctorem fusè materiam pertractantem fugere non licet, nec facilè semper est inuentis addere, quando inuentor nimis fuit solicitus, vigilans, & laboriosus. Vlteriùs Ecclesiastici iudices qui causam falsitatis iudicabunt, ab alio iudice terminatam libentiùs prosequentur, & erit eis norma similis iudicandi, & ex breuitate, methodo & distinctione faciliùs instruentur, quæ omnia rem actam agere & disponere permittunt, etiamsi aliqua congruenter declarata non fuissent. 10

QVÆST.

QVÆST. LXVIII.

Contra Clericum ſuper Pragmaticam taxæ panis delinquentem.

SVMMARIVM.

1 *Pragmatica panis Clericos comprehendit.*
2 *Tranſgreſſio Pragmaticæ contra Clericum, quomodo probetur.*
3 *Tres teſtes an in tranſgreſſione requirantur, & quando & quomodo duo ſufficiant.*
4 *Quæ pœna ſit Clericis pro hoc delicto imponenda, & quæ fuerit in practica poſita.*

1 IAM ſuprà memorauimus, Clericos prædictam Pragmaticam comprehẽdere, *in q.30. num. 7.* ex rationibus & Doctoribus *ibi* congeſtis, ſimul & praxi, quam *ibi* ſuper hoc retulimus, vnde quidam Parochus taxam prædictam panis vulneraſſe per Eccleſiaſticum fiſcalem contendebatur, & cauſa peracta de duobus viſum fuit diſputare, an delictum eſſet ſufficienter probatum, item de quantitate pœnæ.

2 De primo dubio decreui, ſufficientem eſſe criminis probationem, vnus enim teſtis adſtabat de viſu, qui ſemiplenè probat, & alius de auditu proximo cuiuſdã mercatoris hordei, qui etiã ſemiplenè probabat, ad tradita ſuprà *q.17* & tradit Mandel. de Alba *conſ.77. n.8. part.1.* cum aliis relatis, ex quibus & ex aliis de auditu publico, item & ex alio teſte reprobato, qui probationem iam integram ſequitur, & aliquid facit, optimè potuit pro probatione culpæ iudicari, nam probationes ſunt iudici arbitrariæ, vt latiùs infrà dicetur *quæſt.86. num.1.*

Sed obſtabat quòd prædicta Pragmatica teſtes tres de viſu ad exceſſus probationem requirit, & in ſpecie præſenti videbantur non adeſſe; verùm reſpondetur legem præfatam trium teſtium de viſu depoſitionem expoſcere, quando probatio per teſtes ſingulares efficitur, & ſic tractat lex de probatione irregulari, & extraordinaria, quæ ordinariam minimè excludit; remedium enim extraordinarium ordinarium non perturbat, immo concurrendo cum ordinario illud ceſſat, vt cum *l. in cauſa, la 2. ff. de minor.* & aliis declarationibus tradidit Gratianus *diſcept. forenſ. tom.1. cap.193. num.42. & ſequentib.* & ea quæ omittuntur, remanent in diſpoſitione iuris communis, per textum *in l. commodiſſimè, de liberis & poſthumis.* & limitata cauſa limitatum producit effectum, & quod non mutatur, quare ſtare prohibetur. Gutierrez *practicarum quæſtionum lib.4. quæſt 47. num.13.* vnde quando delictum taxæ probatur per teſtes ſingulares, tres & non minus requiruntur, quibus non adhibitis reus à culpa liberandus erit; quando verò hæc non per teſtes ſingulares, ſed per conteſtes in vno actu comprobatur, tunc iam extra terminos Pragmaticæ ſumus, & probatio culpæ arbitrio iudicantis ſubiicitur. 3

De ſecundo dubio, *in dict quæſt 30. num.9. & 10.* admonui iudicem Eccleſiaſticum præfata lege quoad pœnas ligatum non eſſe, quinimo arbitrio ſuo, vel in totum, vel in partem eas poſſe temperare, ſeu minuere; verùm hoc, adſtante cauſa, non verò benefacere ad libitum ſuæ voluntatis, temperando, ſeu minuendo, quia lex ſecularis ſacris Canonibus non contraria in foro Eccleſiaſtico etiam vrget, & ſeruatur, conſtat ſuprà *q.27. n.6. & cap.30. n.7.* 4

V 3 textus

textus *in cap.1.de noui oper.nunc.*tradit cũ aliis Molina *de primog.lib.2. cap.10. num.82.* Gutierr.latè *pp.qq.lib.4. c.38. num.10.& in d.quæst.30.num.7.*licèt in puncto iuris contrarium probabilius referamus; *num* tamen 8.primum esse in praxi receptum admonuimus. nam, vt ait Genuensis *in praxi Archiep.c.74. num.5.* potest iudex se conformare cum Pragmatica laicorum, si iusta ei videatur, sicut facit Vincent.de Franchis *decis. 9.* Quare iuxta hoc Parochum memoratum aliqua causa carentem in pœna quartæ partis bonorum suorum pro prima vice iuxta tenorem legis condemnauimus, omittendo exilium tanquam residentiæ parochiali disconueniens; verum est tamen quòd quarta pars adeò erat modica, vt etiam pro pœna arbitraria adhuc non sufficiebat, quòd si magna esset, ita vt Clerico, vel Parocho detrimentum magnum afferret in bonis, posset iudex illam moderari, aut arbitrariam pœnam imponere pro transgressione iusti pretij *in d.Pragmatica* contenti.

QVÆSTIO LXIX.

Legata pia an pro rata defalcationem accipiant, sicut cætera profana, quando hæreditas pro toto non est sufficiens.

SVMMARIVM.

1 *Hæreditate non sufficiente pro rata, est facienda diuisio.*
2 *Limitatur in legatario speciei.*
3 *Limitatur in legatis piis.*
4 *Sublimitatur si omnia legata sint pia.*

REGVLA est, quòd si hæreditas non est soluendo, pro rata inter omnes legatarios est facienda diuisio, ex his quæ congerit Ceuallos *comm.contr. com. 1. tomo q.103. n.32. & seqq.* Tiraq. *de priuil. piæ caus. priuileg 72.* Genuensis *in practicabilibus Ecclesiast quæst 329.num.1.* 1

Quæ limitatur primò in legatario speciei, qui integram speciem consequitur ex aperta voluntate testatoris illam seorsum, & diuisim manifestantis in re quadam non generica quantitatis, sed speciei, quæ diuisionem & ratam non patitur, & sic tenet verissimum idem Ceuallos *d. quæst. num.35.* cui libenter accedo, licèt contrà voluerint Tiraq. & alij per eum relati *d.priuileg.72.* & alij, vt per eundem Genuensem *d.quæst,329.num.4.* 2

Secundò limitatur in legatis piis, quæ absque defalcatione ex cumulo hæreditatis sunt persoluendæ, defalcatis tantùm cæteris profanis, & hoc tanquam piæ causæ priuilegium positum extat per eundem Tiraq. *de priuil.72.* quod priuilegium dubium reliquit idem Author contrarium scribens *in priuilegio 26. num.9.* & referendo Doctores ex aduerso opinantes *in d.priuilegio 72.* nihil tamen vltimò resoluendo, vnde nouissimè hanc quæstionem explanauit D.Marcus Antonius Genuensis *in suo tractatu de Ecclesia, siue practicabilibus Ecclesiasticis, d.quæst. 329.* vbi positis aliquibus mediis hanc opinionem iudicat benigniorem, & æquiorē; rationabile enim est quòd legata pia, in quibus aliqua testatoris satisfactio inuenitur, aut pro peccatis Deo, aut pro debitis animabus in Purgatorio existentibus, aliquam prælationem demus cæteris legatis profanis, in quibus neque quid pium, neque satisfactorium consistit, sed mera donatio, & fortassis vana bonorum alienatio; 3

tio; quare sic in practica aliquando iudicaui, eandem opinionem Genuensis sequendo.

4 Sublimitanda quando omnia sunt legata pia, tunc enim tanquam paria sunt accipienda, ex regula communi quæ habet priuilegiatum non posse priuilegio vti contra alium æquè priuilegiatum, & sic concludit præcitatus Genuensis *d. quæst. 329. in fine.*

QVÆSTIO LXX.

Patroni, seu testamentarij relicti ad dandas dotes virginibus maritandis, an illas dare possint Religionem profitentibus.

SVMMARIVM.

1 *Refertur Genuensis pro opinione affirmatiua.*

2 *Pro negatiua referuntur alij cum quadam distinctione legati certæ personæ, vel legato generali, vt in illo extensio matrimonij spiritualis admittatur, in hoc non accipiatur.*

3 *Excipiuntur ab hac extensione aliqui casus ex præsumpta voluntate testatoris.*

4 *In legato generali testatoris voluntas in suo casu est obseruanda, & non intrat extensio matrimonij spiritualis.*

5 *Fallit in virginibus sanguine coniunctis, & refertur praxis in hoc casu.*

6 *Quoties de virginibus maritandis agitur, communis intelligentia est de matrimonio carnali, & secundùm illam verba testatoris sunt accipienda.*

7 *Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale quomodo procedat.*

8 *Legatum pro dote conditionale esse, & non purum, quomodo declarandum.*

9 *Quibus Doctoribus adhærendum in huius quæstionis resolutione, & ipsius vtilitas.*

HANC quæstionem in terminis examinat Genuensis *in præcitato tract. de Ecclesia, & practicabil. Ecclesiast. quæst. 261.* vbi affirmatiuam partem iudicat æquiorem, ac veriorem, relatis pro vtraque parte argumentis, & Doctoribus. 1

Contrarium tamen, & sic partem negatiuam, tenet Gutierrez *canonicar. qq. lib. 1. cap. 52. num. 20.* vbi optimam rationem excogitat, distinguendo casum in legato certæ personæ maritandæ à legato generali virginum maritandarum, & sic distinguit etiã Thom. Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 33. n. 29.* cũ multis relatis, in illo meritò arguitur à matrimonio carnali ad spirituale, quia voluntas defuncti à iure interpretatur expleta in Religionis matrimonio à puella electo, quia non est alia, nec aliud legatum, in quo carnale matrimonium inueniatur pro legato propriè accipiendo, vnde nil mirum, si illud accipiat puella Religionem ingrediens ex præsumpta voluntate, & affectione testatoris, & ex iuris pia interpretatione, & ex argumento carnalis matrimonij ad spirituale, & ne à vita contemplatiua retrahatur, vt ex aliis refert idem Genuensis *d. q. 261. num. 2.* 2

Ab hac regula præsumptionis excipiuntur aliqui casus, in quibus perpenditur testatorem de nuptiis temporalibus cogitasse, veluti si dicat, lego puellæ si tali viro nubat, tunc argumentum de spirituali matrimonio ex manifesta 3

nifesta voluntate testatoris reiicitur, vt bene idem Sanchez *d. disput.* 33. *n.* 30. iunctis aliis casibus, & coniecturis à Menoch. congestis *lib.* 4. *de præsumpt. præs.* 148. *per tot.*

4 In hoc verò, nempe quando legatum non est speciale, sed generale, iam cessat præsũpta affectio, & potest testatoris voluntas in carnali matrimonio adimpleri, cùm plures sint virgines, & puellæ ad illud destinatæ, vnde iustum est quòd eadem voluntas, & status designatus ab ea in alium etsi magis pium minimè conuertatur, licèt enim Religionis fauor pius sit, & regulariter admittendus; ipse verò postponendus est, quando testantium voluntates in suo casu, & sensu possunt obseruari; nihil enim in iure sic præceptum, & in primis stabilitum est, quàm prædictarum voluntatum obseruatio, & exequutio, à qua obseruatione, & exequutione in suo proprio sensu possibili, propter alium, etsi pium fauorem, regredi non licet; sic loquuntur & arguunt, licèt non tam apertè, Gutierr. *d. num.* 20. & Sanchez *d. disput.* 33 *num* 31.

5 Et limitat in virginibus sanguine iunctis testatoris propter maiorem affectionem, quia pleniùs legatum est interpretandum, ex *l. Aurelius.* §. *Titius testamento facto, de lib. leg.* cum Natta, & Mantica *relatis*, & coram me fuit hic casus iam practicatus.

6 Secundùm autem communem sensum, & vulgarem modum loquendi quoties de virginibus, seu puellis maritandis agitur, aut de matrimonio collocandis, de carnali, non de spirituali intelligitur, vnde testatoris verba iuxta eundem communem sensum sunt accipienda, si virgines adsint prædicto matrimonio carnali aptæ. Couarr. *de testamentis, cap.* 3. *num.* 11. §. *quartò infertur.* Menoch. *cons.* 259. *num* 25. Gratianus *discept. forens.* 1. *tom. cap.* 78. *num.* 29. Euerardus *in suis locis legalibus, loc.* 12. *num.* 1.

Vnde ex his infertur declaratio quædam ad argumentum commune de matrimonio carnali ad spirituale, vt non procedat quoties testatoris verba in sensu communi possunt adimpleri, in quo testator fuit meditatus, ne aliàs à meditatione propria defraudetur, & colligitur ex Euerardo *in prædictis locis communibus*, *loco* 76. *num.* 9. dum limitat argumentum, quando maior ratio inest pro carnali commercio 7

Facit pro sententia Gutierr. conclusio, quam tenet Couarr. cum aliis *d. cap.* 3. *num.* 11. & refert Ceuallos *comm. contr. comm. quæst.* 138. 1. *tom.* nempe legatum pro dote, aut causa dotis conditionale esse, & non purum, nec deberi nisi sequuto matrimonio, & quòd in hæredem transeat cum onere expendendi in causam piam, quasi dicat quòd legatum pro dote, seu pro virginibus maritandis priùs in carnali matrimonio si adsint, verificetur, quo deficiente ad matrimonium spirituale, quod est causa pia, recurratur. 8

Quare in hac quæstione eiusdem Sanchez, & Gutierr. dictis adhærendum existimaui, quidquid contrarium sentiat præcitatus Genuensis *vbi suprà*, cuius fundamentis ex prædictis remanet satisfactum, & vtilitas huius quæstionis in tribus poterit inueniri. Primò in Genuensis allegatione, & confutatione à Sanchez, & Gutierr. tanquam antiquioribus non facta; secundò in casus practicati relatione; tertiò, in quæstionis clariori expeditione. 9

***

QVÆSTI-

QVÆST. LXXI.

An filius clericari volens, compellere poßit patrem ad aßignandum titulum patrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Refertur Genuensis pro opinione affirmatiua.*

2 *Pater tenetur dotare filiam, vel donare propter nuptias, & valet argumentum de matrimonio carnali ad spirituale.*

3 *Pater diues compelli potest ad præstandum studium filio, & maior vtilitas est in re sacra, quàm in studio.*

4 *Titulus pro Clericatu est filij alimentum, quod pater filio præstare tenetur.*

5 *Filio ingredienti Religionem, tenetur pater dare aliquid.*

6 *Pater non tenetur dare congruam filio clericando.*

7 *Legitima in vita patris non est debita, & declaratur.*

8 *Filius pro Religionis ingressu legitimam à patre petere non valet.*

9 *Respondetur Genuensis argumento, quod pater tenetur dotare, sed non dare pro Clericatu, & argumentum de vno ad alterum matrimonium cessat vbi est de iure contrarium constitutum.*

10 *In alimentis studium non comprehenduntur, & quædam iura declarantur.*

11 *Luca de Peña sententia euacuatur, & studium filij est in consilio patri positum, non in præcepto.*

12 *Textus* in l. 2. ff. vbi pupill. educari debeat, *declaratur.*

13 Disciplina *verbum studium non comprehendit in specie.*

14 *Declaratur textus* in l. de bonis, § non solùm, ff. de Carbon. edicto.

15 *Congrua filij Clerici, multò magis continet, quàm alimentum.*

16 *Filius petere à patre non potest, quod extra domum alatur cessante causa.*

17 *Per sacerdotium filius non liberatur à patria potestate, & declaratur.*

18 *Filius licet poßit peti quòd alatur Religionem ingrediens bonorum capacem, non tamen illud petere potest filius Clericatum assumens.*

DISPVTAT ex professo Genuensis *in tract. de Ecclesia, & practicabili Eccles. quæst. 624.* & in affirmatiuā partem concludit, tam ex sententia Crauettæ *cons. 136. vol. 1.* quàm ex aliquibus considerationibus. 1

Prima, quòd pater tenetur dotare filiam, vel donare propter nuptias, *Auth. ex testamento, C. de collat.* & quòd valet argumentum de matrimonio carnali filiæ maritandæ ad filium in matrimonio spirituali Ecclesiæ per Clericatum coniungendum, & sic sentit Crauett. *d. consil. 136. in fine.* 2

Secunda, quia pater diues compelli potest ad præstandum necessaria filio scholari, & studio vacanti. Archidiac. *in cap. si reliquerit, distinct. 30.* Lucas de Peña *in l. 1. C. qui ætate, vel professione se excusant, lib. 10.* & quòd maior vtilitas est in re sacra, quàm in studio, *cap. ius autem, distinct. 3.* 3

Tertia, quia titulus patrimonij pro Clericatu est quasi alimenta filij Clerici, ne cogatur in opprobrium Clericatus mendicare, & quòd pater tenetur filio alimenta præstare, vt est notissimū. 4

X Quarta,

5 Quarta, quia filio ingredienti Religionem tenetur pater dare aliquid pro victu suo si Monasterium est inops, ex text. *in l. si quis à liberis, ff. de liberis agnosc.*

6 Sed his non obstantibus contrarium est verius, nempe quòd pater minimè teneatur filio volenti clericari dare congruam, seu titulum patrimonij, & probatur ex sequentibus.

7 Primò, quia legitima in vita patris non est, Aceued. *in l. 3. num. 2. tit. 9. lib. 5. recopil.* cum aliis relatis, licèt propter spem, quam habet filius, quasi debita dicatur ab eodem Aceuedo, & à Roderico Suarez *in l. quoniam in prioribus, ampliat. 7. num. 15. C. de inoffic. test.* quamuis ipsi sic non declarent, & portio legitima filio non debetur, nisi post mortem naturalem patris, iuxta communem opinionem Gutierrez *canonic. qq. lib. 2. cap. 1. num. 76.* vbi iura referuntur, & Menchacam plures allegantem idem Genuensis *in d. quæst. 614. num. 1. in fine, & quæst. 355. & q. 607. num. 1.* Quare filius ratione clericatus assumendus legitimam consequi non potest in vita patris, nisi eo consentiente.

8 Secundò, quia filius Religionem ingrediens bonorum capacem, petere non valet à patre legitimam, etiam pro ingressu Religionis, quoad vsque pater viam vniuersæ carnis fuerit ingressus, licèt spirituale matrimonium adsit in emissione professionis, & hanc esse veriorem opinionem disputando, & contrariis respondendo, tenet idem Gutierrez *d. cap. 1. num. 75.* præcipuè *num. 79. & 85.* vbi tenet sententiam hanc Legistarum nedum veriorem, sed æquiorem esse, vnde si in hoc casu, in quo fortiùs spiritualis matrimonij vrget ponderatio, adhuc pater compelli nequit per filium Monachum, seu Religiosum ad legitimæ præstationem, donec mortem subierit, multò minùs poterit compelli per filium Clericum ad legitimam ratione congruæ clericatus, propter idem spirituale cum Ecclesia matrimonium.

Non obstant ea quæ pro sententia Genuensis retulimus. nam pater tenetur dotare filiam, vel donare propter nuptias, vt expressè cautum extat, non *in Authentic. ex testamento. C. de collat.* per eundem allegata, sed *in l. qui liberos, ff. de ritu nuptiar.* & in hoc casu adest necessitas donandi, seu dotandi. Crauett. *d. consil. 136. num. 2.* Decius *in d. Authentica, num. 8.* respectu autem filij clericari volentis non adest lex, seu iuris dispositio. Crauett. *d. consil. & n. 2. vers. quia non reperitur in iure cautum,* &c. imò in contrarium adest ius quòd in vita patris ipse filius nec pro clericatu, nec pro Religione possit petere legitimam de bonis patris; quare arguendum non erit de vno ad alterum casum, nec valet argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, vbi contrarium reperitur in iure expressum, & dispositum. Euerard. *in suis loc. legal. loc. 76. num. 9.* 9

Nec etiam obstat secundum Genuensis fundamentum, negamus enim quòd pater teneatur studium filio ministrare, & licèt Archidiac. contrarium scripserit *in cap. si quis deliquerit, distinct. 30.* arguendo ab illo verbo textus *necessaria*, argumentum eius tantùm abest quòd *ibi* probetur, quòd imò textus longè multum de studio loquutus fuit, quia solùm disponit, *Si quis deliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit, quod pietatis est, necessaria non præbuerit,* &c. vnde illud verbum *necessaria*, dependet ab illo *aluerit*, & sic nihil aliud præcepit textus nisi alimenta necessaria, quæ pater tenetur ministrare, & de quibus alimentis poterit anathematizari, vt *ibi*; in illis autem clarum est 10

studium

studium non comprehendi, sed solùm victum & vestitum moderatum, & sic similiter procedit textus *in Authent. neque virum quod ex dote, §. si verò filij, in fine, collat.* 8. Rursus textus *in cap. inter cætera 22. q. 4.* nihil probat sententiam Archidiaconi, licet ab eo allegetur.

11 Vlteriùs etsi Luc. de Peña *in d. l. 1. num. 2. C. qui ætate, vel professione se excusant*, sentiat cum Archidiacono, eius tamen sententia ex prædictis similiter euacuatur, & quia inter necessaria præstanda filio minimè venit studium, quod in patre diuite, & filio habili, licèt congruum sit ex indulgentia pietatis, & ideò consulendum ex locis sacræ Scripturæ ab eodem Luca *vbi proximè relatis*, non tamen est præcisum obligatione necessitatis, sed tantùm alimenta necessaria ad viuendum, de quibus iura loquuntur: viuere autem filius potest sine studio, vt plures filij faciunt, etiamsi patres illud voluntariè administrent.

12 Iura verò relata per Lucam de Peña *in d. l. 1.* non probant necessitatem in studio ministrando à patre, vt *in l. 2. in principio, ff. vbi pupill. educari debeat*, quam pro necessitate studij refert idem Lucas, & in ea constat contrarium, quia non loquitur in patre, sed in tutore, cuius expensas in disciplina pupilli congruit officio iudicis admittere, si æquæ, & moderatæ sint, nec enim permittendum est tutori tantum reputare, quantum dedit, si plus æquo dederit, vt ait ipse textus, ex quo adhuc in tutore disciplina satis restringitur, & ad æquum, & necessarium reducitur.

13 Illud verò verbum *disciplina*, positum in eadem lege, generale est, & non firmiter studio literarum applicatur, præcipuè in pupillo, sed comprehendit in eo bonos mores, & eorum in vita, & actibus educationem disciplinatam, & iuxta textum *in cap. excommunicatorum 23. quæst. 5. & in cap. disciplina 45. distinct.*

Magis vrget pro necessitate studij textus *in l. de bonis, §. non solum, ff. de Carboniano edicto.* ibi, *sed in studia, & in cæteras necessarias impensas*, &c. sed respondemus, adhuc non loqui in patre, sed in tutore, cuius respectu poterit aliqua necessitas, in studio pupilli cogitari, ad quod Prætoris iussus, & iudicis facit, vt istæ expensæ non repetantur, vt ait glossa *verb. instituerit, in l. qui filium, ff. vbi pupillus educ. debeat.* 14

Manet ergo discussum, patrem non teneri filio studij expensas concedere de rigore, & necessitate, licèt non de indulgentia, & æquitate, & sic deficit argumentatio Genuensis pro quæstione proposita.

Non obstat tertium eiusdem Anthoris fundamentum, quia titulus, & congrua filij clericandi magis continet, quàm nuda alimenta, ipsi enim non adeò strictè sunt præstanda, quasi si mendico, aut famulo tribuerentur. Rursus vt assignentur necessarium est dare congruam sub hypothecis, aut fundum, vineam, seu domum, remve immobilem hypothecę subiicere, vt perpetuò congrua sita permaneat, quæ plus onerosa sunt, quàm simplex alimentorum tributio, quam facere potest pater retinendo, & alendo filium in domo, cum expensis communibus familiæ, absque aliis grauaminibus extra domum sub hypothecis, atque ideò in casu Crauettæ relato per Genuensem *in d. consil. 36.* hæc omnia in filio clericando præcesserunt. 15

Præterea filius licèt sit alendus à patre, & hoc necessariò, iuxta facultates patrimonij, vt *in d. Authent. neque virum, collat. 8. & in l. si quis à liberis,* 16

X 2 de

de liber. agnoscend. non tamen petere poterit quòd alatur extra domum patris, si filius adhuc sit in eius potestate, non tamen emancipatus, nec adsit alia causa in contrarium, vt cum pluribus scriptum reliquit Aceued. *in l.8. Tauri 47.tit.1.lib.5.recopil.sub num.28.*

17 Per sacerdotium autem non eximitur filius à patris potestate, quoad temporalia, licèt secus quoad spiritualia, per textum *in cap.constitutus, de in integrum restitut.* & alijs traditis refert idem Aceued.*in d.l.1.n.12.*

18 Non obstat etiam ratio quarta à Genuense excogitata pro suæ sententiæ fundamento, nempe quòd pater teneatur dare aliquid pro victu filio Religionem bonorum capacem ingredienti, ex *dicta l.si quis à liberis*, quia respondetur illud in specie non probari per illum textum, nisi inquantum generaliter de liberis alendis agit. præterquam quòd victus hic filio religioso tribuendus iustus est, & ab obligatione naturali patris descendit, quando ipse filius religiosus ali intra domum non potest, per hoc tamen arguendum non est ad filium Clericum, qui adhuc non eximitur à domo & potestate patris, & sic intra illam, & non extra, nec cum separatione bonorum poterit sustentari.

Qvæst. LXXII.

Vtrùm Parochus qui de reparatione Ecclesiæ non curauit, & Ecclesiæ fabrica cecidit, possit nedum ad reædificandum compelli, verùm criminaliter de delicto puniri.

SVMMARIVM.

1 *Affertur opinio affirmatiua, & quòd Prælatus negligens reparare Ecclesiam, punitur tanquam dilapidator.*

2 *Contraria opinio est verior.*

3 *Nulla culpa duobus punitionibus emendatur in iure.*

4 *Procurator Ecclesiæ ob negligentiam solùm ad damnum tenetur.*

5 *Custos Ecclesiæ ad tantundem condemnatur ob negligentiam, & non in aliam pœnam.*

6 *Præpositi carcerum ex eadem negligentia solùm ad satisfactionem condemnantur.*

7 *Contrarijs fundamentis respondetur.*

Affirmatiue in terminis tenet Genuensis *in tractat.de Ecclesia, quæst.746.* ex quodam dicto Ioan.de Lignano *in Extrauagant. Execrabilis, de præbend.* & ex Felino *in cap.irrefragabili, de off.ordin.* nempe quòd Prælatus negligens reparare Ecclesiam, & magna fuit ruina & negligentia, punitur tanquam dilapidator, vnde meliùs in rectore & Parocho punitio admittetur, item ex gloss. *in cap.cùm ad monasterium, verb.negligens, de statu Monachorum*, vbi etiam Abbas pro negligentia potest remoueri. 1

Verùm contrarium est de iure verius, nempe quòd in casu proposito causa criminalis intentata contra Parochum, seu Prælatum super negligentia magna in reparatione Ecclesiæ solùm tendere ad interesse ipsius & reædificationem fabricæ, non ad aliam criminalem punitionem, & probatur ex sequentibus. 2

Primò, læsio Ecclesiæ restauratur cum ipsius reparatione, & cessante læsione, culpa cessat & negligentia, in qua suaderi possit causa criminalis ad aliam punitionem.

Secundò, quià nulla culpa duobus puni- 3

punitionibus emendatur in iure, & vnæ tantùm culpæ, vna similiter emendatio respondet, ad text. *in l. sanctio legum, de pœnis*, & constat suprà *quæst.* 62. §. *sed hoc*. negligentia autem contra reparationem Ecclesiæ iam cum ipsius reædificatione coërcetur, quæ cùm pœna sit, aliam exposcere non debet sub eadem æstimatione & satisfactione.

4 Tertiò, quia, vt *suprà* declarauimus, *quæst.* 35 *num.* 1. & 9. negligentia Procuratorum & negotiatorum Ecclesiæ ad nihil aliud eos condemnat, quàm ad tantumdem in rebus Ecclesiæ reddendum, & retulimus eumdem Genuensem idem asseuerantem in Procuratore Ecclesiæ *in dicto tract. q.* 442. Vnde similiter erit iudicandum in Parocho, seu Prælato in Ecclesiæ reparatione negligente.

5 Quartò, quia in custode Ecclesiæ pari modo negligentia ad damni tantùm satisfactionem obligare tenuimus, & iudicauimus suprà *quæst.* 41. *num.* 3. & licèt custos negligens priuari possit, docet per textum *in cap.* 1. *de offic. custod.* Felinus *in dict. cap. irrefragabili, num.* 1. non tamen duabus afflictionibus puniri sentit, sed vna tantùm satisfactione in re, seu damno, vel priuatione, si oportuerit.

6 Quintò, quia Præpositi carcerum quando ex sua negligentia vinctos exire permittant, quamuis possint puniri & mulctari, & similiter priuari, ex text. *in l. carceri præpositus, & l. ne quis, de custodia reorum*, & refert Felinus *vbi proximè*, ex *l. tamen, finali*, si Præpositus vult vinctum exhibere, & inquirere, datur illi tempus, & socium militem, ad exhibendum reum, & ideo dicitur in illo titulo *de custodia & exhibitione reorum*. quòd quædam satisfactio est præteritæ omissionis & negligentiæ, & cum illa lex pertransit, nec petit duplicem mulctam, & punitionem, ex quo argui poterit ad idem asseuerandum in quæstione proposita negligentiæ.

Non obstant ea quæ prædictus Genuensis excogitat, licèt enim demonstrent Prælatum, seu Abbatem puniendum, seu remouendum, ex magna negligentia, non tamen cõcludunt duplicem coërtionem ad intentum necessariam, & hæc est veritas, salua pace. 7

Qvæst. LXXIII.

Non vulgaris.

De publicatione testamenti, & inuentario, & de partitionibus bonorum defuncti qui hæredes laicos animam suam, aut Ecclesiam locúmve pium, seu pias causas reliquit in testamento, an coram Ecclesiastico iudice, seu seculari faciendis, & an partitiones factæ coram seculari posito bonorum defensore prædictis pijs causis præiudicent.

Svmmarivm.

1 *Si Clericus faciat testamentum, siue laicus, piam causam & Ecclesiam hæredem instituant, tunc testamentum coràm Ecclesiastico publicandum secus si laicus sit hæres, aut à laico Clericus.*

2 *Clericus hæredem Clericum relinquens in testamento, tunc publicatio & inuentarium coràm Ecclesiastica faciendum.*

3 *Idem dicendum de partitionibus.*

4 *An si in dictis casibus iudex sæcularis se intromittat, nulliter faciat, & ponuntur disiunctiuè quidam casus.*

5 *Laico testante relictis hæredibus laicis, tunc omnia ad sæcularem iudicem spectant.*

6 *Laico testante relictis hæredibus piis, an ad Ecclesiasticum illa pertineant, & distinguitur inter testamentum clausum, vel apertum.*

7 *Testamentum Clerici clausum coram Ecclesiastico publicari potest.*

8 *Publicato testamento Clerici cum hæredibus laicis, intrat iurisdictio sæcularis.*

9 *Si publicatio constaret de hæredibus piis, tunc omnia ad Ecclesiasticum spectant.*

10 *In casibus, in quibus intrat iurisdictio Ecclesiastica, si iudex sæcularis manum ponat, an eius acta sint nulla.*

11 *In exequutione testamenti ad pias causas iudex laicus est competens.*

12 *In dispositis ad pias causas ius Canonicum attendendum, & in eo solùm iudice Ecclesiastico testamentorum exequutio committitur.*

13 *Lex ciuilis sacris Canonibus non contraria seruanda in foro Ecclesiastico, & declaratur in proposito.*

41 *Testamentorum exequutionem mixti fori esse, quomodo accipiendum.*

15 *Profana in testamentis profano iudici, pia verò pio iudici relinquenda.*

16 *Piæ dispositiones quæ dicantur.*

1 DICENDVM videtur, quòd si Clericus faciat testamentum, siue laicus faciat, instituat tamen hæredem piam causam, siue Ecclesiam, quòd tunc testamenti publicatio coram Ecclesiastico fieri valeat, qui competens est in exequutione ipsius, vel ratione personæ Clerici defuncti, vel ratione hæredis, & causæ piæ laici testatoris; secus autem, si laicus sit hæres institutus, aut à laico Clericus, probat & defendit DD. relatis Gutierrez *practicar. qq. lib. 2. q. 48. num. 2. & 3.* † & *infrà quæst. 49. num. 5.* 2
tractat quando Clericus testans, Clericum etiam instituit hæredem; tunc enim publicationem testamenti, & inuentarium bonorum debere coram Ecclesiastico fieri pluribus affirmat.

Ex quibus in publicatione testamenti, & inuentario bonorum loquentibus ad partitiones idem asseuerandum possumus inferre, quæ si laicus hæredes pios instituat, aut Clericus alium Clericum, seu eosdem hæredes pios relinquat, faciendæ videntur coram eodem iudice Ecclesiastico, ex eisdem considerationibus, & Doctoribus à Gutierr. relatis, & propter argumentum eiusdem rationis, ad text. *in l. illud, ff. ad legem Aquil.* Euerard. *in loco & argumento ab æquipollentibus, loco* 101. 3

Rursus in prædictis casibus, in quibus iurisdictionem Ecclesiasticam locum habere videtur, si è contra iudex sæcularis se intromittat, & nedum testamentum aperiat, & publicet, sed inuentarium exequatur, & partitiones bonorum posito defensore dubitari poterit, an hoc omne nullum sit, vel ex defectu iurisdictionis, & quia mittit manum in rebus piis, & Ecclesiasticis, vel quia ponere defensorem ad partitiones bonorum piorum pertinet ad Ecclesiasticum, qui est eorum iudex, dixi suprà *quæst. 23. num. 7.* & quia defensor sæcularis à sæculari iudice positus nullo modo piis causis, seu animæ poterit præiudicare, vnde partitio- 4

nes

nes absque parte legitima factæ nullæ iudicandæ videntur.

Verùm separatim de vnoquoque puncto circa hanc quæstionem faciendi sunt casus,& conclusiones, vt veritas patefiat.

5 Primus actus est in laico faciente testamentum, vulgò *cerrado*, relictis hæredibus laicis, in quo publicatio illius, bonorum inuentarium, & partitiones totum ad sæcularem iudicem spectat,cùm illa omnia respectu personarum sint sæcularia, & hic casus indubius est.

6 Secundus, quando laicus in eodem testamento clauso relinquit hæredes pios,in quo licet Gutierrez *d.quæst.*48. *num.*2. *&* 3. sentiat posse publicari coram Ecclesiastico, qui est iudex competens, sicut & laicus in exequutione testamenti ad pias causas,ex iuribus *ibi* relatis;ego tamen contrarium existimo distinguendo tempora. nam quando testamentum laici adhuc est clausum, & piæ causæ in illo contentæ ignorantur, quomodo illarum ratione poterit iudex Ecclesiasticus ad publicationem admitti? Itaque in hoc casu ipsius iurisdictionem non intrare censemus quoad vsque publicato testamento hæredes pij, seu causæ piæ publicentur.

Quibus publicatis poterit bonorum inuentarium,& partitiones coram Ecclesiastico fieri tanquam ipsarum competente iudice in exequutione testamenti, ex sententia Gutierrez *vbi proximè.*

7 Tertius casus in testamento Clerici clauso, in quo bene existimat idem author *in d. quæst.*48. *num.*2. posse coram Ecclesiastico publicari,cùm in publicatione extra personam Clerici non se extendat.

8 Publicato verò si hæredes laicos relinquat, & hæreditas sit adita,iam ex ipsis intrat iurisdictio sæcularis, tam quoad inuentarium,quàm ad partitiones, cùm bona iam sæcularia censeantur. idem Gutierrez *d.lib.*2. *quæst.*49. *num.*1. vbi *numeris sequentibus* ampliat, etiamsi hæreditas sit iacens; † secus verò si non constaret hæredem esse laicum, vel testamentum esset ad pias causas,vel Clericus testator Clericum etiam instituisset hæredem, tunc enim publicationem testamenti, & inuentarium bonorum, & ego addo partitiones ipsorum posse, & debere fieri coram Ecclesiastico,ex eodem Gutierrez *d.quæst.*49.*num.*5. 9

Sed illud quod modò arguendi gratia dicebamus suprà *num.* 4. nempe quòd in casibus, in quibus in publicatione testamenti,inuentario bonorum, & partitionibus iudex Ecclesiasticus intrat,si iudex sæcularis se intromittat, an eius acta sint nulla,ex defectu iurisdictionis,oportet declarare. † nam esse valida videntur, quia in exequutione testamenti ad pias causas iudex laicus est competens, dixi suprà *quæst.*22.*n.*4. 10 11

Ex alia parte videtur, quia in dispositis ad pias causas ius Canonicum est attendendum. Tiraquell. *de priuileg. piæ causæ,priuileg.*163.& dixi *d.q.*22.*num.*4. In iure autem Canonico exequutio testamentorum ad pias causas solùm Episcopo,& iudici Ecclesiastico tribuitur, non sæcularis, ex dictis suprà *d. q.*22. *num.*4. Videtur ergo dictum sæcularem iudicem in prædictis nulliter agere tanquam sine lege Canonica in eis ambulantem, & nedum sine lege Canonica, verùm ipsa repugnante, & ad iudicem Ecclesiasticum exequutionem testamentorum generaliter committente, non verò iudici sæculari, vt modò dicebamus. 12

Ex quo cessat argumentum commune in fauorem iurisdictionis sæcularis; nempe quòd lex ciuilis sacris Canonibus 13

nonibus non contraria seruari debeat, DD. *in l. priuilegia, C. de sacros. Eccles.* Salcedo *in practic. criminal. cap.* 55. §. *deinde huic opinioni.* Gutierr. *pp. qq. lib.* 4. *quæst.* 38. *num.* 10. quia iam contrarietas inuenitur in eo quòd lex ciuilis *in l. hereditas, in fine, de petition. hæredit.* committit iudici laico exequutionem testamentorum: lex autem Canonica *in cap. nos quidem, cap. tua, & cap. Ioannes de testam.* eandem exequutionem Episcopo, & iudici Ecclesiastico concedunt, non verò sæculari: vnde cùm in dispositis ad pias causas, & sic in dispositionibus piis defunctorum non lex ciuilis, sed ius Canonicum præualeat de sententia Tiraquelli, dicendum videtur cessare debere iudicem sæcularem in prædictis dispositionibus piis, de quibus loquendo Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. solùm Episcopo, & iudici Ecclesiastico piarum dispositionum committit exequutionem, dixi suprà *quæst.* 22. *num.* 8.

14 Cessat etiam illud quod communiter dicitur, nempe testamentorum exequutionem mixti fori esse, vt cum aliis scripsit Paz *in praxi* 1. *tom.* 2. *præludio, num.* 46. Aufrer. *de potestat. sæcul. in Ecclesiastico, limit.* 55. nam ex prædictis non mixtura iuris ciuilis, sed simplicitas iuris Canonici attendenda venit.

15 Nisi reddendo singula singulis dicamus quòd exequutio testamentorum in dispositionibus profanis, & sæcularibus ad legem ciuilem, & sæcularem iudicem spectet: exequutio autem in dispositionibus piis ad legem Canonicam, & iudicem Ecclesiasticum pertingat, vt sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferantur; & quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ verò Dei Deo reddantur, nec vnus iudex in alterius gremio se immisceat, & sic practicetur, vt dixi suprà *ead. quæst.* 22. *num.* 9. & latiùs *quæst.* 63. *num.* 5. & 8. vbi in practica piæ dispositiones defunctorum non iudici sæculari contendenti, sed Ecclesiastico commissæ fuerunt, & hæc est veritas, † & ex relatis *in d. q.* 63. 16 *num.* 5. 6. 7. & 8. comprehenditur quæ dicantur piæ dispositiones, nempe patronatus cum onere Missarum, vel virginum pauperum dotandarum, aut eleemosynarum, Memoriæ, Capellaniæ, Anniuersaria, Montes pietatis, legata pro virginibus pauperibus maritandis, aut monachandis, vt suprà *q.* 70. legata pro pauperibus sustentandis, aut pro fratribus Regularibus, aut quando testator suam animam, aut Ecclesiam, aut alium hæredem pium relinquit, vt *in hac quæstione,* & suprà *q.* 22.

QVÆST. LXXIV.

Parochus, seu beneficiatus si alienet bona Ecclesiæ, ob ipsius necessitatem, & non subueniat ex patrimonio cùm possit, an sit in culpa, seu peccet.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio refertur, ex* cap. Clericos. 1. q. 2. *& ex D. Thoma, asserente peccare mortaliter Parochum non reparantem.*

2 *Contraria opinio tenenda est, & obligatio in eleemosyna cessat cessante paupertate.*

3 *Iuxta Concilium Trid. bona Ecclesiæ in ipsius reparatione consumenda, & declaratur.*

4 *Quando certa portio est deputata ad fabricam, ex illa Ecclesia est reparanda.*

5 *In materia alimentorum filio artem habenti illa non debentur, & currit*

rit argumentum de alimentis ad piam causam, seu Ecclesiam.

6 *Praxis refertur circa Ecclesiarum reparationes.*

7 *Ad textum* in cap. Clericos 1.q.2. *respondetur.*

8 *Item ad textum* in cap. de his, de Ecclesiis ædificandis.

9 *Ad sanctum Thomam similiter respondetur.*

1 TRACTAT hanc quæstionem Genuensis *in d. tract. de Ecclesia, & practicabil. Eccles. quæst. 101.* & affirmatiuè concludit, ex *cap. Clericos 1.q.2.* vbi dicitur committere Clericos sacrilegium, qui bonis propriis sustentari possunt, & quod pauperum est accipiunt, quem textum intelligit Genuensis *d. cap. in fine*, stante necessitate pauperum, & Ecclesiæ, item ex sententia D. Thom. 2.2.*q.* 181. *art.* 7. vbi quòd Clericus diues ex patrimonio, si alienet bona Ecclesiæ, etiã in casu necessitatis, vel vtilitatis, in quo alius licitè alienaret, peccat mortaliter, quia debet de suo succurrere Ecclesiæ, item similiter reparare; nec eum excusat tenuitas redditumm Ecclesiæ, per *cap. de his, de Ecclesiis ædif.* refert & sequitur Felinus *in cap. per tuas el 2. num. 2. de simonia.*

2 Verùm contrarium tenẽdum est in hac quæstione, nempe Parochum, seu Clericum, & quemcumque alium Prælatum, si de suo patrimonio ad Ecclesiæ reparationem non subueniat, sed ipsius bona causa necessitatis alienet, minimè peccare, nec de suo ad separationem teneri, & probatur ex sequentibus.

Primò obligatio necessitatis in Ecclesia, seu proximo paupere cessat, cessante paupertate, quando Ecclesia, seu proximus habet in bonis, ex quibus necessitatem excludat, tunc enim succurrere ei non pauperi, sed habenti minimè debemus, quia eleemosyna ad peccatum, nisi præcedente extrema necessitate, non obligat. dixi suprà *q.* 25. *num.* 7. Quando ergo Ecclesia habet bona aliqua quæ ad suam necessitatem Rector, seu Clericus potest alienare, & iam nec paupertas, nec necessitas in Ecclesia est, cur de suo patrimonio, & cum obligatione peccati præfatus Clericus obligandus est?

Secundò, quia iuxta Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 7. *de reformat.* tantum abest quòd Clericus, nec Episcopus de suo patrimonio ad prædictam reparationem teneatur, si Ecclesia habeat bona quæ alienari possint, quod totum contrarium constituitur ibi ex fructibus, & prouentibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, &c. vnde primo loco Ecclesiæ fructus, seu ipsis deficientibus bona non præcisè necessaria in reparatione consumenda sunt, postea verò cæteri domini fructus percipientes, & in eorum defectum Parochiani sunt compellendi de suo; non ergo ante omnia prædictorum patrimonium est obligandum, sicuti præfatus Genuensis scripsit, sed licita erit bonorum Ecclesiæ alienatio, intelligendo de bonis non præcisè necessariis ad ipsius Ecclesiæ reparationem. 3

Tertiò, quando est certa portio, seu redditus ad fabricam deputati, ex illis Clerici tenentur Ecclesiam reædificare, tradit Valascus *consultat.* 179. *n.* 11. per textum optimum *in l.* 11. *tit.* 10. *p.* 1. *& num.* 12. in subsidium deficientibus fabricæ bonis intrant Prælatus, & Clerici, Cenedus plurimis relatis *collect. ad Decret. collect.* 153. præcitatus Genuensis *d. tr. & t. quæst* 248. *n.* 3. *in tertia conclusione, vers. nisi essent.* 4

Quartò, quia in materia alimentorum adhuc filio opifici, & artem viuen- 5

 di

di habenti, non debentur alimenta, vt per text. *in l. si quis à liberis*, §. *sed si filius*, *de liberis agnosc.* & tradit idem Genuens. *vbi suprà q.* 409. *num.* 3. vbi *in fine* subdit quòd alimenta continent causam piam, ex text. *in l. Mela, de alimentis.* Euerard. *loco* 69. vnde argumentum currit de vno ad alterum, & sic si habeat Ecclesia ad sui reparationem, ab aliis alimenta recipere non valet.

6 Quintò, quia in practica sic recipitur. nam quando de reparatione Ecclesiæ tractatur priusquam domini redditum compellantur, per informationem constat de Ecclesiæ necessitate in reparatione, & paupertate ipsius, tanquam necessarium requisitum ad subsidiariam dominorum cooperationem.

7 Non obstant contraria, quia hæc de iure nouo Concilij proueniunt, & de rationibus præfatis quæ concludunt, præterquam quòd *cap. Clericos* 1. *q.* 2. nihil loquitur de reparatione Ecclesiæ, & sensus illius textus est, meo videri, quòd sacrilegium, hoc est, auaritiam, & cupiditatem committant Clerici qui habent diuitias patrimoniales, & tamen Ecclesiæ prouentus in pauperes, & Ecclesias non conferunt, constat *ibi* in text. *& per abusionem talium*, & in glossa finali, ibi, *præsertim si ex cupiditate sua reseruant*, &c. vel loquitur secundùm Archidiac. *ibi* in statu primitiuæ Ecclesiæ, & sic in iure, & vsu antiquo.

8 Textus autem *in cap. de his*, *de Eccles. ædificand.* non est contrarius, quia *ibi* Parochi cogi debent si partem fabricæ recipiant, vt glossa *verb. cogi debent*, explanauit; nouissimo autem iure Concilij Tridentini *in d. cap.* 7. suo loco statutum est quando Clerici teneantur.

9 Ad sanctum Thomam respondere possumus, eius mentem accipiendam in Clericis qui suo loco, hoc est, in subsidium deficientibus bonis Ecclesiæ de suo non reædificant Ecclesiam, quo casu possunt peccare mortaliter, propter graue damnum Ecclesiæ, ad quod peccatum notitia damni, & paupertatis Ecclesiæ debet præcedere; insuper quòd in Clericis causa non adsit in contrarium, vel quòd iudicio contradictorio sint conuicti.

QVÆSTIO LXXV.

An Ecclesiæ priuilegium habeant conueniendi reum in Curia Regia extra proprium domicilium.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi hoc priuilegium non probatur, sed de iure speciali in aliquibus Regnis, & referuntur.*

2 *Iam praxi introductum extat posse quamcumque Ecclesiam hoc priuilegio potiri, quia pupillis, & minoribus æquiparantur.*

3 *Genuensis in hoc puncto refertur cum Couarruuia idem asseuerante.*

4 *Couarr. defenditur, & laudatur.*

DISPVTAVIT Couarr. *practicar. qq. cap.* 7. *num.* 3. vbi tenet de iure communi hoc priuilegium non probari *in l. vnica, C. quando Imperator*, &c. quia non tractat de Ecclesia, nec ipsa est miserabilis persona, habebit tamen priuilegium vbi decisum fuerit, veluti in Regno Neapolitano, testibus Matthæo de Afflictis, & Andrea de Isernia, habebit etiam in hoc Castellæ Regno circa quatuor 1

Ordines

Ordines Mendicantes, vel Monasterium Monialium, aut pauperum hospitale, & Ecclesia, quæ Collegium, & vni-
2 uersitatem constituit. † Tandem quæcumque Ecclesia hoc ius habere videtur, iuxta praxim iam diu probatam, concludit Couarr. quòd ex vsu forensi quælibet Ecclesia habet hoc priuilegium *d. l. vnica*, quia minoribus, & pupillis æquiparantur à iure, ex *cap. 1. & cap. auditu, de in integ. restitutione.*
3 Successit postea disputans hanc quæstionem Genuensis *d. tract. de Ecclesia, & practicab. Eccles. quæst. 276.* & refert eundē Couarr. *de iure priuilegiorum Ecclesiæ*, negantem, non tamen refert eundem in vsu, & æquiparatione pupillorum concedentem, vnde argumentum de pupillo ad Ecclesiam, quo concludit Genuensis, iam priùs retulerat, & concluserat Couarr. *d. num. 3. vers. habuit verò.* quare superfluus fuit Genuensis labor *in d. quæstione*, & viso loco Couarruuiæ nihil noui attulit.
4 Placuit ergo pro tanti viri defensione, & excellentia absque Genuensis contemptu breuiter adnotare cui priuilegia Ecclesiæ in d. tractatu coniungenti licitum fuit priuilegium præsens *d. l. vnica*, cum cæteris adiungere, si Couarruuiæ sensum integrum in loco prædicto retulisset.

Qvæst. LXXVI.

Administrator Ecclesiæ, vel loci pij, seu piarum causarum, an emere possit res administrationis.

SVMMARIVM.

1 *Administrator piæ causæ rem administrationis emere non potest.*
2 *Fallit si res ematur cum solemnitate omnimoda.*
3 *Ad alienationem rerum Ecclesiæ, causa & solemnitas requiruntur.*
4 *Tutoribus & curatoribus quando liceat emere res pupillorum, & ab eis ad Ecclesias validum est argumentum.*

Licet multa sint priuilegia piæ causæ, & per vnum tractatum annumeret Tiraquellus, vnum est priuilegium ab ipso non tactum, ni fallor, quòd ipsius piæ causæ Administrator rem administrationis emere non possit, per text. *in Authent. quibuscumque, C. de sacros. Eccles.* & notat Marcus Anton. Genuens. *practicab. Eccles. quæst. 222.* vbi adeò hanc regulam absolutè subscripsit, vt nullam habere fallentiam, seu limitationem appareat, quod in iure, & in praxi durum videretur, ideò illam hîc ponere decreui. 1

Fallit ergo hoc priuilegium, si Administrator cum iudicis licentia emat, & adhibitis circumstantiis, quæ ad rerum Ecclesiæ alienationem in alio tertio requiruntur, tunc emptio & venditio etiam in Administratore prædicto rectè procedit, & probatur. 2

Primò ad alienationem rerum Ecclesiæ causa, & solemnitas requiruntur, ad text. *in cap. 1. de rebus Eccles. in 6. & Clement. 1. eod. & in cap. sine exceptione, 12. quæst. 2. cap. nulli, de rebus Eccles.* Seraphinus *decis. 508. & decis. 1490.* Redoan. *in toto tract. de rebus Eccles.* idem Genuensis *in praxi Archiepiscop. Neapol. cap. 89.* Riccius *in praxi fori Eccles. tit. alienationis rer. Eccles. per tot.* Maceraten *in practica resol. 5. num. 6. 7. & 8.* cum pluribus, & similiter Aloysius Riccius *in praxi aurea, resolut. 383. num. 3.* Ab hac autem regula 3

administrator Ecclesiæ, seu piæ causæ non inuenitur exemptus, dummodo prædictis solemnitatibus emat: ergo in illis censetur inclusus, arg. regulæ, *Vbi lex non distinguit*, &c.

4 Secundò, quia huic doctrinæ consonat alia de tutoribus, & curatoribus, quibus licitum est de iure communi palàm, & bona fide res minorum suorum emere, vt per text. *in l. cùm ipse, C. de contrah. empt.* docuit Gutierr. *tract. de tutelis, 2. part. cap. 15. num. 5. & n. 11. & seqq.* optimè defendit etiam de iure huius Regni illud licere prædictis tutoribus, & curatoribus, cum iudicis, seu contutoris authoritate, & respondet contrariis, & validum est argumentum de eisdem ad Ecclesias, & pias causas. Euerard. *loc. à pupillo ad Ecclesiam, & piam causam.* Genuensis *d. practicab. Eccles. quæst. 276.*

QVÆSTIO LXXVII.

Minor 25. ann. an sine curatoris, vel iudicis licentia dotare, seu construere possit Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1 *In vltima voluntate adultus censetur maior.*

2 *In beneficialibus, & spiritualibus minor habetur pro maiore.*

3 *Adultus potest contrahere matrimonium.*

4 *Minores faciunt eleemosynam.*

5 *Constructio, seu dotatio Ecclesiæ donatio est, & minor donare nequit sine decreto, aut sine curatore, & læsus restituitur, & quando læsus dicatur, & causa mortis sine iuramento etiam donare non potest.*

6 *Priuilegia piæ causæ non sunt coaceruanda, & quod non mutatur, quare stare prohibetur.*

7 *Licèt minor in vltima voluntate omnia possit, extra illam nihil potest.*

8 *Minor in spiritualibus, & beneficialibus quòd habeatur maior declaratur.*

9 *In redditibus Ecclesiasticis si minor contrahendo lædatur, restituitur.*

10 *Minor licèt in matrimonio non restituatur, & sit sui iuris, extra illam tamen curatorem adhibere debet.*

11 *Quædam ratio, & simile dotis vxoris à Genuense excogitatum impugnatur.*

12 *Eleemosyna datio à minore quomodo accipienda.*

Hanc quæstionem inuenimus disputatam à Genuense *dict. practicab. Eccles. quæst. 334.* & in affirmatiuam partem concludit ex sequentibus. 1

Primò supponit extra dubium esse, minorem in vltima voluntate posse in Ecclesiæ fauorem disponere, quia in illo actu adultus censetur maior, ex Baldo *in l. finali, C. quando decreto opus non est, & ex l. Aurelio, §. Caius, de liberat. leg.*

Secundò fundat nunquam requiri decretum, per text. *in cap. si annum, de iudic. in 6.* vbi in beneficialibus, & spiritualibus minor habetur pro maiore, & quòd fundare, vel dotare Ecclesiam est quid spirituale, & sic argumentatur Lambert. *de iurepatr. in tertio, aut quinto q. princip. 1. p.* 2

Tertiò, quia adultus potest contrahere matrimonium, & obligare se pro 3

dote

dote restituenda, glossa *in Auth. res quæ, C. commun. de legat.* Maior autem, inquit, est ratio piæ causæ, & dotis Ecclesiæ, quàm dotis mulieris, quia hæc aliquando restituitur dotanti; illa verò nunquam, ex *l. quod semel Deo dicatum.*

4 Quartò, quia minores faciunt eleemosynam, & dotatio, seu constructio Ecclesiæ est eleemosyna, ex D. Lambertino; quibus non obstantibus,

5 Contraria sententia tenenda est, & probatur, quia constructio, seu dotatio Ecclesiæ donatio est, illud enim quod consumitur in constructione, seu dotatione, donatum remanet Ecclesiæ, & in perpetuum, ex regula, *Quòd semel.* minor autem donare nequit sine decreto, quia donando contrahit, & obligatur, vnde si habet curatorem, requiritur eius auctoritas, & si sit læsus in donatione, restituitur; cessante verò vrgenti causa donationis, vel ob seruitia, vel nuptias, dicitur læsus in donatione, & potest restitui, Anton Gomez *2. tom. variar. cap. 14. num. 1. & vers. secundò infertur*, vbi iura refert Gutierr. *de iuram. confirmat. 1. part. cap. 13. n. 3. & 7. & seqq.* docens prædictum adultum donare causa mortis non posse, nisi adhibito iuramento.

6 Item priuilegia causæ piæ non sunt coaceruanda, nisi quatenus inueniuntur expressa; cùm ergo inter ea à Tiraquello congesta illud priuilegium non legatur quòd Ecclesiæ fauore minor, sine decreto contrahere valeat, dicendum erit ipsius contractum sub iuris communis regulis subiacere: quod enim non mutatur, quare stare prohibetur, argum. text. *in l. sancimus, C. de testam.*

7 Non obstant quæ in contrarium referuntur, &

Primò verum est minorem in vltima voluntate disponere posse, sed extra illam contrahendo, seu donando, absque curatoris, seu iudicis decreto dicimus non posse.

Secundò, licèt minor in spiritualibus, & beneficialibus habeatur maior, 8
hoc statutum est ad lites tantùm, & vt stare possit in iudicio, constat *in d. c. si annum.* ibi, *Ad agendum, & defendendum per te, vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum decreueris, admitti debebis.* & ibi, *ad lites huiusmodi exercendas*, & adhuc in eisdem litibus comparendo si minor lædatur, in integrum restituitur. Couarr. *lib. 1. var. cap. 5. n. 8.* Secus autem est in contractibus, in quibus minor etiam in spiritualibus decretum, aut curatoris authoritatem debet adhibere. nam in his regulariter læsio contingit, maximè minor solus contrahendo: in iudicio autem plura cum iudicis præsentia euitantur, & diriguntur, & ille actus plerumque requiritur, variis de causis: donatio autem non est necessaria, vnde si læsus in iudicio restituitur in beneficialibus, & spiritualibus, etiam hoc inde in temporalibus asseuerandum erit: & textum *in d. cap. si annum*, extra suos terminos, & casum non protrahendum, maximè cum dissimili periculo, & ratione. nam fundare Ecclesiam non est actus præcisus, sed voluntarius, & licèt sit spiritualis, non verò ex redditibus spiritualibus faciendus necessariò erit, cùm possit ex temporalibus, in quibus decretum præcisè requirendum videtur, licèt temporalia tendant ad spiritualia.

Et adhuc si in redditibus Ecclesiasticis minor velit contrahere tam ad 9
sæcularia, quàm ad spiritualia, si lædatur, poterit restitui, ex mente Couarr. *in d. cap. 5. num. 8.* vbi in beneficialibus & spiritualibus præuia læsione minoris ei restitutionem concedit.

Tertiò, minor in matrimonio con- 10
trahen

trahendo absolutam libertatem habet, & sui iuris est. nam ad talem actum libertas omnimoda exigitur à iure, & minor in matrimonio non restituitur tanquam Sacramentum Ecclesiæ, in quo duo à Deo coniuncti, ab homine non sunt separandi. Pater Sanchez relatis Euerardo, & Couarr. *d. cap. 5. lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 21. & 22. vers. 7. quia quamuis*; per hoc autem ad alios contractus argui non potest, in quo talis libertas minoribus non conceditur.

11 Maior autem ratio dotis Ecclesiæ, quæ nunquam restituitur, sicut dos mulieris, tantum abest quòd ad Genuensis intentum faciat, quòd contra illum retorquetur. nam si minor est ratio pro Ecclesiæ dote, arguendum non est ad minorem rationem pro mulieris dote, cùm de maiori ad minus argumentum non fiat, loquendo affirmatiuè; sed è conuerso de minori ad maius Euerard *loco 15 à minori*, atque ita quod minus est, conceditur minori, nempe promissio dotis mulieris in consequentiam, quoniam aliquando dos poterit reuertere ad eum; quod autem maius est, nempe dotare Ecclesiam, quæ habet manus mortuas, & non restituit, minimè concedatur, tanquam casus maioris rationis & præiudicij.

12 Quartò, nihil obest quòd minores eleemosynam dare possint. nam hæc in parua quantitate considerata, sicut publicè sumitur, in consideratione non venit, nec ex illa ad dotem dandam congruè poterit inferri.

***

QVÆST. LXXVIII.

Vtrùm mulier iuuetur Velleiano in causa pia.

SVMMARIVM.

1 *Regulariter mulier intercedere non potest, & fideiubendo defenditur, exceptis limitationibus.*

2 *Vna est in dotis promissione tam profana, quàm pia, secundùm Genuensem.*

3 *Impugnatur hæc limitatio.*

4 *Ad textum* in l generaliter, & in l. si dotare, C. ad Velleian. *respondetur.*

5 *Ad textum* in l sed apud minorem, ff. de minoribus, *respondetur, & parificatio minorum, & piarum causarum cadit in materia restitutionis.*

6 *Quid in praxi noceat huius quæstionis indagatio. & mulieres, cùm iuramento frequenter Velleiano renunciant.*

MVLIER fideiubere pro alio non potest, & fideiubendo defenditur exceptione Velleiani, exceptis limitationibus quibusdam, quæ ponuntur per glossam *verb. cessante, in l. generaliter, C. ad Velleian.* & per *l. Regiam 3. tit. 12. part. 5.* Gutierrez *de iuramento confirmat. 1. part. cap. 20.* 1

Vna autem limitatio est, si dotem mulier promittat, ex *ead. l. generaliter, & l. si dotare, C. eod. tit.* vnde ansam sumpserunt plerique ad iudicandum idem de dote Ecclesiæ, seu piæ causæ, Paulus de Citadin *tract. de iurepatr. 3. q. 12. secunda causa*, relatus per Genuensem *tract. practicab. Eccles. q. 385.* 2

&

& ipse Gemmensis prædictam sententiam tenet *ibi num.2.& quæst.*334. *n.*4. quasi quòd argumentum fiat de dote ad piam causam. Euerard.*in locis legal. loco* 60.

3 Dubito tamen de hac doctrina, quia regulam scimus Velleiani, & limitationes glossæ cognoscimus, inter quas Ecclesia, aut pia causa non inueniuntur; cur ergo à regula discedendum est si ipsa in hoc casu non limitat? & qui in hac limitatione se fundat, de illa in regula debet ostendere, vt obtineat, ideò Euerardus *in d. loco* 60. & Tiraquellus *in suis priuilegiis*, nullum verbum loquuntur de vxore, seu muliere in fauorem piæ causæ se obligante, quòd non iuuetur Velleiano.

4 Non obstant textus *in l.generaliter, & in l.si dotare,C.ad Velleian.* nam minimè loquuntur in Ecclesia, seu pia causa, sed in filia dotanda, cuius obligatio cum causa pia concurrere non potest, item *l.generaliter,* licèt loquatur in muliere, procedit in iam matrimonio collocata, vt constat, ibi, *& sic à viro forsitan repelli, & distrahi matrimonium*, &c. hoc autem præiudicium ad matrimonium contractum etiam cum causa pia extendi non potest, cùm illud fortius sit, & maioris momenti.

5 Magis vrget pro affirmatiua opinione textus *in l. sed apud minorem, ff. de minoribus*, quem notat Baldus *in d.l.generaliter*, vbi fauore minoris mulier priuatur Velleiano, & notum est argumentum de minoribus ad Ecclesiam, vel piam causam. Euerard. *loco* 74.

Verùm adhuc potest responderi, parificationem minorum ; & piarum causarum regulariter procedere in materia restitutionis, vt per Euerardum *d.loco,num.*1.& 4.& ita procedũt text.*in cap.*1.*& cap.auditis,de in integr. restit.* vbi Ecclesia fungitur iure minoris in materia restitutionis.

Vlteriùs si minores, etiamsi adhuc fauorabiles sint, in terminis quæstionis propositæ habent legem claram contra mulierem, vt non iuuetur Velleiano, cur etiam Ecclesia, & pia causa sine vlla lege hunc specialem fauorem debent postulare ? dicere namque poterunt minores, nosæquè fauorabiles sumus cum piis causis, & adhuc cum lege expressa loquimur. quærant piæ causæ aliam legem, & cum illa postea loquantur. His de causis in mero iure loquendo dubitamus de priuilegio piæ causæ, & Ecclesiæ in hac quæstione contra mulierem vtentem Velleiano non ex hoc detrahendo opinioni eorum, qui in fauorem earum scripserunt, sed laudando pium eorum animum, & credendo fortassis ipsum esse multò veriorem.

Sed hæc disputationis gratia conscripta, adhuc calamum scribentis detinuissent, si in practica aliquod præiudicium inferre possent Ecclesiis, vel piis causis, durum enim est scribenti Ecclesiastico earum fauores diminuere, vel impugnare, & pium potiùs extendere, & ampliare ; sed iuris veritas semper est sincerè pro vt cognoscitur dicenda, absque acceptione personarum. 6

Verùm, vt dixi, in praxi parum nocebunt hæc conscripta. nam quando mulieres generaliter pro quibuscumque causis obligantur, de consuetudine renunciant Velleiano, & cum iuramento præstito in obligatione, ex quibus cessat omne dubium.

Gutierr.*d.*1.*p.c.*20.& glossa *in d. l. generaliter, C. ad Velleianum.*

QVÆST.

QVÆST. LXXIX.

Non vulgaris.

De pœnis iudicibus Ecclesiasticis applicandis.

SVMMARIVM.

1 *Iudices possunt ex lege, statuto, seu constitutione sibi partem, seu partes pœnarum applicare, & traduntur exempla legum sæcularium.*

2 *Traditur exemplum legis Ecclesiastica.*

3 *Virtute consuetudinis, seu styli etiam applicatio admittenda.*

4 *Exemplum eius traditur.*

5 *In Syndicatu de hac consuetudine iudicium.*

6 *Quæ dicatur causa sacrilegij, & ponuntur distinctè casus, & exempla.*

7 *Iniuria iudici facta operatur sibi posse pœnæ partem applicare.*

1 SVSCITAT praxis quæstiones extraordinarias, velut præsentem nam aliquando dubitatur in praxi de applicationibus pœnarum in iudicum fauorem, an eis licitum sit sibi partem, seu totum applicare, & vt paucis veritas aperiatur, sit

Prima conclusio posse iudices pœnarum partem, seu partes in condemnationibus accipere, quando lex, statutum, seu constitutio synodalis illud permittunt. Exemplum legis sæcularis sit, *l. 1. tit. 5. lib. 8. recopil.* de qua egimus suprà *quæst.* 27. vbi in condemnationibus illorum, qui in censuris, & excommunicationibus perseuerant, tribuitur Prælato fulminanti vna pars, & alia iudici exequenti, & obiter admonuimus posse vtramque partem ab vno iudice fulminanti, & exequenti percipi, de sententia Gutierr. & Aceuedi, prout *ibi*, & hoc in iudice Ecclesiastico contra prædictos excommunicatos cognoscente; sæcularis autem iudex solam vnam exequutionis partem poterit sibi retinere in prædicto casu, & sic in cæteris casibus, in quibus virtute legis sæcularis tam iudex Ecclesiasticus, si cognoscere possit, quàm sæcularis, poterit vnusquisque partem, seu partes ab eadem lege permissas sibi in sententiis applicare, veluti in Pragmatica taxæ panis, de qua egimus suprà *quæst.* 30. & 68. Aliud etiam exemplum est legis sæcularis, quando ob adustionem arborum, aut incisionem, de quibus sunt ordinationes in loco, vulgò *ordenanças confirmadas*, Clericus conuenitur coram Ecclesiastico, illæ enim Clericos ligant, sicuti cæteræ iuri Canonico non contrariæ, vt *in d. q.* 30. & 60. & *hac quæstione præsenti* constat, tunc si in ordinationibus pars condemnationis iudici tribuatur in qualibet denunciatione, poterit iudex Ecclesiasticus ipsam percipere, & coram me fuit hic casus practicatus. nam contra quendam Parochum facta fuit de hoc denunciatio per quendam Ministrum sæcularem solitum has denunciationes exercere, & citatus Clericus; fuit ab ipso oppositum de dictæ legis incompetentia, & quòd ipsum comprehendere non poterat, & quòd ordinationes non erant confirmatæ, & tandem fuit cum interesse habentibus assumpta concordia, & soluta quantitate à Parocho, distribuenda inter iudicem, & denunciatorem fuit in causa supersederi mandatum, sumpto exemplo à cæteris denunciationibus sæcularium, in quibus.

bus similis compositio regulariter in loco admittebatur.

Verum est, quòd ad omnes terminos perueniendo prædictæ ordinationes necessariò erant confirmandæ, vt latè Gutierr *pp.qq.tom.*4. *q.*53. *num.*1. exceptis quæ à tempore antiquo sunt obseruatæ, vt *ibi num.*6. & ipse *q.* 38. *num.*13. *eiusdem tomi*, etiam latè comprobat statuta laicorum circa conseruationem pactorum, Clericos, & Religiosos ligare, & sub eisdem pœnis propter conseruationem boni publici illa tenentur obseruare.

2 Exemplum sit in lege Ecclesiastica in casu constitutionis Synodalis Toletanæ 15. sub titulo *de custodia Eucharistiæ*, vbi applicatur pars iudici contra eos, qui hostias extra locum sacrum confiteantur, & in cæteris Diœcesibus quælibet constitutio, si iudicibus Ecclesiasticis partem applicauerit, erit similiter exemplum applicationis prædictæ.

3 Sit secunda conclusio, si non lex sæcularis, vel Ecclesiastica, sed consuetudo, vel stylus in Audientiis adsit tales applicationes faciendi; virtutes enim talis consuetudinis ipsæ licitæ sunt. nam idem quod per legem licitum est, licitum erit etiam per consuetudinem, seu stylum, quia validum est argumentum à stylo curiæ, seu more iudiciorum. Euerard *loc.*105.

4 Exemplum huius consuetudinis, seu styli est condemnatio facta in causa sacrilegij, in qua in Episcopali Audientia Segouiensi vsitatum inueni, cùm ibi iudex essem, totam condemnationem ad iudicem pertinere, & in Audientia Archiepiscopali Talabricensi, non tota, sed tertia pars ad Vicarium generalem spectabat, & in alia Audientia Archiepiscopali *de Ciudad Real*, similiter spectare audiui.

5 Cùm autem in syndicatu quodam culpa imposita fuisset Vicario super dictis applicationibus probato stylo, seu consuetudine, prædicta culpa exclusa fuit, & iudex ab ea liberatus extitit.

Sed dubitatum fuit qualis esset causa sacrilegij? & dicendum est iuxta ipsius definitionem esse sacrilegium violationem rei sacræ, hoc est, vbicumque res sacra, seu locus sacer offenditur, seu violatur. Item similiter si persona sacra lædatur, optimè Paulus Grillandus *de pœnis omnifariam coitus, lib.*3.*primò igitur quæro, à num.*1.*& pluribus seqq.* vbi de pluribus sacrilegij speciebus Salcedo *in pract. criminali, cap.*77. vbi Syluester, Follerius, Iacobus Menochius, Ioãnes Lupus, de Palacios, Rubios, & leges Regiæ relatæ sunt, Leo *Thesauro fori Eccles. part.*3. *cap* 4.*num.*41.42.43.*& seqq.* 6

Ex prædictis resultat si persona sacra, Clericus, Religiosus, vel Monialis offendatur per manus impositionem, esse sacrilegium, item similiter si copula habeatur cum Moniali, vel Clericus, seu Religiosus fornicetur, vt *infrà* dicetur *quæst.*97. Item etiamsi adulteri in foro Ecclesiæ iudicentur tanquam causa mixti fori, vt infrà *q.*101. *num.*8. nam dicuntur sacrilegi, quia violentiam & iniuriam faciunt Sacramento matrimonij Salcedo cum Iulio Claro relato *in pract. crim. cap.*85. *§.puniri.* Thom. Sanchez *de matrim. lib.*10. *disput.*8. *num.*16. Couarr. & Barbosa *relatis.*

Rursus si res sacra de loco sacro, aut res non sacra de loco sacro, vel res sacra de loco non sacro, auferatur. Grillandus *d.loco, num.*11. Salcedo *d. cap.*77.

Vlteriùs locus sacer violatur, vel cœmeterium, quãdo ibi realiter succedunt vel fornicationes, vel delinquentes ab eodem loco causa immunitatis

confugientes extrahuntur, vt infrà *quaest.* 106.

Item si in eodem loco repræsentationes profanæ absque licentia Ecclesiastica fiant, vel taurorum, aut animalium agitationes, & ludi profani, vulgò *Pelota naypes bolos Argolla dados o taba.* nam hæc tanquam profana locum sacrum offendunt, & committitur sacrilegium, quia ex prædictis actibus locus sacer vsurpatur, seu in malum vsum assumitur, vnde propter eius abusum, & offensionem intrat sacrilegij definitio.

7 Sit tertia conclusio, quando vltra prædictos casus iniuria committitur in iudicem Ecclesiasticum lacerando aliquas literas eius, vel in sua Audientia rixando cum alio, vel coram eo, tunc propter iniuriam iudici factam si reus fuerit condemnatus, poterit aliqua pars iudici applicari. Syluester *in summa, verb. sacrilegium, in fin.* ibi, *& applicatur pœna personæ si iniuria sit facta personæ, d. gloss. de sentent. excommunic. parochianos,* &c. & quia hæc conclusio in iuris ordine fundatur, admitti poterit etiamsi in eius fauorem stylus non inueniatur, nec adsit.

QVÆST. LXXX.

An nuncius, qui antemittitur à Visitatoribus, vt ipsorum aduentum annunciet Ecclesiis, ab eis debeat aliquam mercedem accipere, vel expensis Visitatorum sit mittendus.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur, & dubium.*

2 *Si nunciatio est in præcepto, expensæ nunciati est facienda, & qui vult antecedens, vult consequens.*

3 *Ex nunciatione Ecclesiæ vtiliores fiunt, & sic illam soluere tenentur.*

4 *Sublato nuncio Ecclesiæ præiudicantur.*

5 *Nuncius est dignus mercede sua.*

6 *Actus fieri debet expensis eius, qui petit actum.*

7 *Visitator suis expensis non debet nunciare.*

8 *Quomodo nunciatio assumenda in praxi, & consuetudo contra Ecclesias est obseruanda.*

9 *Quod est minus principale, & secundarium, non attenditur.*

10 *Bonæ fidei possessor fructus consumptos, in quibus non est factus locupletior, non restituit.*

INTER facultates Visitatoribus datas vna solet esse quòd ante diem nuncius mittat, qui aduentum annunciet, & sic dicitur in facultatibus pro Toletanis Visitatoribus, sed non exprimitur, quibus expensis, vnde dubium extitit in practica, & in syndicatu quodam, cùm inuentum esset Ecclesiarum expensis, nuncium missum, sublatum fuit, & derogatum per iudicem syndicatus; sed derogationem hanc minus rectam iudicaui, ex sequentibus. 1

Primò, si in facultatibus præcipitur nunciari, eo ipso consequenter dicitur expensis eius, qui nunciatur, esse nuncium persoluendum. nam qui vult antecedens, vult consequens, *l. ad rem mobilem, de procurat.* cum similibus: vnde si Ecclesiæ visitandæ sunt, nunciandæ ipsæ per consequens sunt, onere satisfactionis onerandæ. 2

Secundò Ecclesiæ præhabito nuncio mediis ipsarum factoribus, & admi- 3

nistratori

nistratoribus præparant ea quæ ad visitationem sunt præparanda, rationes præstandas ordinant, & præueniunt, cæteraque in melius disponunt; quare cùm ex his præparatoriis conditio Ecclesiarum sit facta melior, & vtilior, mirum non est, quin aliquo onere prægrauentur.

4 Tertiò, quia sublato nuncio, visitationis tempus protrahitur in damnum ipsarum Ecclesiarum vbi victualia administrant, vel populorum si similiter necessaria præstant, vt in districtu Talabricensi; ne ergo maius inconueniens resultet contra easdem Ecclesias, ipsæ debebunt nuncio eis misso satisfacere.

5 Quartò, quia nuncius laborat pro Ecclesiis, & per aliquod tempus in ipsarum negotio occupatur; dignus igitur erit mercenarius mercede sua.

6 Quintò, quia si aliquis rogaret amicum, vt de tali re nuncium sibi mitteret, licèt de expensis nihil loqueretur, manifestum esset rogantis expensis nuncium esse mittendum, quia actus fieri debet expẽsis eius, qui petit actum, vt cum multis scripsit Gratian. *discept. forens tom.* 1. *cap.* 57. *num.* 1. sic etiam est in casu proposito, Visitator rogatus extat, seu compulsus ad nunciandum; non ergo suis, sed expensis Ecclesiarum nunciare debebit.

7 Sextò, quia si facultas visitationis Visitatorem, ad suis expensis nunciandum, non grauat, cur eisdem erit absolutè grauandus?

8 Hoc tamen non est acriter assumendum, sed cum moderamine, vt si fieri possit nunciatio sine expensis cum literis, seu alio modo, sic fiat; si verò expensæ sint necessariæ, præstentur ab Ecclesiis, vel inter alios visitatos diuidantur, prout de consuetudine inuentum fuerit, quæ si fuerit contra Ecclesias, obseruanda erit ex mente Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 3. *de reformat.* & diximus *supra quæst.* 16. *num.* 1. & 2. & ex constitutione Toletana, quæ consuetudines contra Ecclesias seruari præcipit, vt *ibi num.* 7. Quid enim amplius habet consuetudo soluendi aliquid pro nuncio, quàm soluendi pro victualibus Visitatoris, vnde cùm hæc consuetudo sit admissa, & illa similiter admittenda erit, cùm in rei substantia nullum præiudicium Ecclesiis fiat, siquidem absolutè quod consultum est, obseruatur.

Constat igitur ex prædictis iudicem præfatum minus rectè derogasse consuetudini prædictæ. nam licèt nuncius etiam in vtilitatem Visitatoris, & negotio eius occupetur, hoc est nimis secundarium, & minus principale: quare non est attendendum, sed illud quod principaliter agitur ex iuris rudimentis, & diximus *d. quæst.* 16. *n* 8 præsertim, quia merces pro Nuncio pro parte Ecclesiis applicatur ex labore pro eis sumpto, & pro parte Visitatori, & sic nemini fit iniuria. 9

Vnde si merces, & salarium prædictum iussum fuisset Visitatori Ecclesiis restituere, iniustum esset, tam ex dictis rationibus, quàm quia bonæ fidei possessor est in dicta mercede assignanda, qui fructus industriales consumptos ante litem motam, in quibus non est factus locupletior, restituere non tenetur, ad notata per Syluestrum *in summa, verb. fructus, n.* 2. & 3. Menoch cum pluribus *de recup. remed.* 15. *n.* 593. & *pluribus seqq.* Peregrin. *de fideicommissis art.* 49 *à n.* 110. Gratian. *discept. tom.* 2. *c.* 207. *n.* 89. & Visitator iam soluit mercedem pro sua parte, & nuncij merces ab ipso nuncio recipitur, & consumitur, & non à Visitatore, & sic non dicitur, nec est locupletior. 10

QVÆST. LXXXI.

Non vulgaris.

An Visitatores Ecclesiastici teneantur dare syndicatum.

SVMMARIVM.

1 *Syndicatus regulariter est permissus, etiam in Visitatoribus Ecclesiasticis.*
2 *Officium eorum quod sit, & syndicatores syndicandi sunt.*
3 *Probatur iure Canonico.*
4 *Praxis refertur circa syndicatum Visitatorum.*

1 DIximvs suprà *q.62.n.1.* quòd syndicatus regulariter est permissus contra Vicarios, & iudices, vt finito officio rationem reddant suæ administrationis, quæ regula etiam Visitatores comprehendit, nec in eis limitata inuenitur, præcipuè *in constitut. 5. Synodi Tolet. sub tit. de iudic.* quæ generaliter in omnibus iudicibus
2 Ecclesiasticis loquitur. † Licèt enim eorum officium nihil aliud sit, quàm quidam generalis syndicatus contra malos mores, ex Trident. *sess.24.cap.3. de reformat.* & quædam Ecclesiarum, & personarum, necnon morum laicorum reformatio, hæc est scopus visitationis, vt ex Pauino retulit Piascecius *tract. de visitatione, cap.2.* & durum videatur quòd syndicatores syndicentur, quia datur processus in infinitum; prædicta tamen regula iterum, atque iterũ in omnibus officium habentibus procedit, vt ipsius rationem præcisè reddere teneantur, atque ita syndicatores syndicandi sunt. Amed. Iustin *de syndicatu, num.3.* Auiles *iudicum syndicatus cap.1.n.3.* & statutum est per legem Regni 21. *tit.7. lib.3. recopil.* & *ibi* notat Aceued.

Probatur etiam per text. *in cap. ea quæ, §. sequentes, de statu Monachorum.* ibi, *Sequentes autem Visitatores perquirant piorum Visitatorum vestigia diligenter*, &c. & *ibi* glossa *verb. & eorum negligentias.* 3

Et in praxi cùm essem simul Vicarius, & Visitator Toletanus, in syndicatu pro officio vicariatus, officium etiam Visitatoris fuit syndicatum, licèt cum protestatione, & appellatione, quia syndicatus literæ ad visitationis officium non protrahebantur. 4

Cæteri autem Visitatores nudi, publicè non syndicantur in praxi, non quia non possint iuxta regulam præfatam, sed quia de facto non fit, occultè tamen quando adest causa, procedi solet ad inquirendum contra eos, & etiam post impletam visitationem tenentur ire ad Præsulem Toletanum, seu eius consilium, ad dandam rationem ipsius visitationis, ex constitutione Toletana 4 *de indic.* & hoc modo iam syndicantur, nec ab hoc onere liberantur, vnde regula in principio posita illæsa extat contra ipsos Visitatores Ecclesiasticos, vt syndicari possint, sicut Vicarij, & quòd modo prædicto, expleta visitatione, syndicantur: placuit autem in terminis Visitatorum hoc verbum explanare, vt in praxi veritas scripta inueniatur.

QVÆST.

QVÆST. LXXXII.

Non vulgaris.

An sit punibile in Visitatore, visitare in montibus ad fructuum perceptionem deputatis.

SVMMARIVM.

1 *Casus in praxi proponuntur.*
2 *Sine lege peccatum cessat, & probatur lege diuina & humana.*
3 *Visitare in montibus fructuum quando sit culpabile, & quando non.*
4 *Facultas Toletana explanatur, & sine precepto visitare in dictis montibus, precipuè non incipiendo, non est punibile.*
5 *Iudicis animus perfectus qualis sit.*
6 *Exclamatio contra iudices syndicatuum.*
7 *Iudices in rebus partium de officio ipsis tacentibus, intromittere se non valent.*

1 DIximvs proxima quæstione officium Visitatoris fuisse in praxi syndicatum, & de iure posse syndicari; in eadem autem praxi impositum fuit, Visitatoré quendá in montibus fructuum eorum damnum visitasse, pro cuius innocentia probatum extitit illud casualiter aliquando accidisse, reuertédo à visitatione, & sine agricolarum impedimento, quo non obstante pœna fuit imposita
2 pecuniaria. † Sed immeritò, quia in prædicto facto nulla lex adest, nec Cócilium Tridentinum, visitationem in prædictis montibus directè, & absolutè impediens; cessante auté lege peccatú, aut culpa intrare non potest, Apostolus Paulus *ad Romanos, cap.* 7. sed peccatum non cognoui nisi per legem, & huic regulæ diuinæ consonat humana iuris, quæ dicit quòd delinquere nihil aliud est, quàm peccare, vt per textum *in l. recipiendum, §. delinquunt, ff. de pœnis,* scripsit Farinacius *de delictis, q.* 18. *num.* 1. & *quæst.* 17. *num.* 1. similiter aït quòd vbi delictum non est, nec ibi pœna cadit, textus *in l. aliud fraus est, de verbor. significat.* Consilium de syndicatu Vicarij inter opera Iulij Clari *num.* 152. 153. Mandell. de Alba *consil.* 97. *num.* 35. *part.* 1.

Et licèt visitare in prædictis montibus sit importuna, & intempestiua visitatio, hæc consideratio bona est ad ponendum præceptum Visitatori cum comminatione pœnæ & mulctæ in actus reiteratione, tunc enim bene proceditur ad pœnam & ad mulctam; verùm absque præcepto durum est statim illam imponere, & culpam, seu delictum sine lege, vel præcepto formare, & si hoc rectè procedit, etiamsi directè visitatio in prædictis montibus inchoetur; quando autem non inchoatur, sed terminatur accidentaliter, reuertendo ad domum, & sine damno agricolarum, & hoc constat per testes, tunc manifesta fit iniuria visitanti, faciendo illum culpæ reum vbi nullam habuit, nec causauit. 3

Rursus ita cautè potest fieri visitatio in horis diei commodis, quòd nullatenus detrimentum afferat agricolis visitatis, & hoc est quòd in facultatibus Visitatorú pro Archiepiscopatu Toletano *num.* 3. continetur, ibi, *y iunte el pueblo al tiempo que menos impedimento se siga a nuestros subditos por las labores de sus haciendas.* non enim prohibet absolutè visitationes, sed de horis commodis agit ad congregandum populum; si verò visitatio extra illas horas 4

cum impedimento laborum fieret, tunc fateor per se culpam in Visitatore inueniri, quæ deberet in specie probari, vt super illa culpa posset Visitator mulctari. Quare concludimus in hoc casu nullo modo mulctam esse imponendam, nisi præmisso præcepto absoluto, vel nisi ex proposito directè visitatio à dicto tempore inchoetur, & adhuc tunc aliqualis probatio debet peti, super modo & discretione visitandi, & distinctione temporis, & horarum, quibus non pensatis, si mulctetur Visitator, rationem iudex præstabit ad alium iudicem strictè cuncta
5 discutientem. † Sed quando iudex syndicatus animum habet inclinatum ad culpas & pœnas, oculos auertit à considerationibus easdem excludentibus, immemor iuris & obligationis iudicialis, quæ habet animum iudicis serenum, & æqua lance cuncta rimantem super veritate debere meditari, nec ad dexteram, vel ad sinistram declinare, ex mente textus *in d. l. respiciendum, de pœnis*, & cum aliis scripsit Auiles *pratorum cap. 1. n. 1. & 2.* Mandell. de Alba *part. 1. consil. 45. num. 1.*

6 O infelix syndicatus officium, in quo plures tam iudicis, quàm ipsorum scribæ miserè ad Tartarum condemnantur, vel quia turpibus acceptionibus, & pecuniarum receptionibus, vel aliis beneficiis, veras culpas dissimulant, aut quia falsas & veris responsionibus, & probationibus exinanitas ob salariorum cupiditatem minus rectè & æquè animo condemnant, bonum esset eis si nati non fuissent homines illi, aut si aliqua excusatione à tartareis pœnis liberantur, vtique graue sentient pro prædictis culpis post mortem Purgatorium, ad quod culpæ leues in prædictis officiis deducuntur, vel frigori iustitiæ rectæ, vel calori misericordiæ aliqualiter aduersæ. † Et tanto magis crescit iniustitia 7
prædicta in hac quæstione, quia Syndicator suo Marte, sine partium instantia, hoc capitulum apposuit contra iuris regulam, quæ dictat iudicem de officio in rebus partium, ipsis tacentibus se intromittere non posse, vt *infrà* dicam *quæst. 87. num. 7.* & debebant agricolæ in hoc puncto se querelare, & reclamare, quo non facto, minimè tractari potuit de officio hæc quæstio in syndicatu, fortassis quia nemini visitatio præiudicium attulit, vt suprà *num. 4.*

QVÆST. LXXXIII.

Non vulgaris.

An si Vicarius in sententiis, & condemnationibus sacrilegij, partem sibi applicauerit, iuxta stylum audientiæ possit in syndicatu ad restitutionem & ad aliud tantundem condemnari.

SVMMARIVM.

1 *Refertur quid iuris sit in applicationibus iudicum.*
2 *Index syndicatus condemnare non debet ad restitutionem illud, quod iusto titulo perceptum est.*
3 *Restitutio de re propria non fit.*
4 *Pœna sine culpa non datur, & valet argumentum à consuetudine, seu stylo curiæ.*
5 *Bona fides non mulctatur, sed mala.*
6 *Quadruplum quando considerandum.*
7 *A diuersis non est arguendum.*

SVPRA

1 SVPRA *quæstione* 79. diximus de applicationibus ad iudices Ecclesiasticos spectantibus, & de stylo diuerso in aliquibus Audiẽtiis,& illum prout iacet esse obseruandum,& maximè in sententiis sacrilegij, vbi similiter quæ sit causa illius delicti,& ad quos casus extendatur, enucleauimus.

2 Verùm si in syndicatu iudex ad prædictarum applicationum restitutionem Vicarium condemnasset, in aliquibus speciebus sacrilegij, quas retulimus suprà *d.q.79.num.6.* iniuriam faceret, cùm illæ species securè ad causam sacrilegij pertineant, vt *ibi* probauimus, vnde admissa applicationis consuetudine, seu stylo, consequens est quòd prædictæ species sacrilegij, & casus ibi relati admittantur. Cùm ergo stylus, seu consuetudo in prædictis vim habeat, & seruanda sit, vt suprà *d.q.79. num.3.* deleri non debet quod media ipsa consuetudine fuit actum, & si ipsa dominium rei applicatæ trãsfert in iudicem, seu Vicarium, cur ipse ad restitutionem suæ rei compellendus, seu condemnandus erit?

3 Restitutio enim de re propria non fit, sed de aliena ex restitutionis definitione,& substantia eius, quæ præsupponit damnum in re proximi, *cap. si læserit, cap. final.* & *ibi* glossa *verb. si culpa, de iniuriis.* Syluester *in summa verb. restitutio, num.* 1.

4 Et si hoc adhuc in ipsa applicatione procedit, quòd nullo modo Vicarius possit ad restitutionem compelli, multò minùs propter ipsam applicationem ad tantundem, seu ad aliam pœnam poterit condemnari, pœna enim sine culpa non datur in iure, ex d. glossa *verb. si culpa, in cap. final. de iniuriis.* dixi cum aliis *q.* 82. *num.* 2. & quod lege permittente fit, pœnam non meretur, ex *l. Gracchus*, *C. ad l. Iul. de adulter.* Consuetudo autem, seu stylus Curiæ quasi lex obseruatur, & ideò valet argumentum ab eo, vt cum Euerardo retulimus *suprà d.q.79.num.2.*

Rursus si Vicarius recipit bona fide, quod iuxta stylum intelligit ad se pertinere, quomodo mulctari hæc bona fides poterit, cùm solùm mala fides culpam habeat quæ pœnam consequenter exposcat. *cap. si quis domum*, & *ibi* glossa *verb. restituat, de iniuriis.* Syluester *in summa*, *verb. restitutio* 3. *num.* 9. 5

Denique insipientis est dicere in prædicta applicatione, bona fide facta, quadruplum pro pœna imponi posse, nam, si non est in illo culpa, & pœna, consequenter non intrat; nec adest mala, sed bona fides, cum ratione,& titulo consuetudinis, & styli; quomodo quadruplum intrabit si simplum admitti non potest? quadruplum namque in tantum mala fide delinquentibus consideratur à dicta glossa *verb. restituat.* Auiles *prætor. cap. 1. num. 8.* Auendañus *de exeq. mandatis*, *2. p. c. 24. n. 4.* §. *quod autem*, vbi loquitur in iudicibus qui mala fide vsurpant partem pœnarũ regalium, vel partem pœnarum, quæ pro furto solent imponi, & in iudicibus qui pecunia corrupti iniustitiam faciunt, consideratur etiam à Suario de Paz *in praxi 1. tomo oct. 1. cap. vnic. n. 36.* & Farinacio latè pertractante *de variis, ac diuersis criminibus*, *quæst.* 111. *art.* 4. *num.* 59. & *art.* 5. minimè ponit hoc quadruplum in iudice Ecclesiastico, sed quòd per sordes iniustitiam faciens suspendatur ab officio, & *ibi num.* 74. quòd pœnam arbitrariam, & extraordinariam sustineat, Lancellot. *Instit. iuris Canon. lib. 3. tit. 15. §. is autem.* Menoch. *de arbitrar. cas. 343. num. 4.* † Cùm 7
ergo nihil commune habeat prædictã bonæ fidei applicatio cum applicatione malæ fidei, aut cum iudicis corruptione

ptione de vno ad alterum non est inferendum, nec arguendum, cùm à diuersis illatio non fiat, ad text. *in l. Papinianus, ff. de minoribus*, eo maximè cùm iudex Ecclesiasticus in dicto quadruplo non veniat condemnandus, etiam in culpis malæ fidei, aut sordibus, sed pœna arbitraria, ex Farinacio & Lancellotto, & ad summum suspendendus.

QVÆST. LXXXIV.

An licitus sit stylus in Audientiis Vicariorum, quòd rei carcerati petentes, vt ad dicendas confessiones admittantur, compellantur statim soluere salaria Receptorum, prouidendo quòd confessio soluto Receptore admittatur.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur cum rationibus partem affirmatiuam probantibus.*
2 *Pars negatiua proponitur, & fundatur.*
3 *Iudicium syndicatus refertur, & probatur, & quòd retentio est fauorabilior, quàm petitio.*
4 *Contrariis respondetur.*
5 *Multare Vicarium solitum exercentem iniustum est, & parte non instante iudex se non interponit.*

1 IN quodam syndicatu de hac quæstione fuit actum, an scilicet licitus esset prædictus stylus? Videbatur quòd non esset licitus, quia rei in contrarium præsentati cum informatione summaria adhuc non sunt auditi, nec copia illis culpæ data, nec ab ea sunt per informationes exonerati, vnde videtur iniustum ante tempus illos in salariis condemnare, & hæc est prima ratio. Secunda, quia solutis salariis Receptorum, cùm hæc sit maior condemnationis quantitas, rei non curant de sententia, nec causa, & se condemnare relinquunt, fortassis sine culpa, de qua se exonerarent, si sine solutione prædicta vsque ad sententiam audirentur. Tertia, quia quod in sententia est faciendum, ante illam licitum non videtur. Quarta, quia prædictus stylus cùm reis sit damnosus, & præiudicialis, seruandus non erit, cùm corruptela censeatur, nec sit rationabilis, & naturali iuri, nempe damno, & defensioni proximi repugnet, ad text. vbi DD. *in cap. final. de consuetud.*

E contrario videbatur illum stylum non esse nociuum reis. nam licèt de præsenti salaria præfata soluant, postea si in sententia liberentur, illa recuperant, vnde cessare præiudicium apparet; item Receptores nolunt officium suum cum tanta mora solutionis exercere, & fit damnum Reipublicæ, si delicta non puniantur, aut probentur. 2

Verùm declaratum extitit stylum esse iniustum, & fuit derogatum, & meritò, quia licèt repetitio salariorum fieri possit in sententia, difficilis est, vnde non soluere est faciliùs, repetere autem difficiliùs, & hinc est, quòd retentio est fauorabilior, quàm petitio. Brasol. *in locis communibus, verb. retentio,* consonat illud vulgare, 3

Turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes.

Delicta autem non creditur impunita relinquenda ex derogatione prædictæ consuetudinis, cùm Receptores 4

vtpluri

vtplurimum, vel de consensu reorum mercedem recipiant à principio, vel in sententia si non fortiter appelletur.

5 Et licèt hæc sententia mihi iusta videatur, displicuit tamen altera nam audiui quòd syndicatus iudex nedum præfatum stylum derogauit, verùm Vicarium in mulcta puniuit, & iniustè, quia ob stylum, & consuetudinem culpa cessat in iudice illam obseruante, & communiter dicitur quòd consuetudo excusat à pœna, vt diximus *suprà q.15. num.16.* Sufficiebat enim præcipere, vt in posterum stylus reijceretur absque pœnæ impositione, cùm hæc in eo, qui solitum exequitur, non rectè perpendatur; quòd autem aliquando constaret reos non esse adstrictos ad prædicta salaria, non erat validum argumentum ad culpam arguendam, & exclusionem styli. nam si Receptores, & Notarij pro illis tunc non instarunt, vel quia erant recepta, aut quia noluerunt reos adstringere, non ex hoc congruè contra iudicem in varietate styli arguitur, cùm parte non instante ipse soluere salarium minimè imperaret, ex his quæ infrà dicentur *quæst. 87. num.7.*

QVÆST. LXXXV.

Vtrùm si Vicarius in causis iniuriarum, & grauium verborum, non dederit copiam Fiscali, quando querelans à querela discedit, an super hoc syndicari possit.

SVMMARIVM.

1 *An parte à querela discedente, poterit iudex ex officio procedere in causis iniuriarum.*

2 *In foro Ecclesiastico prius lex Canonica quærenda est, quàm temporalis.*

3 *In dispositis ad pias causas ius Canonicum attendendum.*

4 *Intelligentia textus* in l.4 tit.10. lib. 8. recopil. *& verbum* potest *non importat necessitatem, & non quidquid iudicis voluntati relinquitur, iuris necessitati relinquitur.*

5 *Iudicium quæstionis, & praxis traditur.*

De hoc actum vidi in quodam syndicatu, & iudex fortiter in hac culpa perseuerabat, & super illa condemnare contendebat, innixus *in l.4. tit.10. lib.8. recopilat.* vbi etiamsi pars à querela discedat, poterunt iudices ex officio procedere. 1

Sed responsum fuit duobus modis. 2 Primò hanc quæstionem, & dubium non per illam legem sæcularem, sed per Ecclesiasticam esse iudicandum, nempe constitutionem Toletanam de iniuriis, vbi inter Clericos præcipitur quòd si amici iam sint facti super eisdem iniuriis, minimè procedatur, in foro enim Ecclesiastico priùs lex Canonica quærenda est, quàm temporalis, etsi inueniatur amplectenda, † & hinc est quòd 3 in dispositis ad pias causas ius Canonicum sit attendendum, vt suprà retulimus *quæst.73. num.12.*

Secundò, etiamsi lex illa sæcularis 4 iudicium faceret in præsenti, non ligat, nec arctat iudicem ad procedẽdum, sed in ipsius potestate relinquit, & notat Aceuedus ibi num 13. *dicens tunc iudex ex officio procedere poterit*, verbum autem *potest* absolutè positum non importat necessitatem. Tiraquell. *de ll connub gloss 4 num. 1.* dixi suprà *q 23 n.2.* vnde dici solet non quicquid iudicis

A a volun

voluntati, & potestati relinquitur, iuris necessitati relinquitur, vt *in l. non quidquid.ff.de iudiciis.* Farinac. *cons.*85. *post num.*168.

5 Errauit ergo dupliciter præfatus iudex, tam quia nimis sæcularis apparuit, nec viderat legem Ecclesiasticam, quàm quia priùs sæcularem ponderare tenebatur, vnde à sententia discedere se inuenit obligatum.

QVÆST. LXXXVI.

Non vulgaris.

Probationes quòd iudici Ecclesiastico, & sæculari sint arbitrariæ, ita vt in arbitrio iudicantis sit credere, vel non credere testibus, quomodo intelligendum, & accuratiùs hactenus explicatum.

SVMMARIVM.

1 *Fides testium ab arbitrio iudicis dependet, & intelligentia textus* in l.3. §.ideoque Diuus, ff.de testibus, *per totam quæstionem traditur.*

2 *Ex causa potest iudex à testibus discedere.*

3 *Hæc regula periculosa vocatur.*

4 *Arbitrium super nuda, & clara veritate fundari debet, & index tenetur testibus dignioribus credere.*

5 *Examinet intra se index suam voluntatem.*

6 *Sciat index multum interesse inter voluntatem, & arbitrium.*

7 *Arbitrium non credendi testibus ex actis prouenire debet.*

8 *Extra acta tale arbitrium sumi non potest, sed index indicare debet contra conscientiam propriam.*

9 *Ad res Audientiæ probandas ministri integri sunt testes, & iudicium syndicatus impugnatur.*

PRobationes esse iudici arbitrarias, & fidem testium à iudicis arbitrario dependere, probat communiter text. *in l.3.§.ideoque Diuus, de testibus,* in illis verbis, *Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, &c. in §.eiusdem*, ibi, *sed ex sententia animi tui te existimare oportere quòd aut credas, aut parum probatum tibi opineris,* &c. tradit alia multa referens Menoch. *de arbitrariis casu* 90. Couarr. *variar. resol. lib.*1. *cap.*1. *num.*2. §.*sexto.* Mandell. de Alba *p.*1. *consil.*99. *num.*7. 1

Imò addit ipse Menoch. *num.*5. cum Grammatico *decis.* 34. *num.*46. & 47. & cum Bart. *in l. Lucius, in fine, de his qui not. infamia,* posse iudicem ex causa non adhibere fidem testibus clarissimè pro aliquo deponentibus, & consilium præstant, vt causam scribat in actis, ne in syndicatu molestetur, Genuensis *in practicab. Eccles. q.*670. *num.*5. 2

Verùm hæc regula nimis periculosa est animabus, & conscientiis iudicum, dum ex illa illud quod est mentis iudicium, ad actum voluntatis propriæ deducunt aliquibus prætextibus simulatæ, ideò non parum gratum erit Deo, si super hoc veram tradamus cognitionem, limitando regulam aliquibus limitationibus ad intelligentiam text. *in d.l.*3. *de testibus.* 3

Prima erit limitatio quòd arbitrium hoc super nuda, & clara veritate fundetur, tanquam Deo inspiciente, qui conscientiæ testis est, & ita teneri iudicem in concursu probationum stare testibus dignioribus, & melioribus, & 4

clariùs

clariùs deponentibus, docuerunt Corsetus *singul.* 355. & Menochius *d. casu* 90. *num.* 8. Farinac. *de testibus quæst.* 65. *num.* 128.

5 Secunda quòd examinet intra se iudex quando se offert hæc quæstio, quæ sit voluntas sua, an illa moueat ipsum ad non credendum testibus, & quæ superficiales quærat rationes, vt hæc voluntas quasi mens iudicetur in pectore, & tanquam voluntas lateat in illo, multum enim interest hæc indagatio, vt non credat iudex quod de se credere non debet, & ad hoc discernendum petat à Deo oculos claros, & subtiles in anima, non in corpore.

6 Tertia quòd sciat iudex multum interesse inter voluntatem, & arbitrium, nam hoc est actus iudiciarius filius rectitudinis mentis, illa est actus voluntarius filius liberæ voluntatis, vt colligitur (licèt non ità declaratum) ex Menochio *de arbitrariis quæst.* 1. *num.* 4. & diximus *tract. de praecedentiis, quæst.*.. quod ergo circa probationes relinquitur, & conceditur arbitrio iudicis, hoc est, pro animi sui iudicio, hoc idem non relinquitur, nec conceditur voluntati eius pro libitu suo.

7 Quarta quòd arbitrium prædictum non credendi testibus, proueniat ex actis, nempe si testis in examine dubitet, vel declaret, per eundem præmeditatum sermonem, ita vt non rei, sed verbis inhæreat; vel sit testis qui habeat maculam, quæ veritati diminuat, potest enim macula, nõ diminuere, vel ex aliis; tunc bene potest iudex rectè testibus fidem non præstare, ex his quæ de processu resultant, videndus Couarr. *d. cap.* 1. *num.* 7. Aceued. *in l.* 10. *tit.* 17. *num.* 105. *lib.* 4. *recopil.* Ceuallos *com. contr. comm. q.* 696. *in fine.*

8 Quinta quòd si macula contra testes non ex actis, & processu resultet, sed iudex non vt iudex, sed vt priuatus cognoscat, tunc minimè possit testium fidem reiicere, sed etiam contra conscientiam propriam, iuxta allegata, & probata iudicare teneatur, ex toto capite Couarr. *d. lib.* 1. *cap.* 1. Menoch. *d. casu* 90. *num.* 9. Mascard. 1. *tom. de probat.* *q.* 1. *num.* 17. & *q.* 2. *num.* 15. Aceued. *in d. l.* 10. *num.* 119. Piasec. *in praxi Episc.* *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 28.

Sexta in syndicatu quodam à iudice audiui quòd Notarij, & Officiales qui super stylo, & consuetudinibus deponebant, de quibus diximus in quæstionibus præteritis, non erant testes integri, tanquam ab Audientia, & Vicario dependentes, & sua tractantes, & ita quod nolebat illis fidem dare, ex *d. l.* 3. *ff. de testibus*, quod iudicium terribile esse, & parum securum cogitaui. nam dictæ consuetudines quæ sunt in Audientiis, necessariò probari debent per ipsarum ministros, qui rectè integri sunt testes, sicut sunt domestici in rebus domesticis, de quibus magis sunt informati, vt latè congessit Farinacius *de testibus, quæst.* 55. *num.* 36. & 37. & ideò *suprà* diximus quòd iudex ponderet maculam testis, & perpendat an hæc veritati diminuat; quid enim ipsæ veritati repugnat, quòd testes declarent super prædictis, in quibus videntur domestici, si aliàs personæ sunt honorabiles, & bonæ opinionis, & quòd simpliciter visi sunt dicere veritatem, quam viderunt, & tractarunt, & quæ per alios meliùs probari non potest: vt ait textus *in d. l.* 3. §. *ideoque Diuus*, & *ibi* glossa *verb. dicere*; quare existimaui in me præfatum iudicem non multum ad allegata, & probata conspicere, & aliquantulum ad libitum iudicare, sub prætextu *d. l.* 3. & ideò hunc laborem aliis iudicibus etiam syndicatoribus proponere decreui bene acceptum, si rectis & non voluntariis, & malè si contrarium in animo habentes 9

inuenti fuerint, nec de huius quæstionis vtilitate, & accurata expositione insuper, & vera gloriari volumus, sicuti in præfatione ad lectorem protestati sumus.

QVÆST. LXXXVII.

Laicus qui irreuerenter loquitur cum suo Parocho, an possit à Vicario mulctari, & an super hac mulcta Vicarius de excessu suæ iurisdictionis in syndicatu redargui valeat.

SVMMARIVM.

1 *Laicus reuerentiam præstare debet suo Parocho qui est pater spiritualis, & de carnalibus ad spiritualia valet argumentum.*

2 *Pater etiam Clericum in minoribus poterit verberare, & idem potest Abbas respectu Monachi, & pater spiritualis respectu filij ætatis puerilis.*

3 *Castigatio quam Parochus adhibere nequit ex defectu coërtionis ad Vicarium patrem animarum, & Parochum totius Diœcesis transfunditur.*

4 *Quæ sit in hoc casu Vicarij castigatio, & in irreuerentia cum ipso habita, & praxis super illa.*

5 *Vicarius in hac castigatione terminos suæ iurisdictionis non excedit.*

6 *De hac castigatione syndicari Vicarius non valet, & laicus prorogare potest iurisdictionem Ecclesiastici.*

7 *Syndicator de officio in rebus partium se intromittere non potest.*

LAICVS reuerentiam præstare debet suo Parocho, à quo Sacramenta recipit, & est pater suus spiritualis, qui plebem sibi commissam, & animas custodit, *cap. Ecclesias* 13. *q.* 1. vnde sicut naturalis filius tenetur patrem naturalem tractare reuerenter, & obedienter, sic & filius spiritualis, cùm de carnalibus ad spiritualia valeat argumentum, dixi *suprà quæst.* 91. *num.* 2. 1

Et sicut pater carnalis pro irreuerentia sibi facta filium potest correctionis causa verberare, etiamsi fuerit Clericus in minoribus, nec tunc incidit in Canonem *si quis suadente diabolo.* Aufrer *de potest. sacul. in Eccles. fallent.* 12. Menoch. *de a bitrar. cas.* 364. sic & idem potest pater spiritualis in filio puerili nam in maiori alius correctionis modus est assumendus, & ita DD. ponunt exemplum in Abbate respectu Monachi, loquendo adhuc in verberando. 2

Quare sumpto ex prædictis argumento laicus, qui irreuerenter loquitur cum Parocho, ab ipso (si haberet gladium coërcionis in foro iudiciali) posset causa correctionis castigari, sed cùm Parochi prædictum gladium, & iurisdictionem contentiosam minimè habeant, vt est notissimum, hinc est quòd castigatio, quam Parochus non potest facere, ad Vicarium, & iudicem Ecclesiasticum transfunditur, qui etiam est pater animarum spiritualis, vt diximus *suprà quæst.* 23. *num.* 6. & est Parochus totius Diœcesis, Riccius *in praxi aurea, resol.* 284 *num.* 1. 3

Vnde Vicarius pro dicta irreuerentia, vel verbalem correctionem, vel mulctam pecuniariam, seu carceris pœnam, etiam aliquo formato processu, 4

ceſſu, licitè poterit apponere, ſicut quando irreuerentia fit cum ipſo iudice,& Vicario, vt docet & ſequitur Salcedo *in pract. criminal. cap.97. à §.nec illud, vſque ad finem capituli*, vbi bene aduertit quòd ad ponendam maiorem pœnam iudex laicus adeatur; & eſt ratio, quia tunc iam non paternalis correctio intrat, ſed iudicialis, & formalis punitio ſubſequitur; verùm hodie iam receptum eſt conſentientibus iudicibus ſæcularibus, quòd ab Eccleſiaſticis irreuerentia coram illis facta indiſtinctè puniatur, formando proceſſum ordinarium, & cum auxilio capturando, & ſententiam pronunciando, & ego ſic aliquoties practicaui.

5 Ex quibus conſideratis reſultat ſi in hac reuerentia Vicarius, prout dictum eſt, corrigat & puniat, minimè terminos ſuæ iuriſdictionis exceſſiſſe, nec de exceſſu redargui poſſe, cùm vſque ad aras ſibi licitas perueniat, nec vtatur iure alieno, ſed ſuo, vnde nemini facit iniuriam.

6 Et ampliùs dico, etiamſi prædictas aras, & terminos exceſſiſſet, non poſſe ſuper hoc ſyndicari, quando laicus citatus coram Eccleſiaſtico minimè declinauit, ſed tacitè prorogauit iuriſdictionem Eccleſiaſticam ex his quæ diximus ſuprà *quæſt*.30. *num*.18. quibus addendus eſt Maceraten *var. reſolut. lib*.1. *reſolut*.48. *num*.13. pluribus relatis.

7 Et ſic de officio ſuo ſyndicator minimè capitulum hoc poteſt apponere, parte non opponente, & querelante, & ſi faciat, mittit manum in meſſem alienam, & in rebus partium officium ſuum ipſis tacentibus impartitur contra iuris regulas, & colligitur ex traditis ab Aceued. *in l*.23. *num*.5. 6.7. *tit*.7. *lib*.3. *recopil*. cum aliis relatis Menoch. *conſil*.228. *num*.59. Tiraquell. *de priuileg. pia cauſa, priuileg*.152.

Vidi ego iudicem de hoc capitulum culpæ feciſſe in ſyndicatu, in quo iudico ex præfatis exceſſiſſe, auditis tamen conſiderationibus relatis à tali capitulo receſſit, reſeruando illæſum ius parti, in quo iuſtè iudicauit.

QVÆST. LXXXVIII.

Selecta, & noua.

An de Capitulis generalibus in ſyndicatu occurrentibus poſſit iudex diuidendo quamlibet ſpeciem actus, plura facere in indiuiduis Capitula.

SVMMARIVM.

1 *Caſus proponitur in ſuis ſpeciebus.*

2 *Æquitatem præ oculis habere debet index, & in dubio pro reo iudicare.*

3 *Crimina plura ſub vna pœna non plectuntur, & declaratur non procedere in criminibus ſucceſſiuis, & eiuſdem generis.*

4 *In culpis leuibus de plano procedendum, & de illis non fit ſyndicatus, & an fiat proceſſus.*

5 *Stylus ſyndicatuum ſuper culpis generalibus qualis ſit, & ille ſeruari debet.*

6 *Iudex ſyndicatus in coniungendis leuibus culpis cupidus iudicandus.*

7 *Syndicator debet iudicem ſyndicatum honorare, & præiudicium illi imponit in dictis culpis leuibus coniungendis.*

8 *Idem in culpis Notariorum, & cæterorum officialium dicendum.*

9 *Iudicium quoddam syndicatus & praxis reprobatur.*

1 ELECTA quæstio, & noua, de qui etiam gloriari nolumus, vt modò dicebamus *quæst.* 86. *in fine*, & in paucis eius cognitio versatur, nam de facto potest syndicator iudex multiplicare culparum capitula in actibus singularibus & separatis, sed non de iure, cuius regula docet id posse quod de iure potest: quod autem de facto fit, fieri non valet, quia iure refragante fit. nam si in Audientiis Ecclesiasticis, siue secularibus inueniatur aliquid factum ordinariè tanquam de stylo, & consuetudine, veluti in sententiis sacrilegiorum, quòd Vicarius tertiam, aut vnam partem condemnationis percipiet, vt *in quæst.* 79 & 83. vel quòd nuncij mittantur à Visitatoribus ad Ecclesias visitandas, vt *in quæst.* 80. vel quòd rei in carceribus præsentati statim soluent salarium receptorum, vt *in quæst.* 84. vel sit inuentum quòd Monitoria pro rebus furtiuis contra prohibitionem sint concessa, & in aliis exemplis, & iudex velit vnumquodque singulare diuidere, vt plura complicet capitula, iniuriam facit, & procedit in infinitum.

2 Primò, quia animum insinuat habere magis pronum ad condemnandum, quàm ad liberandum contra æquitatem, quam præ oculus habere debet, *l. quod si Ephesi, ff. de eo quod certo loco.* Menoch. *de arbitr. quæst.* 65. *num.* 5.

Secundò; quia accepto & admisso illo animo. nunquam in dubio pro reo iudicabit, prout tenetur, *cap. actori, de regul. iuris in 6.* nec de rei innocentia curabit inquirere, *l.* 1 *§. si quis vltrò, ff. de quæst.* Ceuallos *comm. contr. com. quæst.* 821. *num.* 6.

3 Tertiò, quia licèt plura delicta non vnica, sed pluribus pœnis plecti debeant, ex regula textus, *in l. nunquam plura, ff. de priuat. delict.* hæc tamen regula fallit in pluribus delictis successiuis ex interuallo commissis, & eiusdem generis, vt in exemplis positis *suprà num.* 1. tunc solùm vnicam pœnam imponendam probat textus *in l. ei qui. §. infans, de furtis, & in l. maritus §. sex mensium, de adulteriis*, docet cum aliis Farinac. *tom.* 1. *tit. de delict. & pæn. q.* 22. *num.* 17. plures etiam congerit Guttier. *pract. qq. lib.* 4. *quæst.* 41. *num.* 9 & 10. vbi tradit quòd si pœna consistit in certa specie, non habet locum multiplicatio, & sic qui furatur, & leges extra Regnum exportationem frumenti prohibentes transgreditur sæpiùs, & adulter & concubinatui seruiens & transgressor pragmat. taxæ panis, hi omnes & alij delinquentes in pluribus delictis successiuis, & eiusdem generis etiam diuersi temporis solùm vna pœna tenentur, & si hoc procedit in culpis & delictis maioribus, in leuibus multo meliùs admittendus erit, & sic quando culpæ sunt leues, & bona fide commissæ, iniustissimum erit pluribus pœnis illas mulctare.

Quare inde dicitur in iure quòd in culpis leuibus de plano procedatur, vt *in l. leuia delicta, ff. de accusat.* consilium de syndicatu, inter opera Iulij Clari *num.* 283. vbi in terminis syndicatus Vicarij scribit Vicarium solum de furtis, baratariis ac illicitis extorsionibus debere syndicari, non de rebus leuibus. Auiles *iudicum syndicatus cap.* 1. *num.* 9. An verò in leuibus criminibus processus euitandus sit, Auendan. *cap.* 16. *Prætor. num. fin. lib.* 2. tenet quòd sic, & contrarium docet Aceued. *in l.* 19. *n.* 1. *tit.* 9. *lib.* 3. *recopil.* 4

Quartò, quia stylus in syndicatibus receptus est quòd culpæ generales generaliter formentur, & puniantur in 5

genere

genere suo; non verò in speciebus & in diuiduis constitit, viso processu alterius syndicatus, & qui prædictum stylum non obseruat, culpæ reus est, cùm ille robur obtineat, & obseruandus sit, & ab eo argumentum in iure sumatur, & *suprà* dixi *quæst.* 79. *num.* 3.

6 Quintò, quia iudex in prædictis indiuiduis leuium culparum manifestè cupidus est, & animum ad salaria percipienda demonstrat. Si enim ad illa non aspiceret, nec ex prædictis leuibus culpis mulctas percipere non intenderet, vtique non singulariter illas distingueret; sed in generibus formaret. quare talis iudex in pœnas contra cupidos latas incidit, & rectitudinem iustitiæ non seruat, vt *suprà quæst.* 82. *num.* 5.

7 Sextò, quia syndicator debet iudicem syndicatum honorare. Puteus *de syndicatu, verb. durante el officio, num.* 2. *fol.* 173. Castillo *in Politic.* 2. *part. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 52. 53. 54. Acened. *in l.* 7. *num.* 1. *&* 2. *tit.* 7. *lib.* 3. *recopil.* & in quantum possit si iudex bonus est, & benemeritus, de honore eius nihil diminuere, cùm in hoc ius suum syndicator vnicuique tribuat: at quando de culpis leuibus, quæ ad vnam culpam in suo genere erant ad summum reducendæ, plures & distinctas cumulat, & adiungit, nihil aliud facit, quàm populo indocto, & res à prima facie accipienti occasionem detractionis & vituperij contra bonum iudicem tribuere ipsum ad plures relationes & excusationes compellendo, nec huic culpæ satisfacere potest syndicator, dicendo quòd culpæ prout qualibet in processibus, aut libris inter visitandum reperitur, scribuntur in capitulis syndicatus, quia postquam sunt scriptæ, reuideri debent, & prudenter perpendi, & ita rescribi, vt minus proximos offendant charitatis & iustitiæ præcepto illud strictè præcipiente.

Idem quod dictum remanet in iudicibus, per eandem rationem asseuerandum erit in Notariis & scribis & cæteris ministris, ita vt culpæ in processibus contra eos inuentæ si sint leues & generales relicti, acta sine subscriptionibus, mandata non integrè conscripta, vel aliæ scripturæ cum defectibus leuibus, & sic in cæteris, quòd tunc iniustum sit illos præscindere ad plures condemnationes, sed sub vna mulctare & corrigere. 8

In quodam syndicatu hæc omnia facta fuerunt sicut prædiximus, ideo vt cæteri iudices ab illis in posterum discederent, aduertere & exponere non displicuit. 9

QVÆST. LXXXIX.

Non vulgaris.

An si Vicarius substitutum Theologum in officio relinquat dum abest, aut ægrotatur, nec salarium constituat pro Assessore substituti, posit in syndicatu super hoc mulctari, aut syndicari.

SVMMARIVM.

1. *Vicarius quomodo substitutum eligat.*
2. *Vicarius Theologus esse nequit, nec eius substitutus.*
3. *Deficiente Iurisperito Theologus substitutus nominari potest, & quomodo.*
4. *Assessorius an Vicarius, seu populus soluat.*

5 Stan

5 *Stante consuetudine Assessorias populus soluit, & etiamsi salarium iudex non habeat.*

6 *Ad praxim syndicatus applicantur praedicta.*

7 *Facere quod consuetum est, sine culpa est.*

8 *Assessoriarum perceptio facta à substituto Vicarij, ei est imputanda, non Vicario.*

9 *Dominus quando de delicto famuli, aut vxoris teneatur.*

10 *Assessoriarum culpa de officio nequit opponi, & in specie errores aliqui syndicatoris numerantur.*

1 VICARIVS in constituendo substituto, quem vel ex facultate sibi concessa poterit constituere, vel sine illa ad modicum tempus, & ex magna causa. Riccius *praxi fori, tit. praxis vicariat. cap. sed vac. decis.* 477. *num.* 5. *&* 6. cum aliis, *& in praxi aurea, resol.* 113. latè cum pluribus Cerola *in praxi verb. Vicarius, §. quartum dubium*. eligere debet Iurisperitum, qui per se possit causas ad forum Ecclesiasticum pertingentes resoluere.

2 † Nam quemadmodum Theologus Vicarius proprius esse non potest, sed Doctor, vel Licentiatus, aut idoneus in iure Canonico, ex dispositione Trident. *sess.* 24 *cap.* 6. & disputat in terminis alios referens Riccius *d. praxi fori Eccles. & tit. praxis Vicariat. cap. sed. vac. decis.* 473. *num* 1. *& seq.* sic similiter substitutus Vicarij, cùm idem officium exerceat, non poterit esse Theologus, ex *eadem regula*.

3 Quae limitatur, Iurisperito deficiente, quia in eius defectum Theologus nominari potest pro substituto Vicarij cum qualitate vt sententias non per se ipsum, sed cùm Assessoris periti consilio pronunciet, sicuti in iudicibus Apostolicis seruari praeceptum est in constitutione Leonis X. incipit, *Regimini vniuersalis Ecclesiae*, quam refert idem Riccius *d. praxi, & titulo, in fine,* in notabilibus facit textus *in cap. statutum*, & *ibi* glossa *verb. copia, & verb. peritorum, de rescript. in* 6.

Assessorias autem an soluere debeat Vicarius, vel à populo sint exigendae, dubium est, in quo regulariter dicitur iudices Ecclesiasticos imperitos, vel nō, minimè posse recipere Assessorias, vt cum Segura paucis verbis tradidit Flores de Mena *var. qq. lib.* 1. *quaest.* 8. §. 4. *num.* 6. contrarium tenet Auiles *cap. praetor cap.* 1. *num.* 23. cum Paulo de Castro *in l. consilium, de officio assessor.* per text. *in cap. statutum, §. Assessorem, de rescript. in* 6. vbi si iudex sit imperitus, potest expensis partium Assessorem assumere, eo maximè si salarium non habeat ex publico ex Archiepiscop. Florentino ibi relato, etsi sit consuetudo assumēdi, Auendañus *de exeq. mand.* 2. *p. cap.* 10. *num.* 6. vbi quòd si iudices non sunt salariati, possunt percipere assessorias, ex *l. fin. tit.* 21. *p.* 3. Puteus *de syndic. in parte salaria, c. an syndicatores.* idem Flores *d.* §. 4. *num.* 2. Verùm iuxta regulam Flores de Mena Vicarium debere illas soluere Assessori videbatur. 4

Quae dato quòd vera sit, limitatur stante consuetudine quadragenaria, seu immemorabili, ex pluribus congestis per eundem Flores *d.* §. 4. *num.* 8. & ex sententia Archiepiscopi Florentini *proximè relati*, & limitatur etiam in iudicibus salariatis, secus in non salariatis, ex Auilesio, Auendaño, Puteo, & *lege Partita* relatis *suprà num* 4. & tertiò limitatur in iudicibus imperitis propter textum apertum *in d. §. Assessorem*, qui possunt recipere Assessorias; secus verò periti, idem Flores *d.* § 4 *num* 3. 5

Quare deducendo haec omnia ad syndicatus praxim, vidi semel quod de 6

hac

hac quæstione fuit actum, & impositũ Vicario quòd substitutus Theologus cum Assessore iudicãs accipiebat à partibus assessorias, vt Assessori satisfaceret, quod iudex syndicatus dicebat fieri nõ posse, sed quòd Vicarius de suo daret Assessori salariũ; fuit illi responsum, & probatum, à multo tempore substitutũ fuisse Theologum, & quòd Vicarius si ipse pro se salarium non percipiebat, quomodo poterat illud alteri præstare? & quòd vnquam solut. erat in Vicariis antecessoribus talis præstatio, quibus non obstantibus iudex illud pro culpa notabit, sed immeritò.

7 Nam facere quod consuetum est, sine noxa est, vt *suprà quæst.* 83. *num.* 4. *q.* 84. *num.* 5. potuisset ergo culpa notari in Vicario qui salarium excusaret, aut non daret Assessori, cùm solitum esset ab antiquis, & ob id introduceret assessorias, si ipse Vicarius salariatus, aut substitutus peritus esset, & inueniretur, ex dictis *suprà num.* 5. quibus deficientibus nulla culpa est nec in Theologo nominato, Iurisperito non reperto, nec in salario non solito pro Assessore substituti non constituto, & ob id assessorias non introducendo, sed solitas percipiendo pro substituto imperito, iuxta text. *in d. §. Assessorem,* & in defectum salarij, iuxta legem partitæ *suprà num.* 4.

8 Vltimò Vicarius in prædictis substituti assessoriis non est culpabilis, quia illas substitutus exegit, non Vicarius, qui solùm elegit Theologum, & sic duæ sunt actiones, vna pertinet ad Vicarium in Theologi nominatione, in qua non inuento Iurisperito, minimè culpa inest; altera pertinet ad substitutum in exigendo assessorias pro suo Assessore, & sic pro hac actione à Vicario non facta, nec ordinata ei non est culpa imputanda, sed substituto.

9 Nec dicetur quòd dependet à nominatione substituti assessoriarum exactio, & quòd de illis teneatur Vicarius tanquam dans causam, & principium, quia respondetur dominum nòn teneri de delicto famuli, si in illo est inculpabilis, nec mandauit facere delictum, eo maximè si exhiberet famulum, vt latissimè Farinac. *de variis & diuers. crimin. tom.* 3. *quæst.* 112. *num.* 111. *n.* 117. *& num.* 125. vbi idem de domino respectu suæ vxoris; cùm ergo non constet Vicarium mandasse substituto, vt assessorias exigeret, proculdubio si in illis aliquid culpabile est, substituti exhibiti est, in quo etiam nulla culpa est, ex prædictis considerationibus, quæ tam in Vicario, quàm in substituto concludunt.

Vltimò hæc culpa non potuit opponi de officio, sed ad populi interesse habentis instantiam, vt *suprà q.* 82. *num* 7. *& q.* 87. *num.* 7. Videantur ergo quanti in vna actione sunt errores; primus, quia iudex de officio egit quod ad instantiam facere debebat: secundus, quia regulam text. *in d. §. Assessorem,* quæ iudici imperito permittit assessorias, violauit. Tertius, quia regulam text. *in d. l. partita,* pro iudice non salariato despexit. Quartus, quia consuetudinem assessoriarum implicitè probatam non admisit. Quintus, quia substituti culpam Vicario non facienti imposuit. Bene igitur poterat syndicator de his & aliis erroribus iterum syndicari, & tunc in proprio capite alios syndicare sine grauaminibus addisceret. 10

QVÆST. XC.

Non vulgatis.

An post mortem Vicarij de culpis eius per syndicatum possit agi.

SVMMARIVM.

1 *Delictum morte finitur.*
2 *Limitatur in crimine repetundarum.*
3 *Limitatur in pœna rei, non personæ.*
4 *Asseruntur quædam doctrinæ Barbosæ, & declarantur, & quid in eis intelligendis requiratur.*
5 *Applicantur prædicta ad praxim syndicatus, & ipsa refertur, & reprobatur.*

1 IN hac quæstione regula est delictum morte finiri. Iulius Clarus *quæst.* 51. *num.* 12. Gomezius *de delictis cap.* 1. *num.* 78. Farinac. *tom.* 1. *quæst.* 10. *num.* 36. cum infinitis, & iuribus relatis.

2 Quæ limitatur inter alios casus in crimine repetundarum, Sebastian. Medic. *tract. Mors omnia soluit, p.* 3. *n.* 75. alios referens Gomez *d. c.* 1. *n.* 80. *vers. tertius casus.* Clar. *d. quæst.* 51. *num.* 13. Farinac. *d. q.* 10. *n.* 75 & hoc quoad pœnam bonorum, ex *l. iudiciorum, & ibi* glossa, *de accusation.* Auiles *iudicum syndicatus cap.* 1. *num.* 16. *in fine.*

3 Limitatur etiam in pœna quæ non personæ, sed rei cohæret, ita vt res turpis restituatur, & turpe lucrum, vt per text *in l. Caius ff. ad Syllan. & in l. si pro fure, §. fin. ff. de condict. furt.* docuit præfatus Medic. *tract. Mors omnia soluit, p.* 3. *n.* 70. Auiles *d. n.* 16. §. *quod limita.*

4 Congruit huic doctrinæ quod traditur à Barbosa doctissimo viro *ad l. si filiusfamilias* 15. *ff. de iudiciis à num.* 66. *& pluribus seqq.* maximè 86. vbi quòd actio oriens ex delicto, si sit pœnalis, non transit in hæredes delinquentis, & si sit rei persecutoria, aut realis, transit ex §. *his autem verbis, Instit. ad l. Aquil.* & affert *ibi* Barbosa præter Couarr. *var. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7. *ad finem,* prædictum textum *in d. l. si pro fure, & num.* 88. respondet ad textum *in l. Iulianus* 16. *eod. tit. de iudiciis*, vt *ibi* Iureconsultus bene fuerit ab aliis notatus, & reprehensus in tenendo contrarium in iudice malè iudicante, vt detur actio contra eius hæredes etiam lite non contestata, cum iudice defuncto.

Et etiam respondet *num.* 96. *&* 97. *vsque ad* 110. ad text. *in l.* 4. §. *finali, de damno infecto.* vbi datur actio contra hæredes iudicis negligentis in administranda iustitia parti, quia delictum omissionis reputatur quasi rei persecutoria, & quòd delictum est causa remota, vt *ibi num.* 116. declaro quòd omissio est quid remotum, & proximum est damnum partis in re, hoc modo videtur quòd actio propter omissionem iudicis dicatur principaliter, & proximè rei persecutoria, & realis, & secundariò, & remotè pœnalis, & sic tanquam realis detur contra hæredes iudicis negligentis. Hæ Barbosæ speculationes requirunt in legente perspicuum ingenij acumen, ideò in illis cautè est considerandum, & non facilè cõsentiendũ, nam vt plurimum dum magis mentis alas ad sublimia extendimus, in eisdem vacui ad infirma reuertimus.

Venio ad Vicarij syndicatum, in quo 5
substitutus eius iam defunctus fuit in aliquibus culpis leuibus inuentus, nēpe in paruis condemnationibus sibi ex aliqua causa applicatis, quæ ad Cameram, seu iustitiæ expensas pertinebant, quod si delictum fuit rei sibi applicatæ, ita vt persecutoria competeret contra eius hæredes, non verò damnari deberet substitutus in parte quam virtute legis, aut consuetudinis sibi poterat applicare, de quibus agimus *suprà q.* 79.

quia

quia iam in hac condemnatione ponitur alia pœna, quàm rei persecutoria, contra iuris dispositionem, vt *suprà num.* 1. & vidi iudicem in hoc excedere contra quemdam substitutum Vicarij, dum hæredibus culparum tradidit copiam, & ab eis condemnationes & partem ad ipsum substitutum pertinentem percepit.

QVÆST. XCI.

Non vulgaris.

De quibus causis cognoscere potest Visitator Ecclesiasticus, dum Ecclesias visitat.

SVMMARIVM.

1 *Visitationum scopus qualis sit.*
2 *Visitator suis facultatibus inhæreat.*
3 *Causæ beneficiales in visitationibus non tractantur, & quid in eis & alijs practicetur.*
4 *Quid etiam practicetur de alijs causis grauibus.*
5 *Negotia grauia, si visitatio duret, etiam in ea expediri possunt.*
6 *Frequentia negotia visitationum qualia.*
7 *Causæ matrimoniales an in visitatione expediantur, & proponitur quædam distinctio earum, & quòd visitator est delegatus.*
8 *An visitatores habeant iurisdictionem ordinariam.*
9 *Electi cum generalitate causarum æquiparantur Vicarijs ordinarijs, & si habuerint in mandatis de matrimonialibus cognoscant.*
10 *Si non habuerint, non cognoscant ciuilia matrimonialia, sed criminalia ad cohabitationem.*
11 *Idem de licentijs ad confitendum & monitorijs generalibus, & refertur casus in practica.*
12 *An in actis visitationum intret appellatio aut inhibitio.*
13 *Si de morum correctione agitur, parum nocet processus ad excludendam appellationem, & modus non mutat substantiam rei.*
14 *Causa magni ponderis si in visitatione breuiter velit iudicari excessus sit, & intrat appellatio.*
15 *Stylus processandi in causis visitationum qualis sit.*

Licet per Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 3 generaliter statuatur visitationum scopum esse bonos mores tueri, & prauos corrigere, & Episcopum, eòque impedito Visitatorem ab ipso nominatum in eisdem prauis moribus debere generaliter intendere. Seraphinus *decis.* 475. *num.* 2. & licèt Doctores de materiis visitationis tractantes plura cumulent facienda, inquirenda, tractanda, & iudicanda in eadem visitatione, vt Piasecius *in praxi de visitatione, à cap.* 20. 21. 22. Tuschus *in suo tractatu*, Cerola *in pract. verb. visitatio*, cum aliis ab eisdem relatis. 1

Illud tamen certum est quòd (secluso ipso Episcopo, qui generalem habet cognoscendi facultatem) Visitator ipsius illam habebit, quam ipse ei in facultatibus & mandatis subdelegauerit, vnde cùm hæ facultates sint Episcopo arbitrariæ, & possint ad libitum restringi, aut ampliari, certa regula dari nequit, nec alia quærenda quàm quòd Visitator fideliter prædictis facultatibus in causis & negotiis inhæreat. 2

In praxi autem visitationis vt plurimum causæ beneficiales non tractantur, nec super Capellaniarum titulo, 3

aut iure, nec super collationibus, aut patronatibus, nisi ad summum aliqua fit informatio, & ad Vicarium generalem, seu ad ipsum Episcopum, vel consilium eius, si adsit, transmittitur. idem de aliis causis tam ciuilibus, quàm materialibus, quæ breuiter in iudicio summario & celeri visitationis expediri non possunt, notat Piasecius *d. praxi, & cap. 22. § negotia quoque ciuilia.* & sic practicatur in diœcesi Toletana.

4 Idem fit per eamdem rationem de causis criminalibus grauibus, quæ de sui natura requirunt altiorem indaginem, nec possunt breuiter ponderari, eo maximè quando rei se defendere contendunt, tunc namque ipsi cum processu ad Vicarium generalem suis expensis remittuntur, vel ad Concilium Toletanum, quod est frequentius; aut citati cum censuris, aut cum custodibus carcerati arbitrio eiusdem Visitatoris. Piasecius *d. cap 22. in princ.* & sic etiam vidi & practicaui.

5 Per hoc tamen non est negandum quòd licèt Visitatoris officium in negotiis summariis intendat, non in ordinariis, quòd si visitatio sit longa in aliquibus locis, & duret per tempus sufficiens ad expeditionem alicuius negotij, aut criminis, etiam per terminos ordinarios, quòd Visitator per ipsos tale negotium expedire & substantiare & iudicare non possit. nam frequentia in summariis tollere non debet potestatem in ordinariis, si per tempus iam licet, nisi facultates omnino in illis hanc dilatationem excluderent.

6 Frequentia verò negotia quæ in visitatione occurrunt, sunt ciuilia super debitis ciuilibus, & super decimis, & negotia criminalia super delictis carnis concubinatus, incestus, & lenocinij, & maleficij, item & sacrilegij, & immunitatis Ecclesiarum.

7 Sed dubitaui aliquando, an Visitator posset de causis matrimonialibus cognoscere tam ciuiliter, quàm criminaliter; ciuiliter dicitur, quando dantur publicationes & licentia Parocho, vt coniungat, & quando ponitur libellus ciuilis super diuortio: criminaliter, quando contra coniunctos proceditur, quia sine iudicio Ecclesiæ separantur, & diuiduntur, faciebat dubitationem, quia hæ causæ propriè pertinent ad iurisdictionem Vicarij, qui est ordinarius, ex Concil. Trident. *sess. 24. cap. 20. § ad hæc causæ,* &c. Visitator autem non dicitur nisi Commissarius & Delegatus, vt constat ex Piasecio *d praxi, part. 1. cap. 7.*

In contrarium videtur quòd prædictæ causæ possunt in visitatione expediri: nam licèt Cerola *in pract. Episc. 1. part. § visitatio, in fine,* disputet, an Visitator habeat iurisdictionem ordinariam, & remittat ad Baldum *in cap. in singulis, de statu Monach.* Ego tamen illo viso non inueni illum titulum in Baldo, sed Panormit. *in d. cap. in singulis, n. 3.* disputat illum articulum, & docet quòd Visitatores Monachorum dicuntur delegati, si eligantur illis verbis *vice nostra.* 8

Vtcumque sit, illud certum est quòd Visitatores Clerici, siue Monachi electi vice Prælatorum cum generalitate causarum, æquiparantur Vicariis ordinariis. glossa *verb. delegatus, in fine.* ibi, *quia quasi ordinarius videtur, in cap. cùm causam, de appellat.* Menoch. *de arbitrar. lib. 1. quæst 67. num. 31.* Vantius *de nullitat. tit. coram quo nullit. num. 7.* quia visitatio pendet à iurisdictione ordinaria. Seraphinus *decis. 615. n. 2. & decis. 1008. num. 4.* seclusis aliquibus rebus quoad prædictas causas Visitatores & Vicarij in nihilo alio differunt, nisi quòd Visitatores habent iurisdictionem per modum transeuntis; Vicarij verò per modum permanentis, 9

tis; vnde ſicut Vicarij foranei cum generalitate cauſarum poſſunt cognoſcere de cauſis matrimonialibus, & ſic practicatur ex eodem fundamento, quia æquiparantur ordinariis, & quia habent in mandatis expreſſam mentionem de matrimonialibus; ſic & Viſitatores ſi habuerint hanc mentionem, poſſunt ſimiliter cognoſcere per tempus viſitationis.

10 Si verò non habuerint in mandatis, neſcio quomodo cauſæ matrimoniales ad Viſitatores pertineant, & viſis ſynodalibus Toletanis, & facultatibus Viſitatorum ibi contentis, & viſis titulis illis datis, minimè video mentionem facere de cauſis matrimonialibus; quare de illis Viſitatores cognoſcere poſſe minimè dicendum, niſi expreſſam de illis habuerint delegationem. nam etiamſi in facultatibus dicatur, inquiras & corrigas, vt ait Graſſis *deciſ. aur. part. 2. lib. 3. cap. 27. num. 25.* non ideo hæc verba matrimonialia iudicia in ciuilibus comprehendunt, comprehendent tamen matrimonialia circa cohabitationem, & ſic practicatur.

11 Idem dicendum eſt de licentiis ad confitendum, & de monitoriis generalibus pro rebus ablatis, & memor ſum quemdam Viſitatorem prædicta monitoria præſtitiſſe, & mecum illud communicans illum de defectu iuriſdictionis in illis admonui, & ſe amplius non præſtaturum reſpondit.

12 Acta verò & ſententiæ latæ in viſitatione an ſint exequendæ appellatione, aut inhibitione pendente, in practica ſe offert, in quo dico quòd duo ſunt genera actorum ciuilium, & criminalium, in illis non eſt dubium, quin intret appellatio, & inhibitio; in his videtur quòd per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 10.* prohibeatur in rebus quæ ad morum correctionem ſpectant, refert cum ſacræ Congregat. declarat. Cerola *in pract. 2. part. verb. viſitatio, §. quinto.* Maceraten. *variarum reſolutionum lib. 1. reſolut. 85. num. 10. & reſolut. 110. num. 14.* Lancellotus *de attent. appel. pend. à num. 6. vſque ad 9* Scaccia *de appell. quæſt. 17. limit. 26.* Piaſecius *d. pract. de viſitatione, cap. 21. num. 14. §. his generaliter.* vbi aduertit hoc procedere quando in delictis notoriis proceditur ſummariè, non compilato proceſſu; verùm cùm hodie ſemper compiletur, & aliquando cum terminis, licèt breuioribus, hinc reſultat dubium propoſitum plus corroborari.

In quo ego aſſentio finali intentioni Concilij, nempe ſi agatur etiam cum proceſſu ordinario de morum correctione, & hoc in viſitatione, quod tunc parum noceat modus proceſſandi; & nihilominus exequi valeat correctio, ſpreta appellatione, aut inhibitione, quia non debemus curare de modo, cùm habemus effectum. nam modus non mutat ſubſtantiam rei. *l. cùm ſeruus, de verborum obligat.* & *ibi* Iaſ. Menoch. *conſ. 35. n. 22.* cum Grammatico *deciſ. 36. num. 75.* 13

Quod declarandum eſt procedere ſecluſo exceſſu in viſitatione, nempe quando res grauis & cauſa pœnæ corporalis, aut magni ponderis, omiſſis ſolemnibus iudicij, & non datis competentibus terminis, in viſitatione diffiniri contendatur. Scaccia *dicta quæſt. 17. & limit. 26. num. 10. §. ego non diſcedo.* 14

Stylus autem proceſſandi in viſitatione eſt compilare proceſſum ſummarium, vel ex officio, vel ad inſtantiam partis, ſeu Fiſcalis, poſtea rei capturantur, quorum confeſſionibus receptis datur illis copia culpæ, ſine teſtium nominibus, ſi timetur periculum cum aliquo breui termino, in quo poſſint à culpa ſe exonerare, poſtea teſtibus non ratificatis ſequitur ſententia quæ vtplurimum in culpis ordinariis 15

delictorum carnis est pecuniaria, & si oportet, adhibetur cum illa aliquod exilium, aut relegatio; si verò delictum est de pœna corporali, & visitatio tempus habet, procedi debet cum terminis communibus, testibus ratificitis, & postea sententia corporalis exequi potest, si de morum correctione in causa tractatur, & delictum concludenter est probatum, & reus excusationes legitimas, aut testium reprobationes non probauit; si verò aliquod dubium extiterit, sententiam Visitator non exequatur, sed appellationi deferat; maximè si sit Theologus. nam in dubio in æquiorem partem est iudicandum secundùm iuris principium, præsertim in fauorem rei.

QVÆST. XCII.

De potestate Vicariorum tam generalium, quàm foraneorum.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur DD. de Vicariis tractantes.*
2 *Ordinationes Toletanæ Vicariis datæ transcribuntur.*
3 *Quædam notationes contra præfatas ordinationes inseruntur.*
4 *Vicarij Toletani qui sint Pedanei, & qui foranei.*
5 *Ad Vicarios generales Toletanos admonitio.*

1 NON intendo omnia quæ de Vicariorum potestate scripta sunt transcribere, & transmeare, sed illa ad suos fontes & Authores peculiariter scribentes remittere, vti sunt Sbrocius *de Vicar.* Marescot. *var. resolut. lib. 1. cap. 55. n. 28. & 29. & lib. 1. cap. 69. à num. 2. vsque ad 27.* Cardinalis Tuschus, & Bertachinus *in suis Repertor. verb. Vicarius.* Cerola *in sua pract. eod. verb.* Maceraten. *in pract. in pluribus resolut. vt in eod. verb. in indice.* Riccius *praxi fori, tit. praxis Vicar. cap. sed. vac. & in praxi aurea in pluribus resolut. vt in indice verb. Vicarius.* Leo *in suo Thesauro fori Eccles. cap. 10.* Genuensis *in praxi Archiepisc. cap. 43. & cap. 58.* Piasecius *in sua pract. pluribus in locis*, vt *in indice eod. verb.* Graffis *decis. aur. conscientiæ 1. & 2 parte in eod. verbo, & indice.* Gutierr. *Canonic. qq.* similiter Rebuffus *in praxi benef.c. tit. de Vicariis Episcoporum.*

Solùm intendo circa praxim transcribere quasdam ordinationes datas olim Vicariis Archiepiscopatus Toletani in quibus plures positæ sunt prohibitiones, & restrictiones, in exercitio & vsu suorum officiorum, quas, vt meliùs postea super illis Lector meditetur, ad literam repetere non displicuit. 2

Instrucion para los Vicarios Pedaneos d'el Arçobispado de Toledo.

DON Fernando por la gracia de Dios Infante de España, Cardenal de la santa Iglesia de Roma, del titulo de santa Maria in Porticu, Administrador perpetuo del Arçobispado de Toledo, Primado de las Españas, Chanciller mayor de Castilla, &c. Porque auemos acordado dar a los nuestros Vicarios deste nuestro Arçobispado instruciones para que

que sepan y entiendan las causas, cosas, y casos de que no pueden ni deuen conocer, por estar priuatiuamente reseruados a nos, o a los del nuestro Consejo: las quales instruciones estan despachadas en quanto a los Vicarios generales de Toledo, y Alcala: y para que los otros que no lo son, sino Pedaneos, como son el de Madrid, Talauera, Ciudad Real, Alcaraz, Caçorla, y Huescar, y otros qualesquier Iuezes, tengan su instrucion, y sepan y entiendan las causas en que no se pueden entrometer a conocer, auemos acordado darsela; por tanto por la presente mandamos alos dichos Vicarios Pedaneos, y a cada vno dellos, no se entrometan a conocer de las causas, negocios, y casos expressados en la dicha instrucion: laqual guarden y cumplan que es en la forma y manera siguiente.

Casos en que no pueden conocer los Vicarios generales de Toledo, y Alcala, ni los otros Vicarios, ni Visitadores del Arçobispado.

No puede hazer colacion de ningun Beneficio, o Capellania que vacare por muerte, o en otra qualquier manera, ni de los que son a presentacion de su Magestad, o de otro señor: ni entrometerse a conocer de las causas que tocaren a presentacion, o prouision de Beneficio, o Capellania, memorias, vinculos, patronazgos, y otros derechos en semejantes casos, de qualquier genero que sean; ni de los patronazgos de lo susodicho, ni de capillas, Iglesias, Monasterios, Hospitales, y otros lugares pios: loqual se entiende aunque las Capellanias no sean colatiuas, sino adjudicadas, o con otro titulo: que todo esto toca priuatiuamente al Consejo.

Licencias de non residendo, a los Curas, Beneficiados, o Capellanes, toca al Consejo priuatiuamente.

Causas contra Curas, criminales, o ciuiles, por auer fecho ausencia de sus beneficios sin licentia, o para vacarselos por no residirlos; toca al Consejo priuatiuamente.

Causas contra Capellanes por no residir las capellanias, o memorias, en que se pretenda priuarlos, o para qualquier otra causa, o compelerlos a que residan y siruan, o otra qualquier cosa en esta materia, toca solo al Consejo.

Aprouacion de Notarios, en todo, o en parte, toca al Consejo solamente.

Licencias para que se pueda representar en Iglesias, o lugares sagrados, no puede dar ningun Vicario, ni Visitador; toca solo al Consejo, que la da quando ay causa para ello.

Licencia para que el santissimo Sacramento este patente todo el dia, o parte del, y para que salga en procession, toca solamente al Consejo.

Licencia para que salgan proces-

siones

siones fuera del ambito de las Iglesias, o a lugares en que aya mas distancia de lo que dispone la Synodal, toca solo al Consejo.

Dispensar con ninguno para confessar que no tenga quarenta años, no puede hazerlo sino el Prelado, o su Consejo; sino fuere Teniente de Cura, o Beneficiado, o Teniente de Beneficiado, que requiera administracion de Sacramentos.

Licencias para trabajar en dias de fiesta, por alguna cosa, toca al Consejo; y ningun Vicario puede darla, por ser contra constitucion.

Licencia para dezir Missa en oratorios priuados, general, o particular, por tiempo, toca al Consejo, e ningun Vicario, ni otro Iuez la puede dar, aunque sea para que en altar portatil se diga a vn enfermo, o para comulgarle, ni pueden visitar los dichos oratorios para declarar si estan decentes.

Licencia para que mugeres puedan entrar a oyr Missa, y los diuinos Oficios, en capillas mayores, o colaterales, o otros lugares prohibidos, y para meter alfombras, y almohadas, estrados, o estradillos, toca al Consejo, por ser contra constitucion, y cartas acordadas.

Libranças de Missas de ninguna cantidad, ni en ninguna manera, para ningun Cura, Receptor, o Colector de Missas, ni en los albaceas de difuntos, ni en otra persona, no puede darla sino el Consejo.

No puede ningun Vicario general, ni particular, ni otro Visitador, ni Iuez, dispensar en cosa alguna que sea prohibida por constitucion Synodal, o por cartas acordadas del Consejo, ni en otra cosa que toca dispensar al Prelado, o su Consejo, a quien lo han de remitir.

Dar espera a algun Mayordomo, o Receptor de Iglesia, hospital, hermita, cofadria, monasterio, memoria, o otra obra pia, por qualquier tiempo de alcance, o otra deuda que aya contraido, toca solo al Consejo.

Licencia para vender, permutar, trocar, o enagenar bienes de Iglesias, hermitas, hospital, cofadria, o monasterio, o de algun beneficio, capellania, o memoria, o otra obra pia, toca al Consejo, y dar las comisiones para hazer informaciones y diligencias sobre ello.

Aprouacion de concordia entre partes, o licencia para que se puedan concordar, por la vtilidad que alegaren, y dar comision para hazer informacion de la dicha vtilidad, toca al Consejo.

Reduction de Missas, suffragios, y otros qualesquier cargos, y grauamenes, y dar comision para hazer informacion, y diligencias sobre ello, toca al Consejo.

Licencia para edificar y hazer Iglesia, o altar, hospital, hermita, o humilladero, y las informaciones sobre ello: y despues de fecho dar licencia para que se diga Missa, toca al Consejo; o para trasladarlas à otra parte.

Licen-

Licencia para dar en propiedad altar, o capilla, o el lugar en que se haga, o entierro, o sepulturas, o el patronazgo de alguna capilla mayor, o menor, toca al Consejo, y los pleitos que sobre ello huuiere, y lo mismo si se pretenden trocar alguna de las dichas cosas el dar licencia para ello.

Encargos de obras de qualquier genero que sean de Iglesias, hospital, hermita, o cofadria, o otro lugar pio, o dar licencia para que se hagan en mucha o en poca quantidad, y mandarlas tassar y pagar, toca priuatiuamente al Consejo, y no a otro ningun Iuez.

Mandar recebir en quenta a algun Mayordomo de Iglesia, hermita, cofadria, o otro lugar pio, algunos gastos que aya fecho sin licencia del Consejo, o darsela para que los pueda hazer, toca solamente al Consejo.

Aprouacion de milagros, y dar comisiones para que se verifiquen, y para que se hagan informaciones de santos, o personas que pretendan beatificar, o canonizar, o eleuar cuerpos, o en orden aprouar alguna cosa tocante a esto, toca al Consejo.

Licencia para colocar reliquias, y que se pongan y veneren en publico, y ver y aprouar la justificacion de los recaudos, toca al Consejo.

Todo lo tocante a materia de Ordenes, ansi menores, como mayores, y ver, y aprouar los recaudos de los ordenantes, hasta mandarlos ordenar, y publicar las ordenes, y poner edictos para ello, y castigar los que se huuieren ordenado con algun defecto, o sin ligitimos recaudos, o por otra causa, toca priuatiuamente al Consejo, las reuerendas ha de firmar el Prelado.

Dimissorias y licencias para que algun Clerigo pueda yr fuera del Arçobispado a otra dioecesi, toca solamente al Consejo.

Confirmacion de ordenanças y priuilegios, o otros acuerdos de los lugares en lo temporal, y de confadrias, y hermandades en lo espiritual, toca al Consejo.

Dar impetras, que se entienden licencias por el Arçobispado, o parte del, toca priuatiuamente al Consejo.

Processiones generales, y cartas acordadas en orden, a gouierno de qualquier genero que sea, toca solo al Consejo.

Licencia para edificar monasterios de frailes, o monjas, la da el Prelado, y el Consejo la comision para hazer las informaciones, y diligencias, y aprouarlas, e informar sobre ello al Prelado.

Nombrar y criar fiscales en los lugares donde no los ay nombrados por el Prelado, aunque sea para la guarda y obseruancia de las fiestas, toca solamente al Consejo.

Los Vicarios generales particulares, no pueden conocer en grado de apelacion de ninguna causa que aya hecho, o mandato que aya proueido ningun Visitador en qualquier manera, ni pueden proceder contra ellos por ninguna causa en su oficio, porque toca al Consejo.

Licencias para ser recebidas algunas por monjas, o beatas, o freiles en los monasterios sugetos al Ordinario, o para recebir criadas, o para que entren seglares porcionistas en los dichos monasterios donde se puede y acostumbra: y paraque puedan salir de ellos por algunas causas justas que huuiere, ansi professas, como las que no lo son, y para professar las nouicias, y darles la profession, y escrituras, toca al Consejo: y ansi mismo le toca todo lo demas en orden al gouierno de los dichos monasterios, y proueer en ellos.

Las diligencias que se hazen por el Vicario de Huesca, para la prouision de los beneficios de alli, que son de patronazgo real: o en la Puebla, y Castilleja, se traen al Consejo, donde se ven, y se da la censura, para que el Prelado proponga sugetos a su Magestad, conforme a la cedula real, toca al Consejo hazer esto.

Confirmacion de voto, o relaxarle, o dispensar en el, toca al Consejo.

Tomar quentas de monasterios sugetos al Ordinario, y cometerlas, toca al Consejo.

Tomar quentas de Iglesias, hospitales, cofadrias, capellanias, memorias, y obras pias, toca a los Visitadores, y los Vicarios no pueden intrometerse en ello, el Consejo fuera de los Visitadores puede mandarlas tomar quando quisiere.

Mandar que vna Iglesia, hermita, o cofadria preste alguna cantidad de marauedis a otra, toca al Consejo, y mandarlos boluer.

Examinar los Escriuanos que el Ayuntamiento de Talauera nombra, toca al Consejo, para informar al Prelado, paraque dè el titulo.

Alçar destierros precissos en lo temporal, y en lo Eclesiastico, toca al Consejo solamente.

No puede ningun Vicario, ni Visitador, acrecentar salarios de los Mayordomos, ni de los Sacristanes, ni Organistas, ni de otra ninguna administracion, ni a los Patronos, ni la limosna de las Missas, ni derechos de entierros, ni de otros oficios funerales, ni lo que se acostumbra a dar por el çabullimiẽto, ni tassar lo que se deue dar por ello, ni recebirlo en quenta los Visitadores, que toca solo al Consejo.

No puede ningun Vicario en su audiencia nombrar Receptores, fuera de los que huuieren sido nombrados por el Prelado.

Licencia a ningun que huuiere sido Religioso de ningun Orden, que estè fuera della expulso, o por nulidad, o en otra manera, de qualquier forma que aya hecho voto, para confessar, o predicar, ni para dezir Missa, general, ni limitada, no la pueda dar ningun Vicario general, ni particular, Visitador: toca al Consejo, donde se han de ver sus recaudos.

Licencia para que ningũ Religioso, de qualquier Orden, pueda estar en lugar deste Arçobispado, no la puede dar ningun Vicario, por ningun tiempo; que està reseruado todo lo tocante a esta materia al Consejo.

Licencia

Licencia para que se pueda enterrar en coche, de dia ni de noche, ningun cuerpo difunto, no la puede dar ningun Vicario, y les està prohibido.

Otrosi aduertimos a los dichos Vicarios Pedaneos, y a cada vno dellos, que su jurisdicion es delegada, y por el consiguiente acomulatiue con la de los dichos Vicarios Generales de Toledo y Alcala, a losquales està diuidido en dos partes todo este dicho nuestro Arçobispado, y cada vno de ellos tiene su parte y distrito por mitad, y por esta razon tienen la jurisdicion general para conocer cada vno por su parte en el distrito que le toca, y le està dado por la dicha mitad, de todas las causas que en el se ofrecieren: lo qual han de guardar los dichos Vicarios, y no yr ni venir contra ello en manera alguna, por ninguna razon, no obstante qualesquier causas que pretendan alegar.

Item los dichos Vicarios Pedaneos no se han de poder intitular Vicarios generales, aunque sea de solo su partido, pues no lo son, ni consentir que se lo intitulen ni llamen en ningun mandamiento, auto, ni otro despacho que libraren, y dieren, ni en otra ocasion alguna: lo qual ansimismo mandamos a los Notarios de sus audiencias cumplan en lo que les toca.

Item que los dichos Vicarios no puedan dar cartas de excomunion generales en ninguna manera, porque el dar las dichas cartas està reseruado al dicho nuestro Consejo, y a los dichos nuestros Vicarios generales que solo son como dicho es los de Toledo y Alcala.

Item los dichos Vicarios no pueden dispensar en las amonestaciones que manda se hagan el santo Concilio Tridentino, de los que pretenden contraer matrimonio, por ninguna causa, ni mandar se hagan en dias que no sean de fiestas de guardar, sin tener para ello nuestra licencia y comision particular in scriptis.

De los quales dichos casos, y de todos los demas que por fundamento de reserua, estyle, o costumbre, o derecho, no pueden conocer los dichos Vicarios, y Iuezes, en qualquier manera: aunque en el titulo que de los dichos oficios se diere, no se ayan expressados, ni declarado, y aunque se ayan dado los dichos titulos sin excepcion de casos, mandamos a los dichos Vicarios Pedaneos, y otros qualesquiera Iuezes deste dicho nuestro Arçobispado, no conozcan ni se intrometan a conocer, no obstante que alguna, o algunas vezes ayan conocido en los dichos casos, o alguno dellos, porque esto deue auer sido por razon de no auer llegado a noticia de los Prelados, o su Consejo, que lo huuieran remediado, como somos informado lo han fecho algunas vezes. Lo qual les mandamos ansi cumplan, y no excedan de lo susodicho, ni de cosa alguna dello, so pena de excomunion mayor, y que serà capitulo de residēcia,

y como tal mandamos a los Iuezes qua por comision nuestra se la tomaren, les pidan quenta del cumplimiento de lo que dicho es por esta instrucion, y auiendo excedido los castiguen con rigor. Y para que aya mas entera noticia de lo susodicho, demas de que los dichos Vicarios, e Iuezes, juren y prometan al tiempo que se les diere el titulo de sus oficios de guardarlo, y cumplirlo, firmandolo de su nombre se anote en los titulos de residencias, y se les dè traslado desta instrucion, para que la tengan en su poder, y no pretendan ignorancia. Demas de lo qual mandamos que en todas las audiencias de los dichos Vicarios se ponga vna tabla en que estè escrita esta instrucion, con los dichos casos que de suso van declarados. Y porque somos informados que algunos de los Notarios de las dichas audiencias pretendiendo ignorar que dichos Vicarios ne pueden conocer de los dichos casos, o por adquirir causas, o por otras razones, dan mandamienios de ordinario a firmar a los dichos Vicarios, y los passan, sin aduertirlo, con loqual no puedan tener disculpa vnos ni otros, mandamos alos dichos Notarios, so la dicha pena de excomunion mayor, y que seran castigados en las dichas residencias, como los dichos Vicarios, guarden y cumplan esta instrucion, y no vayan contra ella, ni parte alguna della, ni contra cosa alguna que le sea dependiente, ni den mandamiento alguno que toque, o pueda tocar, o contrauenir a su tenor. Y por la presente declaramos que para ninguna cosa de las contenidas en esta instrucion, en general, ni en particular, no tienen ni les damos poder, facultad, ni iuridicion a los dichos Vicarios, y Iuezes: y en caso que por alguna causa la pudieran tener, se la limitamos, suspendemos, y reuocamos: y declaramos que lo que hizieren contra ello, sera nullo, por defecto de iuridicion; nonobstante qualesquier costumbres, o otras razones que quieran alegar, o por el titulo se les da comision para ello. En testimonio de lo qual mandamos dar y dimos la presente, firmada de nuestro nombre, sellada con nuestro sello, y refrendada de nuestro Secretario de camara. Dada en san Lorenço a veinte y nueue dias del mes de Setiembre de mil y seiscientos y veinte años. El Cardenal Infante. Por mandado de su Alteza. El L.do Pedro Fernandez Nauarrete.

Postea tamen cùm ego essem inter eosdem Vicarios constitutus, & plures illarum instructionum nociuas esse populo, & regimini conspicerem, illorum noxam ratiocinatione quadam ostendere, & prout scripta fuit Hispano sermone, in hoc opere inserere constitui. 5

Aduertem

Aduertencias acerca de las instruciones que se dan a los Vicarios, y Iuezes d'el Arçobispado para el gouierno de sus oficios.

Consideradas bien las instruciones, y todos sus capitulos, que son muchos, y que se les obliga a los Vicarios a que los juren en el Consejo: y por otra parte considerado, que en algunas cosas no se obseruan, ni guardan, como consta publicamente, causa rezelo, o contra las conciencias de los Vicarios, y ministros que lo hazen, o contra el superior que no ataja la ocasion quitando esta obligacion del juramento, pues se ve sirue de tropieço, y de origen de pecados en los menos letrados, y aduertidos.

Y porque los dos assuntos que se ofrecen, son, vno que se quite el juramento de las instruciones, y otro que estas se proporcionen a medio practicabile, y tratable, se dirà con breuedad lo concerniente a estos dos puntos.

Punto primero.

Que el juramento que se pide en las instruciones es conuemente leuantarle.

Lo primero este juramento no sirue de cosa alguna, porque sin embargo del, pueden los Vicarios continuar en los vsos de sus Audiencias, aunque esten comprehendidos en las instruciones. Nam iurans seruare statuta, ordinationes, aut leges superioris, non tenetur seruare iuramentum, nisi in statutis, ordinationibus, aut legibus receptis, non autem in non receptis; & ita iuramentum super rebus seruandis factum, habet tacitam conditionem, quatenus res vsu recepta est. *Basta para esto ver Gutierrez* de iuramento confirmatorio, q. 38. n. 14 & 15. Thomas Sanchez lib. 3. sum. moralis, c. 14. num. 8. cum pluribus aliis, optimè Suarez 4. tomo in 3. part. disp. 35. sect. 3. num. 5. idem Sanchez vbi supr. num. 9.

Segun loqual en las cosas contenidas en las instruciones qae estuuieren en obseruancia, en essas caerà el juramento: non autem in rebus vsu non receptis.

Lo segundo, porque de quitar los vsos de las Audiençias se sigue, y considera perjuyzio notable a los subditos: los quales tienen adquerida costumbre, y derecho para gozar alli de aquellas cosas, y assi el juramento no deue imponerse en su daño; cùm habeat etiam tacitam conditionem, dummodò in detrimentum alterius non imponatur, cap. cùm contingat, de iureiurando, ibi, Cùm in alterius præiudicium non redundet; cum notatis ibi per Scribentes, Syluester in sum-

ma verb. iuramentum, 4. n. 15 *y segun la latitud del Arçobispado, es carga grande, que todo lo aya de despachar el Prelado, teniẽdo vso el subdito de conseguirlo en la Audiencia de su districto. y se puede dudar mucho de que sin conocimiento de causa se pueda derogar a estos vsos por el perjuyzio de tercero. Y con esto queda respondido a la derogaciõ de qualesquier costumbres que se pone al fin de las in-instruciones, porque esta derogaciõ no està recibida en pratica: laqual confirma, que en perjuyzio de tercero no se deue admitir ni recebir. Y es de aduertir a este proposito la constitucion* de Greg. XIII. Inter dilectas, *referida por Piasecio,* in praxi Episc. p. 2. c. 4. art. 5. de iureiurãdo, *contra los Prelados que piden, y imponen juramentos illicitos, impossibles, o dañosos: y la palabra* damnosa *parece quadra al daño y perjuyzio de tercero que queda ponderado, el qual produce alguna dificultad y necessidad en los juezes (por la potencia y fuerça de los subditos) para no perjudicarlos en sus vsos y derechos: de forma que esta dificultad y necessidad les escusara del perjurio, quando no huuiera otra razon* cap. querelan, & ibi gloss. verb. non necessitate, de iureiurando, cũ ibi traditis per Doctores, *y de la dificultad es el* cap. breui, eod. tit. & ibi glos. verb. difficultas, Syluest. dict. summa, verb. iuramentum, 3. num. 1. vers. Et sexto.

Lo tercero, este juramento es violẽto, porque los Vicarios, y Iuezes le hazen compulsos y forçados: y dexando a parte la duda que ay sobre si el juramento violento, o meticuloso induce obligacion, de que trata Syluestro in eadem summa, vbi suprà n. 7. Panormit. in c. si verò, n. 9. de iureiur. cum pluribus, Couarr. in epitome 2. p. c. 3. §. 5. n. 2. *Esta fuerça obliga a que se busquen cautelas y traças para no obligarse, o pidiendo relaxacion del juramento a juez superior por la violencia, laqual obre este efeto conforme la resolucion de Couarr. y otros* proximè *citados: o no teniendo intencion de jurar, en el qual caso segun Syluestro en el mismo lugar,* n. 7. *y Panormit.* in d. cap. si verò, n. 10. *aun se peca venialmente en los perfectos, o no teniendo intencion de cumplir lo que se jura, que es pecado graue segun todos los Doctores, o no lo cũpliendo sin saber dirigir la intencion con dotrina y opinion prouable, que acaecerà en los menos peritos, y preuenidos. Y a este modo se podrà ver quãtos pecados, y escrupulos aurá produzido este juramento, y quantos produzira en adelante: y seria buena resolucion del Prelado quitar esta ocasiõ: buenas palabras las del texto en el dicho* cap. si verò, de iureiurãdo, ibi: Nec nos alicui dare materiã volumus veniendi contra iuramentum proprium, ne Autores periurij videamur. *Y alli la glossa* in eod. verb. Nam si negligenter ea quæ malè vsurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus, cap. peruenit, *el* 2. 93. distinct.

De

De aqui resulta, que si en los juezes peritos es superuacaneo este juramento, y en los otros es dañoso, y pecaminoso, parece justo leuantarle por las razones dichas, que son de justicia. Y de gouierno prudencial se infiere conuenir esto mismo: porque no es buena razon de Estado buscar cautelas interiores para remedio de acciones exteriores: y si es dañoso, que se vsurpe la juridicion, y que se exceda de la que se dà, remediesse esta accion exterior con cautela que lo sea: y para esso es la residencia, el castigo, la reprehension, el declarar por ninguno lo que assi se hiziere, como se haze al fin de las instruciones. Y pues con esto queda bastantemente cautelado este portillo, y por los mismos filos no inductiuos de pecados, no ay para que ocasionarlos cō cautelas interiores de juramentos, que no son para materias delicadas: y hartos laços ay en las conciencias de los juezes, sin añadirles otros de nueuo. En fin ponga se cautela que corresponda, vt omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluatur: y reparese en este punto, que serà del seruicio de Dios.

Punto segundo.

Que las instruciones se reduzgan a medio, y modo proporcionado, y practicable.

Ivstissima cosa es que el Prelado reserue siempre para si algunas cosas que la razon dicta conuienen a su persona, y no a las de otros ministros, y juezes. el exemplo de la mar, que aunque comunica a los rios mucha cantidad de agua, mas no todo la que tiene. Y es especioso el gouierno Eclesiastico, si tiene orden perfeto: pero esto se entiende en las cosas graues, mas principales, y sustanciales, y no en las medias, ni infimas, porque estas no dan autoridad a la cabeça, y caen propiamente en los demas miembros: y si las instruciones solamente comprehendieran las cosas graues y principales, fueran especiosas, y lucidas, como reguladas con el perfeto gouierno Eclesiastico: pero estiendense a muchos puntos medios, y infimos, los quales se vè estuuieran mejor en los juezes inferiores: y estos son los que se pratican y vsan en las Audiencias sin embargo de las instruciones, las quales estan obscuras, poque estādo hechas para los Vicarios que llaman Pedaneos, como se lee en la cabeça, entran luego hablando con los Vicarios Generales. Bien es que las causas beneficiales se reseruen al Consejo, y licēcias de non residendo, y causas para vacar beneficios: pero las criminales contra los Curas, por auer hecho ausencia, quien las conocerà, y castigara mejor que el juez immediato, que sabe la ausencia mas de cerca. Lo mismo es de los Capellanes por no residir las Capellanias, o compelerlos a que las residan: y todo esto se reserua en la instrucion, y con clausula general de otra qualquier cosa tocante a esta materia. Y por la instruciō de Visitadores en el

cap. 25.

cap.25. *se da licencia para que prouean lo necessario sobre no residir los Capellanes, y assi parece ay contradicion entre estas dos instruciones. Las licẽcias de representar en las Iglesias, no es de las cosas que ha de rerservar el Prelado: y los ministros inferiores quiça las dan. Bien es que el Sãtissimo Sacramento no se descubra a menudo: pero que ni parte del dia pueda estar descubierto, ni el Vicario concederlo. Desautoriza al juez esta prohibicion, y quiçà se haze sin embargo. Lo mismo se vè en las processiones, y licencias de trabajar en dias de fiesta, y dar esperas a Mayordomos, y mandar recebirles en cuenta algunos gastos, o darles licencias para ellos, y dar dimissorias, y letras de recomendacion a los Clerigos. Todo lo qual quadra mas al juez, y Vicario que a la cabeça.*

Mayormente acerca de las licẽcias de trabajar en dias de fiesta que se reserue en la instrucion se note, que por la Constitucion 1. de feriis, *tiene licencia qualquier Cura, o Vicario de dar estas licencias. Y assi ay contradicion entre lo dispuesto por la instrucion, y constitucion. Ademas de que ni se pratica la instrucion, ni es possible praticarse por la prissa de la necessidad, y latitud del Arçobispado.*

Nombrar Fiscales en los lugares pequeños, que son como Tenientes, tãbien es cosa no de las que ha de reseruar el Prelado, y sin embargo los juezes del Arçobispado quiçà los nõbran, porque es de minimis. *Y no hazen cosa alguna estos Fiscales, y està recebido, que el nombrarlos en los lugares principales, y cabeças de partidos tan solamente estè reseruado al Prelado: y no se deuia poner la reseruacion absolũta como se pone. En el capitulo que habla de los Monasterios, se deue notar lo que alli se reserua, y con que palabras: la fin del capitulo son:* Que todo lo tocante al gouierno, y proueer acerca de los Monasterios està reseruado, *segun lo qual si por otra parte el juez, o Vicario tiene juridicion sobre los Monasterios viene à ser caduca, y ninguna: pues nada puede proueer.* Notese està consideracion, porque es contraditoria por vna parte dar juridicion, y por otra quitarla.

Ademas que por la constituciõ è instruciõ de Visitadores en el cap.33. se manda a los Visitadores cuyden de la clausula de los Monasterios, y que aya en ellos recogimiẽto: y si esto es de gouierno no lo podran executar, segun la instrucion de los Vicarios, y Visitadores, pues en ella todo lo tocante a gouierno està reseruado.

Tambien ay contradicion acerca de las Missas porque en la instrucion de Visitadores se les manda repartan las Missas a los lugares y Sacerdotes a quienes las dexaron los defuntos, como consta en el cap.32. y por la instrucion, o reseruacion de Vicarios, y Visitadores se reserua que no den librãças de Missas, que es quitar, que no las repartan.

Mandar, que vna Iglesia preste y acrecentar salarios a Mayordomos,

Sacrista

Sacristanes, y Organistas, y nombrar Recetores, y dar licencia a los que han sido Religiosos para confessar, predicar, y dezir Missa, y para estar en algun lugar, y para enterrar en coche: todo esto no es de maioribus, que son las cosas que el Prelado ha de reseruar, como no lo es el dispensar las moniciones de los que se quieren casar: antes es preciso, que esto se dexe a los Vicarios, porque es anexo a las causas matrimoniales de que conocen; y sin embargo puede ser que dispensen: y quando no lo hizieran, ni pudieran, se auia esto de declarar, porque en casos de extrema necessidad, como matrimonios que se contraen en articulo de muerte, no ay lugar de recurrir al Prelado.

En quanto a que los Vicarios que llaman Pedaneos tengan juridicion acumulatiua con los Vicarios Generales, y estos con ellos en los partidos de aquellos, tambien ay inconueniente por el perjuyzio de los vassallos, y subditos, y desaforarlos con perdida de su honor, y hazienda: y por leyes y prouisiones destos Reynos està dispuesto, que auiendo juezes inferiores Eclesiasticos, no se cite a los legos a las cabeças de Obispado, o Arçobispado, l. 5. tit. 1. lib 4. recop. y si se pretende dar autoridad a los Vicarios Generales, mayor la tendran en conocer en segunda instancia, que en primera, con lo qual quedan desagrauiados los subditos, y no desaforados; los Vicarios que llaman Pedaneos honorados, y los Generales mas autorizados.

Y conociendo los Vicarios en primera instancia se obtiene executoria de los pleytos, de tres conformes con la segunda sentencia de los Vicarios Generales, y la tercera con la sentencia del Consejo: y si se les quita a los dichos Vicarios foraneos su primera sentencia, se pierde este priuilegio y costumbre de poder obtener tres conformes dentro del Arçobispado: a loqual no se deue dar lugar por ser grande esta preeminencia, y que no la tienen otros Prelados destos Reynos.

Y en quanto a que no puedan dar licencia para vender, permutar, trocar, o enagenar bienes Eclesiasticos, aunque en mucha cantidad conuiene aya reseruacion, pero en pequeña es escusada y la prohibicion de la instrucion es general, y acontece que en enagenaciones de pequeña cantidad serà el gasto de acudir al Consejo demasiado, conuendria que se señalasse vna cantidad hasta la qual pudiessen dar licencia los Vicarios, y que fuesse mayor que la que tienen los Visitadores por su instrurion para gastar tres mil marauedis en obras de las Iglesia: y pues esta licencia por constitucion la tienen los Curas, deuria ser mayor la de los Visitadores, y mayor la de los Vicarios para que con hermosura se conociesse la excelencia y diferencia de los oficios, y gouierno.

Y en lo que toca a que no puedã los Vicarios que llamã Pedaneos dar cartas generales de censuras, tanbien ay inconuenient por la misma razon de la latitud del Arçobispado: y està en

Dd estilo

estilo que las den los dichos Vicarios, y no està recibida, ni praticada la constitucion que prohibe, y manda que solos los Generales las puedã dar: y aunque por el santo Concilio sess. 25. c. 3. de reformat. *se dispone, que las dichas cartas las den solos los Obispos: pero en ellos se incluyen sus Vicarios Generales, porque hazen vn consistorio y los del Capitulo* Sede vacãte, *como lo resuelue Gutier.* Canonic. qq. lib. 1. c. 11. n. 8. & sequent. Riccius in praxi fori tit. prax. monitorial. decis. 270. Campanil. diuers. iur. Canon. rub. 11. c. 15. ex n. 105. *Y assi como esto no tiene dificultad, tan poco la tiene, que pueda el Prelado dar sus vezes a qualesquier Vicarios para lo susodicho en particular con especial mandato, y poder, como se contiene en la declaracion de Cardenales, referida por los susodichos* præcipuè per Cãpanil. d. n. 105. ibi, Vniuersa tamẽ Congregatio censuit in vna Rauennat. eas concedi posse ab Episcopo, eiusque Vicario, si illi specialiter hoc demandauerit, vel permiserit Episcopus, *&c. Mayormente teniendo los Vicarios foraneos general juridicion, y conocimiento en sus partidos, en los quales* æquiparentur ordinariis, glossa verb. delegatus, in fine, ibi: Quia quasi Ordinarius videtur, in cap. cùm causam, de appellat. & cum pluribus referunt Menoch. de arbitrar. lib. 1. q. 67. n. 31. Vantius de nullitat. tit. coram quo null. n. 7.

En fin la dotrina prudencial, y de gouierno en esta materia es, que las cosas mayores, y muy graues se reseruẽ al Prelado, facit reseruatio regulæ Cancellariæ per eundem Piasecium relata in praxi, p. 2. c. 5. n. 4. ibi, Item reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores, &c. *Y no las menores,* facit idem Piasecius d. praxi p. 2. c. 1. ex congregat. Episcop. super casibus ab Episcopo reseruatis, ibi: Neque eos, qui versantur circa res parui momenti, licèt cum peccato mortali committantur, &c. *Y vnas y otras se conocen y distinguen arbitrariamente, y la pratica las aparta y diuide: porque no se ha visto que los juezes se metan en causas beneficiales, ni en lo tocante a Ordenes, ni en aprouacion de milagros; ni en dispensaciones de votos, ni en otras cosas semejantes, contenidas en las instruciones, por ser cosas graues: y por no serlo las demas que quedan ponderadas por esso la pratica, se les atreue, sin embargo de la reseruacion: y de estar todas juntas pierden su autoridad, y fuerça las cosas mayores, y otro dia se iran entrando en ellas como en las demas. Conuiene pues separarlas, y dexar las cosas que propriamente son graues para el Prelado, y las que no lo son para los demas juezes, porque no aya confusion en el gouierno, que es vna de las razones de Estado que en el se requieren.*

Y esta misma resolucion se deue tomar en otras cosas tocantes a la instrucion de Visitadores, que pues quãdo

do se eligen se examinan sus procedeсres, y despues se pueden remouer si fueren indignos, pareceria mejor hazer confiança, y ensanchar con ella las limitaciones y restricciones ponderadas, y otras si tuuieren inconueniente. Saluo, *&c.*

Ex quibus tam instructionibus, quàm notulis subsequutis plura dubia ad officia Vicariorum spectantia enucleantur, & aliquid de contentis in dictis notulis fuit in practica obseruatum, cùm illas superioribus Toletanis committerem, vnde non abs re esse iudicaui hanc quæstionem in praxi satis vtilem scribere, ✝ in qua vnum
4 aduerto quòd impropriè vocantur Vicarij Pedanei illi, qui in dicto Archiepiscopatu Toletano constituuntur in locis præeminentibus, nempe *Madrid, Talabera, Ciudad Real, Alcaraz, y otros que tienen Iurisdicion delegada y general.* nam tales Vicarij licèt sint foranei, quia foras extra diœcesis & Toleti caput habitant, non tamen sunt Pedanei, quia huius verbi proprietas tantùm cadit in aliis Vicariis, vulgò *Arciprestes*, quorum pedes adeò sunt alligati, vt ad ciuilia negotia, non matrimonialia, & ad remittenda criminalia quæ inceperint, tantùm se extendunt; quare iustè Pedanei vocantur, quasi sine pedibus: Vicarij autem supradicti pedes habent generales in generali causarum exercitio. Cur ergo si habent, & deambulare possunt, Pedanei sunt vocandi? Vocentur ergo cum proprietate sermonis & vocabuli foranei, vt ex prædictis Doctoribus colligitur: cæteri autem Vicarij Archipresbyteri vocati, dicantur Pedanei, vt ius suum vnicuique tribuatur.

5 Non enim Vicarij generales, Toletanus & Complutensis, in eo se exaltant, nempe in contemptu cæterorum officialium, sed immo diminuuntur, & tanto plus eorum auctoritas excreuisset, quanto Vicariis non adeò generalibus ipsam præstitissent; qui enim in altitudine positus est, si alios minus altos contemnit, nec honorat, contra se gladium portat iustitiæ Dei, dicentis & admonentis, *qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur.*

QVÆST. XCIII.

An Præfectus Monialium loco Episcopi, seu alterius superioris, ad reprehendendum, & visitandum, vulgò Superintendentes y visitadores de monxas, *possint ad ingressum clausuræ licentias secularibus, aut Regularibus concedere, & an illæ potius ad Vicarios, vel ad alios superiores pertineant.*

SVMMARIVM.

1 *Quando & quomodo ingredi septa Monialium liceat.*

2 *In Monialibus Regularium quis præstet licentiam.*

3 *Superiores ipsi sine necessitate ingredi prohibentur.*

4 *Superior, vel Præfectus Monialium an possit has licentias concedere, & ingredi per seipsum.*

5 *Quibus verbis licentia ingrediendi comprehendatur.*

6 *Verba* corrigat & puniat, *in titulo Præfecti Monialium posita has licentias non comprehendunt.*

7 *Vicarij quando in his licentijs se valeant intromittere.*

8 *Superior Monialium à Regularibus electus, eamdem normam seruare debet.*

1 CONCILIVM Tridentinum *sess.25. cap.5.* statuit, quòd nemini liceat ingredi intra septa Monasterij, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, quam Episcopus, vel superior dare debet in casibus necessariis, non in aliis, Cerola *in practic. 1.part. verb.Moniales, §.ad octauum.* Campanilus *diuers. iur.can.rubr.12.cap.16.à num.25.& 31.* cum Nauarro *comment. de Regular.super cap.statuimus 19. quæst.3.num.6.* & aliis. Rodriguez *quæst.Regular. tom.1. quæst.46.in calce,art.2.*

2 Et in Monialibus Regularium ad ipsos solos superiores pertinet prædicta licentia, nisi ex consuetudine præscripta ad Episcopos seorsum, vel coniunctim pertineat, vt sæpe per sacram Congregationem declaratum fuisse testatur Piasecius *in praxi Episcop.p.2. cap.3. num.5.* & licèt alleget Gutierr. *canonic.quæst.lib.1.cap.14.* ibi non agit de ingressu, sed de egressu clausuræ. Campanil.*d cap.16.num.31.* vbi ponit quomodo ad Episcopũ spectet licentia in Monasteriis Regularibus subiectis, quando ab ipsis est prohibitum accedere, vel alloqui cum Monialibus.

3 Et adhuc in tantum hæc prohibitio ingrediendi Monasteria procedit, vt ad quoscumque superiores si per seipsos ingredi voluerint sub grauibus pœnis & censuris extra casus necessarios extendatur ex quadam declaratione Gregor. XIII. quam refert idem Piasecius *d cap.3.num.7.* Cerola *vbi suprà, & §. quarto.* Campanil. *dicto cap.16. num.38.*

4 Vnde ad quæstionem Præfectus Monialium ita demum poterit ingredi, seu dare licentias ingrediendi, si expressè habuerit in mãdatis. nam quemadmodum Episcopus, aut superior potest has licentias impartiri ex Concilio, poterit eas impartiendas officialibus indulgere, cùm in ipso Concilio subdelegare non prohibeatur, & regulare est illud, quod per alium fit ex commissione Episcopi, per ipsum fieri censeatur; quare si Præfectus prædictus ex eo quòd talis est creatus, aut Visitator sine expresso ingrediendi mandato in scriptis obtento prædictam clausuram ingrediatur censuris à Concilio fulminatis, manet implicatus item & illi, qui virtute licentiæ ab ipso Præfecto ingredi voluerint, nisi aliqua bona fide excusentur.

Talibus autem verbis potest titulus Visitatoris, aut Præfecti confici, quod etiam sine expressa monitione, licentias ingrediendi per se, vel per alios comprehendat; veluti si dicat: Disponat, regat, gubernet, in hisque occurrerint, & insuper quòd mandata eius obediantur & obseruentur, talia enim verba prægnantia in se præfatas licentias concludunt, cùm in eis intret disponere, regere, & gubernare, & similiter præcipere & mandare. nam taciti & expressi idem est iudicium, ad textum *in l.cùm quid, si certum petatur*, & facit etiam quòd Concilium *in dicto cap.5.* non se ad Episcopum tantùm adstringit, sed verbum *superioris* addit. cùm ergo per dicta verba Præfectus, seu Visitator superior Monialium constituatur, & ei teneantur obedire, meritò ex vi eiusdem Concilij poterit ingrediendi licentias concedere, vel ipse intrare tanquam superior Monasteriorum, eo maximè, quia semper additur in titulo quòd vices suas plenariè Episcopus committit, & quòd faciat ea quæ per prædecessores facta sunt, ex quo 5

quo constito quòd licentiæ iam ab aliis sunt expeditæ magis securè poterunt expediri,& ex his considerationibus memor sum aliquando concessisse, cùm in dicto munere laborarem.

6 Si autem prædicta prægnantia verba non sint apposita, sed tantùm *visitet,corrigat,& puniat*, nequaquam poterit Præfectus eisdem licentiis vti, sed ad superiorem deuoluuntur,qui vt hęc dubia radicitus expellat,bene faciet, si claris verbis in titulis vtatur, concedendo expresſè Visitatoribus,aut Præfectis, vt in casibus necessariis prædictas ingrediendi licentias concedant, vel ipsi ingrediátur,semper enim oportet in rebus talibus, & aliis ab animis scrupulosam animi turbationem extinguere, quando paucis verbis hoc fieri potest, & hoc ad Prælatos specialiter spectat, quorum officium in sedandis conscientiis subditorum principaliter intendit.

7 Vicarij autē,siue generales,aut foranei,si aliunde habeāt titulum, aut Præfecturā Moniliū, vt in Toletana diœcesi,dicendum est circa dictas licentias idem quod remanet explicatum: si autem aliis eadem Præfectura committatur,ipsi in illis se intromittere non possunt, nisi ex titulo vicariatus contrarium valeat comprehendi,quod(commisso aliis prædicto officio) minimè credendum arbitramur.

8 Idem dicendum erit de Præfecto Monialium à Regularibus in Monasteriis illis subiectis nominato, per easdem rationes quæ à pari procedunt. cætera autem dubia videri possunt per DD.relatos, præsertim per Campanilum *d.rub.*12.*c.*16.*à n.*25.*vsque ad* 39. latè pertractantem, & Nauarr.Rodriq. Quarantam,& alios referentem,vnum tamen inter alia *d.num.*25.aduertit posse Abbatissam absque vlla licentia ad clausuram in repentinis casibus admittere, quòd de Medico temporali, aut spirituali est intelligendum, vel de aliis necessitatibus subitis, quæ moram aliquam non patiantur.

QVÆST. XCIV.

Non vulgaris.

De Clerico qui animalia emit, vt postea nutriat, veluti equos,boues, aut porcos,emendo illos teneros,& paucos menses habentes, an talis si postea iam nutritos vendat, possit de negociatione puniri.

SVMMARIVM.

1 *Speciem non mutatam vendere Clericis prohibitum, & Doctores in quæstione affirmatiuè opinantes referuntur.*
2 *Hæc sententia probabilis dicitur.*
3 *Contraria probabilior, & adducitur vnum fundamentum.*
4 *Artificium Clericis permissum suis, vel alienis manibus.*
5 *In nutrimento animalium verum artificium non inest.*
6 *Hic casus non continetur* in cap. nunquam,de consecrat.distinct. 5. *& quæ omittuntur, remanent dispositioni iuris communis.*
7 *Casus hic indicatus, & practicatus adducitur.*
8 *In montibus, seu pascuis propriis licitum est Clerico nutrire.*
9 *Secus in pascuis communibus.*
10 *Regulares regulas negociationis seruare tenentur, & exportantur eorum Visitatores.*

1 PRo vna parte videtur quòd hæc negociatio non sit illicita, quia hæc animalia iam mutata & nutrita venduntur, & negociationis illicitæ conditio illa est, vt species non mutata vendatur. verba sunt textus *in cap. eiiciens* 88. *distinct.* ibi, *Quicunque rem comparat, non vt ipsam rem integram, & immutatam vendat, sed vt materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negociator*, &c. & huius sententiæ in quæstione proposita sunt Azor. 2. *tom. instit. moral. lib. 7. p. 2. c. 15.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 1. num. 5.* Molina *tom. 2. de iust. cap. 342. conclus. 5.* P. Comitol. *lib. 1. q. 53. respons. moral.* Aragon. 2. 2. *q. 77. art. 4. §. secundò vitiari.* Reginaldus *lib. 25. c. 21. à n. 325.* Reuelus *p. 2. lib. 9. q. vlt.* Summa Angelic. *verb. Clericus, num. 2. in fine.* Salcedo *in pract. criminal. cap. 55. §. & vt huius, vers. dicitur etiam ii.* Ceuallos *comm. contr. comm. quæst.* 810. *num.* 16. *&* 17. cum aliis relatis. Graffis *decision. aurear. consc. lib. 2. cap. 125. num. 24.* ibi, *Negociatio autem tunc dicitur, quando emerent res integras, & reuenderent. nam tunc pro his debent soluere gabellas, non autem quando emerent materiam, & operarentur in formam, quia tunc esset artificium, & non negociatio.* Gemin. *in d. Clem. præsenti, & in d. cap. quanquam.* Abb. 1. *vol. cons. 6.* Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap. 62. num. 1.* & specialiter *num. 4.* ibi, *Sed quid si artificium sit mixtum cum negociatione, puta si Clericus emat possessionem ad finem vendendi fructus percipiendos. Domin. Anton. d. cap. final. dicit esse prohibitum propter talem mixturam. Contrariam opinionem veriorem esse dicit Imola in d. cap. final. idem tenet Ferretus vbi suprà, & sic poterit Clericus emere pullos equorum, & postea equos perfectos suo labore, & industria aliis vendere, & similia facere.* & *in annotat. eiusdem cap.* simile dicitur *num. 17.* ibi, *Item Clericus potest emere rem vt eam melioratam vendat carius, puta equum pullum nutriendum, vt dicitur in praxi, vel tabulam, vt imaginem faciat, quia in talibus non est negociatio, sed artificium. Rodoanus quæst. 2. qui id probat.*

Hæc sententia probabilis est, & amplecti potest in vtroque foro. 2

Contraria tamen in casu proposito, 3 nempe quòd sit negociatio illicita, videtur probari, quia totum fundamentum primæ sententiæ est quòd equos pullos potest Clericus nutrire, & reuendere, quia nutriendo ponit artificium, & industriam, & operatur in materiam emptam, vt iam mutatã reuendat; sed hoc fundamentum meo videri parum vrget in casu proposito, quia artificium quod ponit Clericus nutriendo prædicta animalia, non est considerabile. nam Clericus suis manibus nihil agit, vt agebat Apostolus, nec enim emit vimina vt faciat canistra, vel filum vt faciat retia, vel chartam vt conficiat libros, vel lignum vt domus fabricetur, vt *in cap. nunquam, de consecrat. distinct. 5.* & refert Genuensis *d. cap. 62. num. 2.* & Summa Angelica *verb. Clericus, num. 2.*

Vlteriùs artificium si verè tale esset, 4 per alienas manus posset in fauorem Clerici fieri, & hinc est, quòd ei licet emere vuas vt vinum faciat, aut emere oliuas vt oleum vendat, & de suis fundis, vel alienis poterit hoc artificium adhibere, quia iam prima forma totaliter est mutata, & adhibetur verum artificium. Salcedo *d. cap. 55. §. ex quibus.* Genuensis *d. cap. 62. num. 3.* vbi ponit aliud exemplum de vena ferrea reducta cum artificio ad formam aliam. † At in nutriendo animalia non inuenio verum artificium; quia forma prima equi pulli, & similium, semper manet, licèt in quantitate amplietur, vel 5

excea

extendatur, & adhuc hæc ampliatio, seu extensio non prouenit solùm à nutrimento, sed etiam à temporis transcursu, in quo nihil agitur à Clerico.

6 Denique exemplum huius quæstionis, & casus eius, non continetur in relatis, iuxta textum *in dicto cap. numquam, de consecrat. distinct. 5.* vbi posita sunt exempla quæ ratione artificij adhibiti, licita sunt in Clerico, vnde quæ omissa sunt dispositioni iuris communis iudicanda sunt, ex textu *in l. commodissimè, de liberis & posthumis.* & subintrat regula prohibitiua contra Clericos negotiatores, de qua *tot. tit. ne clerici, vel monachi. & cap. fin. de vita & honest. cleric.*

7 Hæc sententia probabilior est ex rationibus prædictis, quæ mentem conuincunt, & eam tenet Domin. Anton. *in dicto cap. finali,* & vidi in praxi receptam, & quemdam Parochum de negociatione prædicta condemnatum, ex eo quòd animalia præfata in locis communibus populi sicut cæteri laici nutriebat, vt postea reuenderet, fuítque illi præceptum, vt in posterum se abstineret.

8 Verum est tamen quòd si Clericus haberet montes, seu loca propria, vulgò *dehessas y pastos* proprios, & animalia emeret, vt ibi de fructibus propriis nutrirentur, tolerabile esset quòd postea reuenderet, cùm hæc tanquam pars & fructus de fructibus sint iudicanda, & colligitur ex prædictis Doctoribus, licèt adhuc hoc à scrupulo non careat, quoniam hac via fraus fit regulæ negotiationis, cùm in his lucris Clericus occupetur, & aliquo tempore anni animalia transeant ad alia loca, & illorum attractu à suo ministerio retrahatur.

9 Sed ex hac tolerantia in fructibus rei propriæ, & adhuc scrupulosa ad fructus & lucra rei communis, vulgò *pastos communes*, non est arguendum, cùm hæc in dominio & libertate propria tantum distent, quantum res singularis distat à communi plurimorum, & Clericus in his fructibus commiscendo se cum vicinis populi secularibus, nimis secularis apparet & cupidus, siquidem illa pascua non verè propria, nec obligatoria ad lucrandum, adhuc non relinquit, & ita in his communibus pascuis Clerico licitum non esse emere animalia, & postea nutrita reuendere censemus, & hoc virtute probabilioris sententiæ; secus verò virtute probabilis, quam retulimus.

Ex prædictis idem erit asseuerandum in regularibus Monachalibus, vel aliis, cùm per eamdem rationem & per easdem regulas negotiatio in illis, sicut & in Clericis, prohibeatur, vel admittatur, & Regularium Visitatores ad hoc aduertere debuissent, & diligenter inquirere an negocientur, vel non, & quomodo animalia emant & reuendant, vel cæteros fructus, seu res, & illud cum Iurisperito Ecclesiastico, vel seculari communicando, ad punitionem negotiationis inuentæ procedere, cùm hæc aliquoties in Regularibus inueniatur, ex eo enim quòd sunt multi, & non tam facilè sicut Clerici iudicantur, non ideo à regulis iuris liberantur, immo fortiùs illis subiiciuntur. 10

* * *

QVÆST.

QVÆST. XCV.

An Confratriæ Receptor, si in computationibus sit creditor illius, possit ab alio Receptore, qui fuit debitor Confratriæ, repetere suum creditum sine mandato Confratriæ, & an mandatum præsentatum in fine iudicij, postquam Receptor antiquus de ipsius effectu opposuerat, conualidet ipsum iudicium.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur, & debitor debitoris mei non est meus debitor, & declaratur hæc doctrina.*

2 *Mandatum licèt quandocumque possit præsentari, fallit parte opponente, & subintrat nullitas quæ per ratificationem non sanatur.*

3 *Iudicium quæstionis traditur.*

1 CASVS provt est positus, contigit in praxi. nam Confratriæ œconomus quidam erat creditor, & alius debitor, à quo ille suum creditum voluit recuperare sine cessione, & coram me libellum posuit; pro debitoris parte fuit allegatum & oppositum se nihil creditori debere, sed solùm Confratriæ, & ab ipsa cessionem non esse obtentam, quo impedimento allegato creditor mandatum, & cessionem obtinuit; quare de duobus fuit disputatum, primum, an creditor potuisset directè sine cessione alium œconomum conuenire? & responsum fuit non posse, quia debitor debitoris mei non est meus debitor. Bald. *in cap. cæterùm, col. penultim. in princip. versic. quæro si feudatarius, num. 12. de iudic.* Natta *cons. 487. n. 8.* quos refert Gratianus *discept. forens. tom. 3. cap. 507. num. 8.* bonus textus *in l. hæredem, C. de hæreditar. actionibus,* & *ibi* Bart. Specul. *lib. 4. num. 10. tit. de pignor.* vbi ait, quòd debitor debet narrare factum, & petere quòd debitum debitoris iure pignoris ad te pertineat, quod ego intelligo, petere vt sequestretur, non autem poterit petere per actionem personalem directè sine cessione, nec per hypothecariam, secundùm Specul. *dicto loco*, nisi fuerit vxor pro dote, vt colligitur ex *d. l. hæredem,* & tenet *ibi* glossa *verb. postulat.*

Secundum, an mandatum superueniens post oppositum defectum eius conualidet acta & iudicium, & possit ratificari, fuit etiam responsum non posse. nam per oppositionem fuit ius acquisitum parti, circa nullitatem, & sic in ipsius præiudicium, ratificatio nihil potest operari, Aceued. *in l. 3. num. 12. & 13. tit. 2. lib. 4. recopilat.* cum aliis, Seraphinus *decis. 1115. num. 4. & decis. 502. num. 2. & decis. 1261. num. 1. & decis. 933. num. 1. & decis. 1465. num. 2.* Vantius *de nullit. tit. qualiter sententia, &c. num. 102. §. contrarium tamen, & §. & notabis, & tit. de nullit. ex defect. mand. num. 118.* ex quibus Authoribus colligitur, quòd licèt mandatum quandocumque possit produci, hoc intelligitur parte non opponente. nam per partis oppositionem iam subintrat in actis nullitas & defectus, qui per ratificationem sanari non valet, cùm non entis nullæ sint qualitates, & ratificatio non habet locum si medium est inhabile, & in partis præiudicium. Aceued. *in l. 5. num. 8. tit. 3. lib. 5. recopilat.* 2

Quare

3 Quare fuit Receptor creditor Confratriæ condemnatus, vt directè debitorem ipsius sine mandato conuenire non posset, & acta sine illo facta nulla fuisse, cum reseruatione, vt posset de nouo cum mandato actionem suam rectè fabricare.

QVÆST. XCVI.

Hospitalis Receptor soluens cuidam operario schedulam, vulgò librança, *quam habebat super bonis hospitalis, an possit ab ipso operario decimas quas hospitali debebat, postea postulare, vel in schedula intelligantur confusæ.*

SVMMARIVM.

1 *Solutio quando debitum confundat, & nemo præsumitur iactare suum, & chirographi restitutio solutionis operatur præsumptionem.*

2 *A diuersis non fit illatio, & qui se fundat in identitate, illam debet probare, & solutio est quid facti, & per allegantem probanda est.*

3 *Iudicium quæstionis traditur.*

1 NOLEBAM discutere hanc quæstionem tanquam minus dubitabilem, & discussione dignam, sed ipsa praxis ad illud coëgit; quia vidi litem de hoc inter partes agi, adeò acerrimam, & diuisis Tribunalibus agitatam, quasi quæstio esset pluribus iuris apicibus intricata, & grauibus ambagibus irretita; sed re vera ipsa quæstio sicut est posita in principio, valde facilis est, & decisio eius in vno tantùm puncto consistit, an scilicet solutio quam fecit hospitalis Receptor operario, confundat decimarum ipsius solutionem? & videtur quòd confundat, quia Receptor non adeò prodigus & ignarus credendus, quòd soluere voluisset ei, à quo repetere poterat, sine defalcatione repetitionis, nemo enim præsumitur iactare suum, ex text. *in l. cùm de in debito, de probation.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 18. *num.* 13. vbi in ferè eisdem loquitur terminis, nempe non esse verisimile creditorem restituisse chirographum debitori, nisi sibi sit satisfactum. Seraphinus *decis.* 1093. *num.* 8. sic non præsumitur in quæstione proposita creditorem Receptorem soluisse operario operas suas per schedulam, sine satisfactione debita decimarum.

2 In contrarium videtur quòd Receptor bene possit decimas ab operario repetere, non obstante solutione, quam illi fecit, quia nihil commune habet vnum cum altero, & sunt diuersi actus, & à principiis diuersis prouenientes; cur ergo de vno ad alium est inferendum, cùm à diuersis illatio non fiat, ex text. *in l. Papinianus, ff. de minoribus.* operarius autem in specie proposita, si se à decimarum solutione liberare contendit, in vim solutionis sibi factæ probare debet in illa decimas fuisse defalcatas, & ab illa primæua solutione diminutas, qui enim se fundat in identitate, & qualitate, illam probare debet; vt cum pluribus resoluit idē Menoch. *d. tract. de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 15. *num.* 2. Gutierr. *lib.* 4. *practicar. qq. q.* 47. *num.* 18. per text. *in l. hoc iure vtimur, de verbor. oblig.* Bart. & DD. *in l. in illa stipulatione si Calendis, ff. eodem.* quando ergo Receptor postulat ab operario decimas, quid ipse respondeat videamus. Responsum est quòd in prima, seu alia solutione sibi facta per Rece-

ptorem credendum est decimas fuisse defalcatas, quia ipse sine tali defalcatione, debitum hospitalis non soluisset; hoc ergo est dicere quòd decimæ inclusæ fuerunt in illa dicta schedulæ solutione, & quòd hæ decimæ, & illa solutio schedulæ idem est. constat ergo operarium se in identitate, & qualitate fundare, & per consequens ad illam probandam teneri, prout de iure, & quia solutio est quid facti, & per allegantem est probanda, *l.1. C. de probat.* Seraphin *decis.* 1107. *num.* 1.

3 Et sic fuit declaratum contra operarium, illum ad decimarum solutionem condemnando, non obstantibus euasionibus ab ipso allegatis, de quibus in longo processu, & in diuersis Audientiis fuerat ciuiliter querelatus.

QVÆST. XCVII.

An ratio generalis in sententia, seu executorialibus hominis extendat, & ampliet eandem sententiam, & executoriales.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur.*
2 *Ratio ampliat, & extendit dispositiones.*
3 *In contrarium argumentum adducitur.*
4 *Exponitur quomodo ampliatio rationis sit accipienda, & in quibus casibus procedat.*
5 *Quæstionis resolutio refertur.*

1 IN causa decimali inter partes fuerunt obtentæ executoriales super certis decimis quorundam agricolarum, attenta quadam consuetudine immemorabili, quæ fuit plenè probata; postea tamen lis de nouo in prima instancia fuit incepta super aliis decimis aliorum agricolarum, licèt inter eundem actorem, & reum. Actor de nouo petebat decimas, & executoriales exhibuit. Reus dicebat illos loqui, & procedere inter diuersas personas, & esse res inter alios acta, de qua lege ad longum Tiraquell. Actor replicabat, attendendam esse rationem executorialium, quæ est generalis, nempe consuetudo immemorabilis, super qua fundantur, & ita incidimus in illud dubium, an ratio extendat, seu ampliet sententiam hominis.

In quo videbatur quòd sic. ea est 2
enim rationis potētia quòd ampliat, & extēdit in omnibus dispositionibus, nō solùm in legibus, sed & in contractibus, vltimis voluntatibus, & iudiciis, vt cum pluribus cumulat idem Tiraq. *tract. Cessante causa, num.* 144. 145. & 154. cùm ergo in iudiciis ratio ampliet, & in executorialibus ratio consuetudinis decimandi sit generalis; nedum ad personas in illis comprehensas, verùm ad alias non comprehensas extendi, & etiam contra illas ius facere videbatur.

In contrarium vrgebat fortis consi- 3
deratio, quia si sententia iudicis ex vi rationis extenderetur, daremus quòd non citatis in causa, nec auditis præiudicium inferret. Consequens est falsum, ergo & antecedens, argumento textus *in l. ad rem mobilem, l. ad legatum, de procurator.* & hinc est quòd titulus *in C. res inter alios acta,* hoc præiudicium excludat cum multis aliis similibus à Tiraquello congestis, nec enim adeò potens esse debet extensio rationis, vt contra non citatum, nec auditum extendatur, cùm hoc iniquum esset, & sufficit, vt illa extensio aperiat viam consequendi iudicium contra non citatum, formata noua tela iudicij

iudicij, & illa extensione reproducta, & repetita.

4 Itaque quòd dicitur rationem extendere omnes dispositiones, etiam in iudiciis, intelligendum est datis terminis habilibus, & dummodo non resultet inconueniens, aut aliis præiudicium, vt in lege, ad cuius promulgationē nullus citatur seorsim, sed omnes generaliter tangit, tunc bene currit argumentū de rationis extensione, & in testimoniis testium, etiam bene currit. nam ratio in illis restringit, aut ampliat testium testimonia, vt ex eodem Tiraquello *d. tract. Cessante causa, n. 164.* quia in his testimoniis, & extensione, aut restrictione ipsorum cessat inconueniens suprà ponderatum, cùm testimonia solùm inter partes litigantes accipiantur, non verò contra non partes, contra illos, qui tales non sunt nec citati, nec auditi, minimè potest prædicta extensio rationis admitti, quia ratio naturalis repugnat, quæ dictat iudicium in non citatum non dari, & hinc ab eadem ratione naturali cessare argumentum à cessatione, vel non cessatione causæ, docuit & limitauit idem Tiraquellus *eod tract. 3. limit. num. 1. & limit. 5.* Similiter limitauit quando tractatur de lucro quærendo, velut in præsenti specie, & præsertim *limitat* 8. etiam limitat vt dispositiones loquentes de quibusdam personis ad alias non trahantur, quod in terminis quadrat cum dubio proposito.

5 Ex quibus fuit actor condemnatus, & executoriales esse quid diuersum inter alios declaratum, reseruato iure actoris per nouum iudicij initium.

QVÆST. XCVIII.

An Clericus prorogare possit iurisdictionem sui Episcopi eo inscio, aut inuito.

SVMMARIVM.

1 *Laicus prorogare sui iudicis iurisdictionem potest, Clericus non potest.*

2 *Respondetur ad textum* cap. Romana, §. contrahentes, de foro comp.

3 *Clericus vnius Vicarij an alteri per summissionem subiici valeat, & traditur ampliatio ad regulam iuris.*

4 *Limitatur eadem ampliatione, vt nō procedat in Vicarius generalibus.*

5 *Affertur casus practicatus de prorogatione.*

Licet sæcularis possit prorogare iurisdictionem sui iudicis, vt suprà diximus *q. 30. num. 18. & quæst. 87. num 6. cap. significasti, de foro compet.* & latè comprobat Capycius *decis. 9. num. 1. & seqq.* vbi ponit limitationes. Diuersum tamen est in Clerico qui sine consensu sui Episcopi prorogare nequit, vt sunt expressa iura, *cap. 1. & d. cap. significasti, de foro comp. & ibi* scribentes, tradunt etiam Legistæ Bart. Imol. Alex. & Ias. *in l. 1. §. & post operis, ff. de noui operis nunc.* Capycius *d. decis. 9 num. 13.* Prosper. Farinac. *prax. criminal. tom. 3. quæst. 81. num. 59.* 1

Et quamuis Maranta *de ordine iudic. p. 4. dist. num. 11. & 14.* & Maceraten. *variarum resolutionum lib. 3. re-* 2

solut. 13. *num.* 3. contrarium scribant, per textum *in cap. Romana* , §. *contrahentes, de foro competenti.* nihilominus vera est conclusio textualis *dict. cap. significasti*, cui non aduersatur §. *contrahentes*, quia loquitur & procedit ratione contractus in loco facti, & quòd ibi Clericus inueniatur, vt fatetur D. Maceraten. *dict. resolut.* 3. *num.* 8. & adhuc illo casu per Diœcesanum Clerici bonorum eius est facienda sequestratio, vel missio, vt dicitur in textu.

3 Ex quibus disputandum est, quid in Clerico vnius vicariæ inter eas quæ sunt in Diœcesi, numquid consensus Diœcesani est expectandus, si Clericus alteri Vicario eiusdem Diœcesis subiiciatur, vt in Archiepiscopatu Toletano, in quo præter Vicarios generales sunt alij foranei cum certo territorio & limitibus, an Clericus vnius possit altero foraneo summitti, & prorogare ipsius iurisdictionem sine consensu Archiepiscopi, vel saltim Vicarij foranei? Dico quòd iura *in d. cap.* 1. *& cap. significasti*, non applicantur ad hunc casum, cùm de Episcopo in Episcopum loquantur, sequendo tamen eorum mentem idem dici valet de Vicario ad Vicarium; si enim Clericus sui Episcopi iurisdictionem auferre non valet per prorogationem sine ipsius consensu, ita & similiter vt Clericus sui Vicarij iurisdictionem auferre nequiuit in alterum Vicarium consentiendo, & prorogando sine ipsius voluntate: quare prædicta iura per identitatem rationis casui proposito præstant resolutionem, & valet argumentum à paritate rationis, vt per text. *in l. illud, ad legem Aquiliam*, & tradit Euerardus *loco* 13. *& loc.* 89. inde succedit nona ampliatio ad dicta iura, vt quemadmodum de Episcopo ad Episcopum loquuntur, ita de Vicario ad Vicarium intelligantur.

Diximus, *de Vicario foraneo ad foraneum.* nam in generalem, seu generales quæstio non intrat, si in ipsos prorogatio fiat, cùm sine illa sint iudices Episcopales Clericorum, intrauit tamen si in eorum præiudicium prorogatio intentetur, vt sine consensu eorum vel Episcopi, seu Archiepiscopi prorogatio eadem non proficiat. 4

Hic casus de Parocho sui Vicarij iurisdictionem prorogante in alium quemdam, fuit coram me practicatus, & quia consensus Vicarij defecit in prorogatione, ipsa nulla fuit declarata. 5

QVÆST. XCIX.

Non vulgaris.

An in coitu Clerici cum soluta, præter simplicem fornicationem adsit sacrilegium, & an in vtroque foro, vel tantùm in pœnitentiali.

SVMMARIVM.

1 *Circunstantia fornicationis Clerici secundum plurium opinionem mutat speciem, & est sacrilegium.*
2 *Fundamenta huius sententia referuntur.*
3 *Contraria sententia quòd non sit sacrilegium in Clerici fornicatione simplici affertur.*
4 *Vna communis additur contra communem in his opinionibus, quarum affirmatiua tenetur, & probatur.*
5 *Sacrilegium hoc Clerici an in vtroque foro accipiendum, & affirmatiuè concluditur.*
6 *Probatur hac sententia in praxi.*

Com

1 COMMVNITER docent Summistæ Clericos fornicarios cum mulieribus solutis præter simplicis fornicationis peccatum, sacrilegium etiam committere, & hoc tanquam qualitas & circunstantia mutans speciem esse necessariò propalandum, & confitendum in sacramentali confessione ad integritatem ipsius, quo tacito, ipsa non est integra, nec valida, Concil.Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. §. *colligitur*, vbi generaliter de circunstantiis speciem peccati mutantibus, de quibus Sà cum aliis *in suis Aphorismis, verb.confessio, num.* 18. & in Clerico Ordinis sacri loquitur Cardinal.Tolet. *in summ lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 9. & Rodriguez *in summa cap.* 205. *num.* 2. cum Nauarro *in manuali cap.* 6. *num.* 13. & *in cap. consideret, de pœnitent. distinct.* 5. *num.* 50. in quibus locis docet quòd peccatum, aut circunstantia voto, vel statui confitentis directò aduersa est necessariò confitenda, in quo sentit Clerici fornicationem, tanquam statui suo aduersam, esse necessariò confitendam. Syluester expresè *in summa verb luxuria, num.* 8. cum S.Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 10. ex quo quælibet species luxuriæ secundùm quod violat aliquid pertinens ad cultum Dei, est sacrilegium, & ita loquitur Syluester *in Clerico luxuriante*, & ex luxuria sacrilegium committente, idem tenet Dominic. Soto *de instit. & iure, lib.* 2. *quæst.* 4 § *sed ais*, Salcedo *in practic. criminal. cap.* 79. § *ab officio & beneficio, vers. secundò committunt*, Menochius *de arbitrarijs, cas.* 418. *num.* 8 cum Bermondo *tractatu de publicis concubin. num.* 23. Graffis *decis. aur. conscientiæ, tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20 *num.* 31. *in fine.* vbi loquitur expresè de circunstantia fornicationis necessariò confitenda ab eo, qui est in Ordine sacro, quia facit contra votum continentiæ in eo promissum, idem tenet Caietan. *in summa verb. sacrilegium.*

Rationes autē, in quibus hæc innititur sententia, duæ sunt, vna, quia luxuria in Clerico Ordinis sacri est contraria voto continentiæ illi annexo, & est aduersa illi statui clericali, & hanc rationem referunt Authores citati, Nauarr. Graffis, Rodriguez, Sà, Sotus, Caietanus & alij Altera ratio est, quia luxuria Clerici Ordinis sacri, violat ipsum Clericum ad cultum Dei designatum, quam rationem tradunt Syluest. Menochius, Bermondus, D.Thomas & Salcedo *vbi suprà*, Paulus Grillandus *de pœnis omnif. lib.* 3. *num* 19. ibi, *sacrilegium dico committitur, quia persona sacra læsa reperitur per violationem, siue deflorationem:* licèt enim in coitu cum Moniali loquatur, ratio tamen applicatur Clerici luxuriæ & fornicationis, in qua eius persona sacra læditur, & violatur. 2

Contra hanc sententiam adeò communem, & praxi vsúque receptam, tenuit Ioan. Gutierr. *canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 44. & *seq.* vbi nuncupatim refert Iulium Clarum *lib.* 4. §. *fornicatio, num.* 18. qui disputans hunc punctum dicit Clericum non committere sacrilegium, sed simplicem fornicationem, iuxta communem opinionem plurimorum, quod refert idem Gutierrez *dicto num.* 44. qui *num.* 50. respondet ad textum *in cap. qua Christo, & cap. virginibus* 27. *quæst.* 1. vt loquantur in virginibus Deo dicatis, quæ sunt sponsæ Christi, ex quarum coitu resultant sacrilegium simul, & alia crimina, & *num.* 45. idem Gutierr. limitat suam opinionem etiam in Religiosis, quia expresè profitentur castitatem, quasi diuersum sit in Clericis, qui solùm ex constitutione Ecclesiæ ad illam obligantur, nec sunt sponsi Christi sicut Moniales. 3

4 Verùm visis his duobus sententiis ambæ reperiuntur communes, & sic possumus vnam communem contra communem addere ad eas quas cumulauit Ceuallos: qualis autem illarum sit melior, est videndum, & existimo primam esse veriorem, tam quia receptam in vsu sacramentali, quàm quia licèt Clerici expresè non profiteantur castitatem sicut Religiosi, sed solùm ad illam teneantur, ex constitutione Ecclesiæ, & ex præcepto Ecclesiastico, vt cum pluribus videndis docuit Campanil. *diuers. iuris Canon. in rubric.* 7. *cap.* 3. *num* 15. & licèt non sint sponsi Christi sicut virgines, & Moniales per professionem Deo dicatæ, negare tamen non possumus, quin Clerici sint personæ Ecclesiasticæ, & Deo sine expressa professione dicati, & consecrati, atque ad cultum Dei pertinentes, quo supposito intrat doctrina Grillandi, Menochij, & Bermondi, Diui Thomæ, Syluestri, & Salcedo *suprà* relata, nempe quòd ex violatione luxuriæ ab eisdem Clericis commissæ committatur sacrilegium, cuius essentia & substantia non alia est, quàm violatio, offensio, vsurpatio, vel læsio rei sacræ, vt *suprà* diximus *quæst.* 79. *num.* 6. Clericus ergo qui fornicatur, per fornicationem suam personam ad cultum Dei pertinentem, & adscriptam violat, offendit, vsurpat, & lædit, & sic consequenter incidit in sacrilegij delictum, & hæc est veritas, quidquid Gutierrez, & cæteri relati de simplici fornicatione tantùm sentientes contrarium existimauerint.

5 Restat modò videre, an hoc sacrilegium sit in vtroque foro admittendum ad punitionem huius circumstantiæ, vel tantùm in pœnitentiali? & incidi in hoc dubium, quia audiui quendam iudicem facientem hanc distinctionem, & negantem sacrilegium hoc ad forum iudicialem pertinere, sed re vera ad vtrumque pertinet, quia ratio proxima quam tradunt D. Thomas, Menochius, Syluester, Ceuallos, & Grillandus prædictum vtrumque forum comprehendit, nec in solo pœnitentiali procedit, nec prædicti Authores in eo solo, sed generaliter loquuntur; cur ergo sine lege loqui non est præcauendum? eo maximè inter iudicandum.

Rursus dum Salcedo *in d. pract. criminal. d. cap.* 79. *§. ab officio, vers. secundò committunt*, ait Clericum fornicarium sacrilegium committere, statim subiecit, quibus pœnis puniatur, ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 14. & ex aliis, ex quibus loquitur in foro iudiciali, non in foro conscientiæ.

Si enim hoc sacrilegium Clerici esset tantùm pœnitentiale, etiam esset tale quod cum Moniali committitur, cùm vnum & alterum sit sacrilegium, licèt grauius quod ex Moniali coitu generatur; sed hoc ad forum contentiosum, & iudicialem spectat, vt videri potest per eundem Grillandum *d. lib.* 3. *num.* 23, 24. ergo similiter sacrilegium Clerici cum soluta spectabit, ne aliàs impunitum de iure credamus fuisse relictum, cùm è conuerso generaliter esse damnatum concubitum Clericorum constet ex toto tit. *de vita & honest. Cleric. & de pœnis in foro externo infligendis*, loquantur Gutierr *d. cap.* 7. *n.* 24. 37. 38. & specialiter *num.* 40. cum Cosma Guimier. *in Pragmat. sanct. Gallic. in gl. arcere. fol.* 192. *col.* 2. & ex Menochio *de arbitrar. cas.* 418. cum Bermondo *ibi* relato.

Hanc ergo sententiam sequutus in praxi semper habui, coitum Clerici pro sacrilegio in vtroque foro, & si in illo adest consuetudo in fauorem Vicariorum, iuxta suprà dicta *quæst.* 79. *num.* 3. poterunt sibi tanquam de crimine 6

mine sacrilegij partem condemnationis applicare,& hoc est, quod de iure sentio, licèt, vt dixi, contrarium aliquando sine lege,aut fundamentis audiui, & vidi iudicare.

QVÆSTIO C.

Non vulgaris.

An census perpetui qui solui solent Ecclesiis, & de quibus ponuntur partitæ per Visitatores in libris earum, per eosdem libros visitationis probentur in casu litigij.

SVMMARIVM.

1 *Species facti refertur.*
2 *Libris visitationis fidei adhibetur, & declaratur.*
3 *Libro scripto per officialem deputatum statur, præsertim si veritas aliunde non constet, & testes domestici aliis deficientibus probant res domi factas.*
4 *Libri officialium probant, etiam contra tertium subditum.*
5 *Ad quandam decisionem Seraphini respondetur, & iudicium quæstionis ponitur.*

1 ALIQVOTIES hic casus contigit in Audientiis Vicariorum, & ego de illo non semel cognoui. nam Ecclesiis soluuntur census perpetui, & contra debitores petuntur mandata censurarum vt soluant,ferè semper cognita ab ipsis veritate statim soluunt redditus decursos, sine replicatione,aut negatione census: aliquando verò ipsam adhibent negationem; pro parte autem Ecclesiarum, cùm ipsarum scripturæ à variis Parochis, & œconomis tractentur,ipsæ solent frangi,aut deperdi, & ita exhiberi non possunt, vnde ad libros visitationis recurrunt,in quibus ponuntur cōputationes rerum Ecclesiæ tam pro credito, quàm debito, vt partitæ prædictorum censuum cum partis citatione compulsentur, & vnde de ipsorum antiquitate,& solutione iudicibus constet, quibus factis, debitores replicant prædictis partitis non esse credendum tanquam positis, ipsis non videntibus; œconomi Ecclesiarum respondent partitā esse probationem concludentem, & sic quæstio proposita dependet ab illo puncto qualis fides danda sit libris visitationum,& an partitæ eorum plenè probent contra tertium.

In quo puncto Paulus Æmilius Caputaquensis *decis.* 158. *p.*2. sic Rotam declarasse testatur. Libri visitationum Episcopi quoad visitationem personarum,Sacramentorum, & aliorum pertinentium ad officium visitantis plenè probant, &c. & idem *in decis.*229.1.*p.* vbi approbat consuetudinem super danda fide libris visitationis, quod est intelligendum, quando super eadem consuetudine fundatur fides librorum, non tamen quòd sine ipsa consuetudine fides non adhibeatur, quia imò simpliciter adhibetur, vt *in dict. decis.* 158. concordat Cerola *in pract. Episc.* 2.*p. verb.visitatio, §.sexto*,refert & disputat in terminis Riccius *in praxi fori Eccles.tit.praxis visitationis, decis.*611. vbi pluribus comprobat fidem in libris visitationis, quia in illis adest subscriptio personæ publicæ, & Notarij; qui æquiualet duobus testibus,& ego addo quòd subscribunt etiam Visitator, & œconomus rationem reddens; quare tribus subscriptionibus computationes firmata

firmantur; nil ergo mirum si quidquid in eisdem sit, valde firmum sit, & plenè probet, dummodo ad officium visitationis pertineant, prout sunt res, & census in Ecclesiarum rationibus comprehensi, vt docent plures relati ab eodem Riccio *vbi suprà.*

3 Quibus mirè congruit quod Rota docuit per Seraphinum *decis.* 1088. *n.* 4. quòd libro scripto per officialem ad illud deputatum fides adhibetur, eo maximè, si non potest aliunde haberi veritas, quàm ex huiusmodi libris, & quinternis, quo casu ratione publicæ vtilitatis necesse est, vt eis stetur, vt dicitur de testibus familiaribus admittendis, ad probandum id quod domi gestum est, quodque per alios probari non potest, vt cum pluribus limitauit Farinac. *de testibus q* 55. *num.* 35. *&* 36. &c. Cùm ergo libri visitationis scribantur per officialem, & Notarium ad id deputatum, insuper & per Visitatorem, & scripturæ censuum Ecclesiæ vtplurimum amittantur, & veritas earum aliunde, quàm à dictis libris minimè possit haberi, hinc est quòd ratione publicæ vtilitatis necesse sit illis fidem dare.

4 Congruit etiam quod ab eodem Seraphino in aliis decisionibus traditur, nempe quòd liber Baptismi regulariter probat ætatem, *decis.* 1182. *num.* 1. & *decis.* 431. *num.* 6. docet quòd libri officialium semper probant factum etiam in præiudicium tertij, quando sunt officiales publicè deputati, quorum scripturis fides adhibetur. Aymon *de antiquit. temp. p.* 1. *num.* 230. licèt secus fit in partitis mercatorum, ex qua doctrina liber visitationis scriptus ab officialibus Notario, & Visitatore ad id deputatis plenè probat, etiam contra tertium subditum, ex Aym. *d. loco n.* 240. *& decis* 1390. *n.* 2. idem docet Seraphinus *& decis.* 1245. *n.* 8. *& decis.* 442. *n.* 1.

Nec obstat alia eiusdem Seraphini *decis.* 1073. *num.* 7. vbi dicitur quòd libri Ecclesiæ non faciunt fidem, quia loquitur de libris non Authenticis, vt ibi, *nec constat quis scripserit, neque aliqua probatur effectuatio.* nec minus loquitur de libris visitationis, qui cùm sint plenè authentici, & constet in illis quis subscripserit, & quæ sit eorum effectuatio, hinc est quòd tanquam integrī plenè probent, etiam contra tertium, vbi aliter in rebus antiquis, seu deperditis veritas probari non potest; quare ex prædictis steti in conclusione relata, nempe quòd fides libris prædictis adhibeatur etiam contra tertium subditum circa partitas censuum, quorum scripturæ deperditæ inueniuntur, quod faciliùs admittendum si pro parte Ecclesiarum aliqua probatio fiat de solutionibus antiquis debitorum. 5

QVÆSTIO CI.

Non vulgaris.

De vxorata muliere Clerici, seu laici concubina, quomodo per Vicarium publicè punienda.

SVMMARIVM.

1 *Praxis procedendi refertur.*
2 *Deficit regula aliquando in specie proposita.*
3 *Vxorata mulier de lenocinio, & aliis delictis præter adulterium punitur.*
4 *Etiam de concubinatu poterit puniri marito consentiente, & lenone facto.*
5 *Similiter etiamsi solùm consentiat, licèt*

licèt non sit leno, & praxis procedendi describitur.

6 *An in tali praxi periculum sit in indice Ecclesiastico.*

7 *Marito consentiente in pœna fori Ecclesiastici ad forum sæcularem pro alia pœna vertere se non valet.*

8 *Adulterium est mixti fori, & declaratur.*

1 SÆPISSIME in Audiētiis Ecclesiasticis de mulieribus maritatis agitur, nempe de earū cōcubinatu, & licèt peccatū, quando super illo proceditur, sit publicum, non tamen publicè nomina mulierum scribuntur in actis, sed imò ex proposito tacentur, ne fortassis maritis occasio tribuatur occidendi easdem mulieres, vel membrum, mutilationi porta aperiatur, & quod in processu ponitur, est sententia hominis, & non mulieris, cui solet iudex, & Vicarius præceptum seorsum facere, vt bene viuat; & marito proprio iuxta legem Dei honestè, & sine offendiculo deseruiat, solet, etiamsi maritus à loco abest, in præcepto mulieris censuras fulminare Vicarius contra ipsam mulierem, vt intra terminum à loco exeat, & maritum proprium inquirat, & hoc modo cessat concubinatus, & ipsius scandalum.

2 Sed hæc regula aliquibus casibus deficit, in quibus etiam publicè contra tales mulieres proceditur.

3 Primus, si de lenocinio mulier sit accusata, vt diximus *suprà quæst* 12. tunc enim de illo, sicut de cæteris delictis, puniri poterit, non obstante matrimoniali consortio, cùm matrimonium à pœna delictorum immunem mulierem non reddat, nec de honore mariti circa adulterium agatur, & sic ipse, tanquam mulieris caput alia delicta honorem matrimonij non spectantia punire non poterit.

Secundus, si maritus in vxoris concubinatu consenserit, & ipsam prostituerit, & leno ipsius sit factus, tunc namque processus Ecclesiasticus vna via contra vtrumque formatur, & cùm maritus maiorem culpam, quàm vxor perpetrauerit, querelari minimè poterit, & sic iam non secretè, sed publicè inquisitio formatur. 4

Tertius, si maritus licèt non sit vxoris leno, ipsam tamen in concubinatu lapsam sciens deliquerit, tunc licèt initio processus secretè contra mulierem incipiat, postea tamen si de mariti sciētia iudex informetur, ex eo quòd de vxoris scandalo constet in summaria, poterit ipse iudex vocato marito aliquibus interrogationibus ipsum mouere, vt de vxore quid sentiat manifestet, non directè de concubinatu, aut adulterio interrogando, sed cautè, cur cum vxore rixas habeat? aut ipsam minus diligat? seu diuortium intentet, inquirendo? tunc his, & aliis interrogationibus calidè factis statim solent mariti quid in pectore habeant manifestare, quæ manifestatio facta sequitur quòd iudex proponat, an si de aliqua vxoris culpa constiterit, velit maritus quòd vxor publicè puniatur, & consensu præstito, & in actis firmato cum testibus præsentibus, tunc iam processus aperitur, & iubet iudex, vt Notarius fidem ponat in actis quòd mulier, de qua secretè inquirebatur, est ipsa, de qua maritus consensum ad punitionem concessit, & hæc praxis aliquando fuit admissa, & facta, & mulier publicè castigata. Verum est tamen, quòd in mulieribus ordinariis illud fuit actum; in nobilibus verò de tali praxi non testor, & dubito quòd mariti in ea velint conuenire, nec auderem illos super vxoribus etiam cautè interrogare.

Modò videamus, si maritus in hoc 6

tertio

tertio casu postquam consensum præstitit Vicario, ipsam occiderit, vulnerauerit, seu de ipsius adulterio coram sæculari iudice accusauerit, an iudici hoc possit præiudicare, & non posse firmiter est dicendum, quia iudex maritum de adulterio inscium non admonuit, si enim inscium admoneret, iam de data mortis, seu mutilationis, vel accusationis causa poterat timere, ex dictis suprà *quæst*. 9. sed cùm maritus vxoris culpam agnouisset, item super eius punitione consensisset, in nihilo iudex ipsum ad aliquem actum impellit, imò repellit, cùm per iustitiæ vindictam velit maritum vindicare; quare omnino securus remanet talis iudex.

7 Rursus postquam maritus consensit in punitione vxoris super concubinatu coram iudice Ecclesiastico, & ab eo fuit vxor condemnata in pœnis ordinariis illius, nequaquam coram sæculari super eadem punitione poterit reclamare, quia ex consensu præstito in foro Ecclesiastico tacitè foro sæculari renunciauit, glossa loquens de tacita remissione in adulterio *in l. quæsitum, §. item quæritur, verb. non superesse, ad l. Iuliam, de adult*. cum similibus *ibi* relatis Barbos. *l. 2. num*. 100. *§. potest etiam, sol. matr. & num*. 138. vbi in terminis adulterij, docet per vnam viam electã, alteram excludi per maritum, & ipse quasi actor fuit factus in iudicio Ecclesiæ, & sic actori, & consentienti iudicium mutare non licet. nam vbi cœptum est, finiri debet. Parlador. *lib*. 2. *rer quotid. cap. final. 5. p. §. 11. num*. 19. *&* 20 vbi iura refert, & si mulier postea per iudicem sæcularem puniretur, veniret duplici punitione punienda, quod est insolitum in iure, *l. sanctio legum, ff. de pœnis*. bonus textus *in cap. at si Clerici, §. de adulteriis, in fine, de iudiciis*. Barbos. *in l. 2. num*. 110. *vers. & est ratio ff. sol. matrim.* cum aliis, & electa pœna Ecclesiastica per maritum, cum qua alia nequit de iure coniungi, præsumitur eundem iuri suo accusationis renunciasse. nam priuilegiatus faciendo actum, priuilegio contrarium, videtur eidem renunciare. Menoch. *lib. 6. præsumpt*. 41. *num*. 1. cum aliis.

Hoc autem securiùs procedit, aduertendo quòd adulterium est mixti fori, cuius cognitio pertinet tam ad Ecclesiasticum, quàm ad sæcularem, & est locus præuentionis inter eos, *cap*. 1. *de offic. ordinar*. & *ibi* glossa, & DD. Couarr. *de sponsal. 2. part. cap. 7. §. 7. n*. 30. Iulius Clarus *lib. 5. §. adulterium, n. 7. & §. fin. q. 37. num*. 3. Barbos. *in d. l. 2. num*. 140. *solut. matr.* cum aliis, Salcedo *in pract. criminali, cap*. 85. *§. laici verò*. Thomas Sanchez *de matrimonio, lib*. 10. *tit. de diuortiis disput*. 8. *num*. 15. *&* 16. latissimè ad saturitatem Farinac. *de delictis carnis, q*. 241. *num*. 147. ex quibus deprehenditur causam adulterij ciuilem ad separationem thori, & dotis restitutionem esse priuatiuè iudicis Ecclesiastici; causam verò criminalem super eodem delicto ad pœnas criminales esse mixti fori, & habebit illam iudex, qui in ea præuenit, excepta tamen pœna sanguinis, quam Ecclesiasticus imponere non potest. 8

Ex his expedita remanet in praxi quæstio præsens cum vtilitate Lectoris, & iudicis Ecclesiastici, vt in posterum nec de stylo, nec de iudicandi regulis per ipsum dubitetur.

QVÆST.

QVÆST. CII.

Non vulgaris.

An pro censibus perpetuis, seu temporalibus Ecclesiarum, & locorum piorum, possint mandata cum censuris fulminari, vel sit ad mandata secularia recurrendum.

SVMMARIVM.

1 *Ratione census an Ecclesiæ, seu loca pia conueniri valeant coram iudice sæculari.*

2 *Proponitur quòd remedia sæcularia petantur, & probatur fundamentis hæc opinio.*

3 *Contraria adducitur cum suis rationibus.*

4 *Hæc vltima retinetur, & mutatione personæ mutatur conditio rei, & Ecclesia si rem possideat, conuenienda est coram Ecclesiastico, qui de bonis eius, seu persona Ecclesiasticæ cognoscit.*

5 *Adducitur praxis procedendi in his rebus, & casus iudicatus refertur, & consuetudo cognoscendi ab Ecclesiastico aduersus laicos super quibuscumque rebus ad instantiam Ecclesiarum, Clericorum, & locorum piorum.*

6 *Contrariæ opinionis fundamentis in specie respondetur.*

1 DEPENDET hæc quæstio ab illa, an scilicet ratione census debeant Ecclesiæ, seu loca pia conueniri coram iudice sæculari. nam si debet, cessant mandata Ecclesiastica cum censuris, & intrant temporalia executionis contra bona census, & sic licèt Ceuallos has duas quæstiones diuiserit in suis commun. *tom.* 1. *q.* 36. *à num.* 14. *vsque ad* 19. tractans de executione iudicis sæcularis contra bona hypothecata à laico, in quibus successit Ecclesia, seu persona Ecclesiastica, & *à num.* 20. *vsque ad* 26 tractans, an debitor census Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ possit cogi per censuras coram iudice Ecclesiastico, & ambas quæstiones satis eruditè explicauerit, reuera sub vna tantùm ambæ comprehenduntur, quia vna ab altera dependet.

In qua quæstione quòd executio fieri debeat per remedia sæcularia, non verò Ecclesiastica, vrget illa ratio, quia pactum de non alienando in hypotheca positum, facit quòd alienatio sit nulla, & sic Ecclesia, seu persona Ecclesiastica se defendere non potest ex fori præscriptione. Item, quia res primò fori sæcularis, licèt in alium Ecclesiasticum transeat, transit cum suo onere subiecta illi foro, & sequitur possessorem sicut lepra leprosum. Item, quia per Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* mandatum extat iudicibus Ecclesiasticis, quòd vbi executio realis, seu personalis fieri valeat, à censuris se abstineant; & ego addo per declarationes ipsius Concilij relatas à Farinac. & à Marcilla declaratum esse, remedium censurarum subsidiarium non esse admittendum, nisi alia via succurri non possit: cùm ergo in proposita specie adsint scripturæ censuum, & cum illis executio fieri valeat, remedium censurarum cessare videtur, & sic hanc partem tuetur idem Ceuallos *dicto loco,* Gutierr *practic. qq. lib.* 2. *quæst.* 132. *n.* 9. Parlador. *lib.* 2 *rerum quotid. cap. fin. n.* 1. *&* 12. quibus addendus est Gratianus *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 19. *&* 20. cum aliis ab ipsis relatis, & ipsi 2

declarant quòd contra bona Ecclesiæ, seu Ecclesiasticæ personæ executio secularis fieri possit, non verò contra personam.

3 Contrarium tamen sequitur ipse Gratianus *dicto cap. 16. à num. 21. vsque ad 24.* quia si persona est exempta & excepta, etiam res excipienda est tanquam accessoria. nam Ecclesia, siue Clericus etiam in rebus suis gaudent exemptione, & immunitate, de qua per vnum integrum capitulum disseruit Franciscus Leo Episcopus Thelesinus *in suo Thesauro fori Eccles. parte 1. cap. 14.* & communis est opinio Doctorum *in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* quòd Clerici in bonis patrimonialibus gaudent priuilegio Ecclesiarum, quoad hoc, vt non comprehendantur in statutis laicorum. Nauarr. *conf. 2. de constitut.* & vsitatum in Regno Neapol. refert Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap. 74. num. 3. & 4.* Item, quia stare in iudicio respicit personam, cùm in iudiciis quasi contrahatur. *l. 3. §. idem scribit, de peculio.* & hanc esse magis communem opinionem testatur Mynsinger *obseruat. 22. cent. 1. in princip.* licèt *ibi, & obseruat. 95. centur. 4.* contrarium dicat seruari, Aufrer. *de potest. secul. in Ecclesiast. regul. 2. fallent. 4. §. contrariam opinionem*, vbi dicitur quòd sic seruat stilus Curiæ Romanæ, & est communis opinio. constat ex pluribus DD. eam tenentibus, ex eodem Gratiano & Aufrerio, qui vnam additionem habet quòd Clericus siue reali, siue personali actione conueniatur, siue iudicio ordinario, siue summario coram seculari iudice trahi non possit, nec consuetudo valet in contrarium, nec Pontifex hoc priuilegium tollere potest, cùm sit de iure diuino. Rolandus à Valle *in conf. 4. & conf. 12. à num. 31. vsque ad finem, & conf. 23. per totum, lib. 2.* & pro hac communi sententia sunt Rotæ decisiones ab eodem Aufrerio & Gratiano relatæ.

Sed dicendum sentio hanc sententiam vltimam veriorem, pro qua expendo, quòd mutatione personæ mutatur conditio rei. *l. per procuratorem, in fine, de acquirend. hæred.* Leo *d. thesauro fori, & cap. 14. num. 14.* Quid enim interest quòd res fuerit aliquando secularis, seu subiecta foro seculari, si postea mutationem habuit, & in aliam personam alterius fori transibit, nempe Ecclesiam locum pium, seu Ecclesiasticam personam, quæ si possideat rem, conueniri debet coram iudice Ecclesiastico. Barbosa cum aliis ad *l. hæres absens, §. proinde, in articulo de foro ratione rei sita, num. 21.* quia de bonis propriis Ecclesiæ, seu personæ Ecclesiasticæ cognoscit iudex Ecclesiasticus etiam inter laicos. *l. decernimus, C. de Episcop. aud. cap. si Clericus laicum, de foro competent. gloss. final. de vita & honestate Cleric. gloss. verb. personis Eccles. in cap. Ecclesia, de constitut.* Couar. *lib. 1. variarum cap. 4. n. 3.* Paz *in praxi 2. tom. 2. prælud. num. 16. & seq.* Maceraten. *variarum resolutionum lib. 1. resolut. 48. num. 1. & seq.* cum pluribus. 4

Hæc opinio recepta est in praxi, nedum in Curia Romana, sed in Hispania vidi illam receptam in Audientia Archiepiscopali Talaueræ, in qua pro censibus Ecclesiarum, Capellaniarum, & Congregationum, & aliorum locorum piorum, dantur mandata & præcepta generalia cum censuris & termino ad respondendum, & non dicitur expressè in mandatis quòd debitores soluant quod debeant de censibus temporalibus, sed aliis de causis, nisi fuerint census perpetui, tunc in illis sine contradictione ponitur expressa mentio, nec declinatur: de cæteris autem censibus temporalibus solent debitores respondere, & petere quòd censuræ suspendantur, 5

dantur, & actores ponant in forma libellum, quo posito etiam aliquando declinatur, & allegatur forus secularis, & Concilium Tridentinum *d.c.3.* Sed nihilominus ex eo quòd non sequuntur declinatoriam, causæ in eodem foro Ecclesiastico retinetur, & quia sic viget consuetudo quòd in dicta Audientia & aliis Ecclesiasticis, iudex Ecclesiasticus cognoscit aduersùs laicos, super quibuscumque rebus, & negotiis ad instantiam Ecclesiarum, vel Clericorum, vel Congregationum, & locorum piorum, & hæc consuetudo admittitur ab eodem Suar. de Paz *d.1 prælud num.20. in fine.* Maceraten. *d.resolut 48.num.14.*

Et adhuc quando Ecclesia solet locare vineas, & laicus illas ponit, & accipit in maiori pretio, quidam cùm per Ecclesiam fuisset cum censuris ad solutionem compulsus, se voluit eximere cum declinatoria fori, & fecit capturare receptorem Ecclesiæ virtute *l.10.tit.1. lib.4. recopilat.* & ab ea fuit defensus, & per Tribunalem Toletanum liberatus extitit, & licèt videatur quòd in his casibus Ecclesiæ & loca pia forum rei sequi debebant: attamen in contrarium vidimus reis tacentibus obseruari communiter, quasi quòd hoc sit speciale priuilegium, quod habeant extrahendi reum à proprio domicilio, pro rebus illis debitis, veluti priuilegium quod habent conueniendi reum in Curia Regia, de quo loquuti fuimus suprà *quæst. 75.* & per praxim sit extra illam Curiam extentum.

6 Non obstant fundamenta primæ sententiæ. Non primum, quia pactum de non alienando, non comprehendit Ecclesiam, nec personam Ecclesiasticam, seu loca pia, quia esset contra libertatem Ecclesiasticam, & sic tale pactum in talis libertatis præiudicium non tenet, *cap. fin. de immunitate Eccles. in 6.* & statuentes, seu pactum facientes, sunt excommunicati, *cap. nouerit, de sentent. excommunicat.* & *ibi* Panormitanus *num. 2.* plura & plures cumulat idem Leo *dicto cap.14. à n.34. vsque ad 41.* Aufrer. *de potest. Eccles. super laicis, num.65.* & hoc est affirmandum, licèt idem Ceuallos contrarium scripserit, *d.quæst.36. num.24.* & ad idem referat Gutierrez *d. q.132. num.5.* qui *ibi* potius fauet libertati Ecclesiasticæ, & impugnat statutum, seu legem generalem contra eam, aduersùs Bartol. in quo Ceuallos innititur.

Non obstat secundum fundamentum, nempe quòd res transit cum onere suo, quia hoc cessat mutatione personæ, cum qua mutatur conditio rei, vt diximus *num.4.*

Non obstat tertium de præcepto Concilij, quia *ibi* de iudice seculari non tractatur, quòd sit adhibendus in actione reali Ecclesiæ, vel executione, sed solùm loquitur in iudicibus Ecclesiasticis, vt abstineant se à censuris, quando executio realis, vel personalis fieri possit, quod iustè est statutum, & in dictis mandatis generalibus per Vicarios expeditis pro rebus Ecclesiarum, seu locorum piorum non fit contra præceptum Concilij, quia non statim constat scripturas adesse contra debitores, vt executiones prouideantur, & ad illos attinet exhiberi facere scripturas, & petere vt constito de illis, cesset censurarum remedium, & ad aliud super persona & bonis iudicium Ecclesiasticum transeat, item Concilium *in dicto cap.3.* solum ponit instructionem, non verò formam, & sic præcisè non obligat, docet Maceraten *variarum resolutionum lib.1. resolut.112. casu 75. vers. insuper dicitur.*

QVÆSTIO CIII.

Non vulgaris.

Vtrùm Clericus emittens votum Religionis sancti Francisci, & habitum suscipiens, eo dimisso possit ad Clericatum reuerti, & an Vicariorum cognitioni, & iudicio maneat obnoxius.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur, & quòd ad iudicem Ecclesiasticum spectat materia voti.*
2 *Deficiente conditione deficit actus, & obligatio in materia voti, dummodo vouens euentum conditionis non impediat.*
3 *Vouens ingredi Religionem quando teneatur profiteri.*
4 *Vouens permanentiam, non satisfacit ingrediendo, & conditio remissa ad experientiam excusare videtur à permanentia.*
5 *Vouens permanentiam sine iusta causa exire non potest; & declaratur.*
6 *Iusta causa non est vnius auris diminutio, & probatur.*
7 *Iudicis arbitrio est commissum quæ sint iusta causa exeundi.*
8 *Contrariis adductis respondetur, & iudicium casus practicati refertur.*

1 EMISIT Clericus votum Religionis sancti Francisci, addita conditione, si non ægrotaret, aut si sanus esset, suscepit habitum, & intra breue tempus, ante professionem illum reliquit, & ad Clericalem se conuertit; fuit hoc omne publicum, & sic intrauit cognitio Ecclesiastica ad videndum, cur talis Clericus postquam regularem se fecit, iterum clericari voluerit, aut cur votum non adimplere tentauerit. nam ad iudicem Ecclesiasticum spectat tam materia voti, & compellere ad reddendum Altissimo vota facta, ex *cap per tuas, de voto*, & *ibi* glossa *verb. duos menses*, cum aliis concordantibus., quàm materia clericatus, ad textum *in cap. si iudex laicus, de sentent. excommunic. in 6.* Couarr. *practic. qq. cap. 33. num. 1.*

Itaque vocato Clerico facta priùs informatione casus, eundem confessus fuit de plano, addita prædicta qualitate salutis, & quòd in Religione Franciscana Discalciatorum sensum auditus in vna aure amiserat, & quòd motus ex hac causa ab illa Religione discesserat, & factis illi aliquibus interrogationibus declarauit quòd ante ingressum iam illius auris auditum aliquantum amissum habebat, sed quòd Religionis rigore in totum illum amiserat, auditum, inquam, non ambarum aurium, sed vnius solùm; quare deuentum fuit ad iudicium voti, & status clericalis, & visis doctrinis ad casum pertinentibus, videbatur 2

Ex vna parte, Clericum iustè discessisse. nam votum non fuit purum, sed conditionale, si sanus esset, & succedit doctrina quòd non impleta, sed deficiente conditione deficit actus & obligatio, quæ solùm obligat, cùm conditio purificatur & impletur, D. Thomas à Soto relatus, & sequutus, *de iustit. & iure, lib. 7. quæst. 2. art. 1. § in solutione ad quartum.* sentit Nauarr. *in manuali, tit. de voto, num. 42.* expressè Caietan. *in summa verb. voti materia, § primo, versic. sexto*, expressè etiam Syluest. *in summa verb.*

verb.votum 2. num.2. vbi ponit limitationem, quam etiam docet Nauarr. *d. num.*42. dummodo vouens non impediat euentum conditionis,& sit in culpa, Cardinal. Tolet. *in summa lib.*4. *cap.*18. *num.*8. ad hoc vt posita conditione, & impleta, votum obliget, aliàs non. Constat hæc doctrina ex text. *in cap.verùm,de condit. appos.* & *ibi* glossa *verb.conditione,l.qui hæredi, §.vlt. & l. qui sub conditione, de condition. & demonstrat.*

3 Rursus quamuis valde disputatum sit, an qui ingredi Religionem vouit, vel esse Religiosum, quod idem est, secundùm communem loquendi modum, P. Sanchez *de matrim. lib.*1. *disput.*34.*num.*17.*vers. nec constituo*, teneatur profiteri,& permanere,conclusio est quòd si intendat profiteri, & permanere, ad hoc teneatur; si verò non, aut vouit in dubio, intelligatur votum secundùm iuris formam, hoc est, vt in anno probationis Religionem probet, & sic ad perpetuò manendum non teneatur,constat ex Diuo Thoma, à Syluestro sequutus *in summa verb.Religio 2.num.*19. Sot.*d.q.*2.*in tertio argumento, versic. num qui Religionem vouit.* Angel. *in summa verb.votum 3.num.*18 Graffis optimè *decis.aur. conscientiæ,lib* 2.*c.*24. *num.*4. vbi quòd si in specie vouens se obligauit ad profitendum,teneatur permanere; si verò se obligauit causa experiendi, aut in dubio, non teneatur, Couarr. *in cap. quamuis pactum, de pact.* 1.*part.* §.3. *num.*12.*versic.quòd si quis.* Thom.Sanchez *d.disput.* 34. *d. num.* 17. *versic. Tandem.*

4 Hæc tamen conclusio in quæstione proposita non applicatur in totum, quia dictus Clericus vouens explicitè vouit permanentiam in Religione; si salutem haberet, vndè quæstio de ingressu solùm promisso, non intrat in præsenti, intrat verò illa conditio; si salutem haberet, ex qua videtur quòd vouens remisit se ad experientiam, vnde succedunt verba relata per Graffis *dicto loco*, ibi, *si autem intendat se obligare ad ingressum Religionis causa experiendi, & tunc manifestum est quòd remanere non tenetur*,&c. Quare si postea Clericus cum ipsa experientia inuenit sensum vnius auris diminutum, & sic sanum non esse, proculdubio videtur potuisse exire à Religione, ex eo quòd conditio non fuit impleta, nec experientia illum sanum conseruauit, docet Sanchez *in summa lib.*4. *cap.*16. *num* 88 affirmans si vouens intendit se obligare ad Religionis ingressum causa experiendi,quòd tunc satisfacit voto ingrediendo bona fide, etsi postea absque causa iusta egrediatur.

Ex alia verò parte, cùm in hoc casu non sit dubium quin Clericus vouit permanentiam,addita conditione salutis, dicendum securè est sine iusta causa exisse non potuisse, & hæc est sententia benignior in hoc puncto,Sanch. *d.summa,& cap.*88.*num.*80. *& d. c.* 34. *n.*17. etiam cum multis requirit causam iustam in exitu, quando vouens, ingressum simpliciter promisit, idem Sanchez *d.summa, & cap.*16. *num.*90. qui casus minus vrget, quàm præsens, in quo permanentia post ingressum promissa est. Durior est alia, nempe etiam ex iustis causis non esse licitum exire, quia vouendò perseuerantiam, cessit hoc iure, & illi renunciauit, quam sequitur idem Sanchez *num* 81. cum plurimis relatis, atque ita de causa iusta excipere tenetur Clericus, vt possit in exitu permanere, siue vouit simpliciter ingressum,siue etiam perseuerantiam,& adhuc illam seruare teneretur habens causas, nisi conditionem salutis apposuisset. 5

Conditio & causa quam præstat est, quòd 6

quòd auris vnius auditus illi diminutus fuit, & interrogatus respondit iam ante ingressum illam diminutionem habuisse, sed auctam esse in Religione, quam iudicaui leuem, & modicam, ex sequentibus. Primò, quia iam hæc diminutio incepit ante ingressum, & sic non à Religionis vita causata fuit. Secundò, quia cùm vno auditu potest Regularis sufficienter deseruire. Tertiò, quia si impedimentum vnius auris esset substantiale, vtique ipsa Religio Clericum expulisset, aut clamasset, quod cùm in præsenti non sit factum, potest tale vnius auris impedimentum pro minimo iudicari.

7 Causæ autem exeundi à Religione in vouentibus ante professionem positæ sunt ab eodem Sanchez *d. summã, & cap.16. num 99.* & benè concludit *num.*102 in iudicis arbitrio positas esse, & *num.*103 in specie loquendo de impedimento morbi distinguit de morbo perpetuo, aut temporali, vt etiam hîc, si tam frequens est, vt nouitius nequiret onera Religionis ferre, sit talis morbus temporalis iusta exeũdi causa; quare cùm morbus vnius auditus illa onera non impediat, dicendum est non esse iustam exitus causam, eo maximè, quia dictus morbus auditus solet cessare, & cessante iam tenetur adimplere votum, & redire ad Religionem, si illam dimiserit. Manuel *in summa c.97. n.5.* cum Sot *d. lib.7. q.2. in tertio argumento, § idem.*

8 Non obstant suprà relata in fauorem Clerici, quia licèt votum conditionale non obliget cessante conditione, votum tamen præsentis Clerici, & conditio eius, non intelligendum est cessasse ex leui vnius auris impedimento, vt dictum extat. Non etiam obstat, quòd visum fuit se remisisse ad experientiam salutis, addita conditione præfata, quia hîc sumus non in voto simplici cum expresso additamento experiendi, sed in voto etiam permanendi, quod requirit iustam causam ad minus secundùm benigniorem opinionem, & nisi addita fuisset conditio salutis, etiã cum causis exire non potuisset, iuxta veriorem multorum, ex relato Sanchez *d. num.*81. Ex eo autem quòd posita fuit conditio, est apertus exitus cum considerabili ægritudine, & impedimento, quod non fuit inuentum in præsenti, & ideò præceptum posuimus Clerico, vt ad Religionem rediret, nec in habitu clericali viueret, donec vrgentiorem haberet exeundi causam, vel donec à Religione expulsus fuisset, secundùm omnes Doctores.

QVÆST. CIV.

Non vulgaris.

Vtrùm Parochus teneatur audire confessiones extra tempus præcepti, & quid in vtroque foro.

SVMMARIVM.

1 *Non est dubium quòd Parochus tempore præcepti ad confessiones teneatur, & refertur generalis consuetudo.*
2 *Extra illud tempus, prima opinio est non teneri, nisi adsit necessitas.*
3 *Traduntur rationes huius sententiæ.*
4 *Secunda opinio est teneri in certis temporibus.*
5 *Ratio huius opinionis refertur.*
6 *Tertia opinio est indistinctè teneri.*
7 *Prima approbatur, & tenetur.*

8 *Mot.*

8 *Monitio traditur, & praxis qua se gerere debeant Parochi in hoc puncto.*
9 *Delictum & peccatum quando in dubio præsumatur, & quando non.*
10 *In foro exteriori quid obseruetur, & quomodo hæc quæstio practicetur.*

1 DE tempore præcepti non est dubium, ex text *in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Cerola *in pract. 1. p. verb. Parochia, ad tertium, §. duodecimo.* Medina *in Cod. de confess. cap. de confessione semel in anno agenda, §. contra tamen* Nauarr. *de pœnit. distinct. 5. in princip. num. 22.* Soto *in 4 sent dist. 18. q 4. art 2. §. ad secundum.* Syluester *in summ. verb. confessio 2 num. 4 § quinto,* Manuel *in summa cap. 63. num. 1.* & sic habet consuetudo in omnibus Diœcesibus, in quibus & pœna temporali, & spirituali feriuntur non confitentes, & insuper peccare mortaliter admonentur si Dominica *Quasi modò* inconfessi transierint, vt *in constitut. Toletan. 3 de pœnit. & remiss.* & insuper debent sanctam Eucharistiã in dicto tempore recipere.

2 Extra verò tempus præcepti est dubium, an Parochi teneantur? & sunt diuersæ sententiæ loquentes in foro conscientiæ.

Prima est non teneri, nisi quando præceptum obligat subditum, aut quando indiget, non verò quando voluerit, Ioan. de Medina *in d. Cod cap. de confess. per curat. audienda, quoties subditus confiteri velit.* Richard *disp. 18. art. 2. q 3.* Maior *disp. 17 q. vlt.* Syluest. *in summ. verb. confessor. §. 18.* Armill. *verb. absolutio, num. 27.* Fumus *eod. verb. num. 28.* Reginald *lib. 1. num. 81.* refert Sà *in suis Aphorism. verb. Parochus, n. 4. versic. negant.*

Potissima ratio est, quia extra tempus præcepti, aut necessitatis, nec iure aliquo, nec charitatis vinculo intrat obligatio, & ita confessio erit in consilio, & congruentia, non in necessitate, & ad longum satisfacit Medina contrariis fundamentis, & eius dictis adhærendum est in hac opinione. 3

Secunda sententia est, quòd teneantur Parochi etiam extra tempus præcepti, & Iubilæi audire confessiones præcipuis anni temporibus, aut festiuitatibus, & Iubilæis, in quibus subditi iusta de causa petunt Sacramentum, & nulla est cur ipsis negetur, Villalobos *tract. 4. difficultad. 19.* P. Suarez *tom. 4. 3. p. disp. 32. sect. 1. num. 4. & 5.* P. Vasquez *de pœnit. q. 93. art. 3. dub. 6.* P. Henriquez *lib. 1. cap. 27.* Sot. *in 4. sent. distinct. 18. q 4. art. 2. §. supposito ergo.* Nauarr. loquens in tempore Iubilæi *in cap. placuit, num. 152. de pœnit distinct. 6.* Manuel. *in summa,* cum Adriano *d. cap. 6; num. 1.* Franciscus Pitigianus *distinct. 17. q. vnica, art. 4.* Nugnus *in additionibus, q. 8. art. 4. dub. 3.* Sayrus *de pœnit. cap. 23. num. 2.* Bonacina *de pœnit. disp. 5. q. 7. puncto 4. §. fin. num. 25.* Sà *in suis Aphorismis,* referens aliquos, *d. verbo Parochus, num. 4. versic. tenetur.* 4

Ratio essentialis huius sententiæ est iusta petitio parochiani in dictis casibus, & quòd Parochus vel tenetur non impedire bonum, seu vt pastor bonus ouium profectum procurare, & aptius remedium contra peccata mortalia, nempe Sacramentorum frequentiam ministrare. 5

Tertia sententia est, quòd ad libitum Parochiani teneatur Parochus ministrare. Nauarr. *in d. cap. placuit. de pœnit. distinct. 6 num 152.* Manuel *d. cap. 63. num. 1.* Gutierr *canonic. qq. lib. 1. cap. 30. num. 1.* ibi, *ac petitum fuerit,* &c. sed addit, quoties opus, ac petitum 6

fuerit, vnde præmittere videtur necessitatem, & petitionem.

7 De his tribus sententiis *prima* mihi verior apparet, loquendo in mero iure, & quia sine illo, aut sine lege peccatum formare non possumus, aut sine necessitate subditi, dixi *suprà quæst.* 50. *num.* 3. *& quæst.* 82. *num.* 2. vbi illud Apostoli Pauli retulimus, *sed peccatum non cognoui, nisi per legem*; & licèt in aliquibus anni temporibus sit vtilius subditis ad Sacramenta accedere, & in Iubilæis; hoc potest esse ad vtilitatem, & congruentiam, non ad necessitatem, cùm possit peccatum mortale abesse; restat ergo quòd Parochus de congruitate, & æquitate teneatur, non verò de præcepto & sub peccato, & sic quòd primæ sententiæ sit standum, & peculiariter Ioanni de Medina, qui optimè disputat, & contrariis satisfacit, ex cuius dictis comprehendũtur fundamenta *secundæ & tertiæ* sententiæ, non procedere nisi in casu indigentiæ, & necessitatis, in quo intrat obligatio, & præceptum sub pœna peccati, extra illum verò sit tantùm consilium, & pietas.

8 Quam si Parochus absolutè exerceat, perfectus erit, & ad illam eum monemus, quòd si extra terminos obligationis noluerit exire, sit cautus & prudens, & subditum in secreto interroget de conscientia sua, & si implicatam inuenerit, statim remedium conferat Sacramenti; si verò saluam repererit, excuset se ab obligatione, remittendo subditum ad alium ministrum. nam si publicè, & sine pastorali charitate non esse obligatum, aut nolle audire responderit, iam propter malum exemplum, seu scandalum poterit peccatum intrare.

9 Sed hoc procedit, vt diximus, in aperta necessitate, aut coniecturata respectu vitæ hominis, & eius notæ conditionis; quid autem in dubio? Dico quòd ab illo poterit exire Parochus, interrogando de necessitate, aut de statu conscientiæ; si verò adhuc dubium adsit, in eo tutiorem partem eligat, & statim audiat confessionem. Licèt enim regulariter peccatum non præsumatur, ex text. *in l. meritò, ff. pro socio,* dixi suprà *q.* 34. *num.* 5. hæc tamen præsumptio bene currebat considerato homine in natura bona, in qua progenitus fuit; illa verò iam ad malum conuersa nihil boni de homine præsumi potest, nec suspicari; quocirca dicitur quòd semel malus, semper præsumitur esse malus, ex regula iuris, de qua Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 32. *num.* 1. *& seqq.* & peculiariùs *lib.* 5. *præsumpt.* 2. vbi declarando regulam text. *in d. l. meritò*, limitat *num.* 40. quòd locum non habeat in foro conscientiæ, & cùm agitur de salute animæ. nam tunc in dubio præsumitur delictum, ex quo istud est tutius, ex iuribus *ibi* relatis.

Prædicta procedunt considerato tãtùm foro conscientiæ, & de materia peccati in Parocho circa omissionem ministrandi subditis tam in tempore præcepti, quàm extra; veniamus modò ad praxim fori iudicialis, quando in ea hic casus occurrit, & dico quòd aliquando practicaui illum in quodam loco. nam Parochianus quidam comparuit coram me querelando se de suo Parocho, quòd ad Pœnitentiæ sacramentum illum non admisit, & ipse replicabat extra tempus præcepti non teneri, & compilato processu fuit Parochus aliqua pœna arbitraria condemnatus, sicut solet poni Parochis in ministrando negligentibus, & mori absque Sacramentis subditos permittentibus, vt cum Nauarro *cons.* 3. *de paroch. & cons.* 3. *de pœnit.* & Sayro *decis.* 3. *eod. tit.* docuit Riccius *in praxi fori, tit. praxis pœnarum, decis.* 350. *num.* 2. & illi Parocho posuimus in præcepto quòd 10

de

deinceps Sacramentum festinanter petentibus ministraret in quocumque tempore, nam in dubio pro salute animæ delictum, & peccatum est præsumendum, vt suprà *num. 9* facit pro hac praxi edictum quod à Visitatoribus prælegitur, in quo vna est clausula ad hanc inquisitionem spectans, nempe si Parochus statim Sacramenta petentibus administrat quoties illis est opus; quare hæc quæstio tam de iure, quàm praxi àb aliis non tradita quod viderim, remanet absoluta.

Qvæst. CV.

De habitu clericali, etiam perfectionis intuitu, non immutando.

Dvbivs extiti, an præfatam quæstionem explanarem, necessium enim erat quasdam epistolas Hispani idiomatis referre, quæ circa illam aliquando transierunt, & durum mihi videbatur, suspicans, & timens populi inconstantis iudicium, quod nec veritate rerum, nec vtilitate mouetur aliquando, quin omnia maledici vsurpentur, & euertere conentur; verùm cùm æqui animi sit eandem veritatem, & vtilitatem amplectens de oblocutionibus non curare, ideò hanc regulam sequutus præsuppono quòd Magistralis Canonicus Doctor Franciscus de Agreda in Ecclesia Collegiali Talabricensi, cùm ad strictiorem virtutis gradum ascendere intentasset, inter alia multa tam pœnitentiæ, quàm parcimoniæ illud in se assumpsit obseruandum, quòd sine albo linteo, vulgò *cuello*, à Clericis iuxta faciem portato deambularet, & cùm esset mihi notus, & familiaris, & viderem illud non expedire post verbalem monitionem, in scriptis redactam aliquibus considerationibus prudentialibus ad illum epistolam remisi, & ipse postea aliam rescripsit, quam repetere consequens erat, & eidem secunda fuit à me tradita, qua visa aliam etiam, & vltimam schedulam præstitit, & quia ex eisdem epistolis plura vtilia possunt prouenire, illis præmaximè, qui virtutum profectibus se committunt, ideò cum Lectoris beneplacito illas in hunc modum typis mandare curauimus.

Carta al Doctor Francisco de Agreda.

Las raçones que se me ofrecen para que sea mas perfecto tornarse a poner el cuello, y que el hauersele quitado haya sido imperfecto e indiscreto: son las siguientes.

Lo primero *desdice de la perfecion la singularidad, y Dios no gusta della, por lleuar consigo embuelta la presuncion y querer ser tenido por mexor que otros, y si se lee el capitulo 57. del libro 6. de santa Brigida se hallara que nuestra Señora dice no hauer traydo cosa singular, ibi,* Nec aliquid singulare in me præferre volui, *&c. y en el capitulo 16. del libro 7. tratando del habito que hauia de traer la Santa, en tierra de Moros, donde hauia peligro de la vida en ser conocida, se le reuelò que truxesse su habito, y traxe acostumbrado y ordinario, ibi,* ideò tenere modum consuetum in vestibus & facie, *&c. y desta singularidad nacio*

al principio nota y tener que decir, lo qual viene a ser culpable en quien lo causo, y mientras la singularidad dura, se continua la falta que trae consigo y la causa de la nota, y dar que decir, de que se colixe que esta mudança tan lexos estuuo de ser de Dios y su espiritu que antes le fue contraria y opuesta por ser defectuosa y viciosa como queda dicho.

Lo segundo, *ordinarios son los feruores en los que van ascendiendo a la perfeccion, y lleuados dellos hacen cosas indiscretas con que o se pierde la salud corporal o el aprouechamiento espiritual y assi se ve que las tales cosas no tienen continuacion y se acaban luego porque esto es propio del feruor, como vemos en el de vna olla, que se dissiparia toda y acabaria la sustancia, si no se apartasse y cociesse con fuego lento, del qual salen obras perfectas y discretas, como al contrario del feruor y fuego feruiente nacen las indiscretas, deste nacio la mudança del cuello y assi debemos juzgarla por accion dissipada fuera de la olla y falta de sustancia y discrecion interior con que deuia ser reprimida y detenida en su principio.*

Lo tercero, *grande alteça de gracia es, sauer ocultar el grado de virtud y teniendole y vsandole, dar apariencia a los ojos de lo contrario, y assi aunque es gran virtud no vsar el lienço en lo interior, seria esmaltarla, con vsarle en el habito exterior y quanto dista en valor el oro con esmalte al que no le tiene, tanto dista la vna virtud secreta de la publica, mayormente en cosa en que el exemplo exterior no es de importancia, y no todas las virtudes ni dones interiores se han de traer a fuera para los proximos, sino las obras ordinarias de virtud y que pueden aprouechar, las demas se han de dissimular, lauandose la cara para ocultar el ayuno.*

Lo quarto, *considerada solamente la accion y priuacion del cuello tiene muy poca sustancia y aumento porque no es cosa dolorosa o penosa y assi falcimente se puede omitir y superar, y si es de alguna virtud, ya essa esta publicada y exercitada y assi conuiene aora adquirirla mayor, en tomar el modo primero y acostumbrabrado, ganando con ello, el mortificar y vencer la voluntad, y feruor: el sufrir lo que dixeren acerca de ser variable; el solidarse mas con esto en el menosprecio y humildad; el no estar asido a las acciones aunque parezcan virtuosas, soltando con libertad el afecto a lo que se conociere ser mexor, y si todo esto se gana con boluerse al primer vso, y de nohacerlo se pierde o se gana poquissimo, parece conueniente executarlo con resolucion.*

Lo quinto, *toda accion que trae consigo campañilla y señuelo, y dessemexança, contradice a la vnidad y recepcion de la Iglesia y habito secular Eclesiastico, y por consiguiente se opone al espiritu de Dios que se deleyto con las acciones vniformes,*

calladas, y serenas de la comunidad, y lodemas es andar vn hõbre señalado con gloria resplandesciente y brillante dando de ojos y en los ojos perdiendo el goçar de los dias callados y serenos, como lo noto vn Poëta cuerdo y sagaz en estos versos,

Felix ille animi diuiſque ſimillimus ipſis
Quem non mendaci reſplendens gloria fuco
Solicitat.
Sed tacitos ſinit ire dies, *&c.*

Lo ſexto, *es cosa natural boluerse las cosas a su centro y principio, y que ha de parecer bien, y si alguien lo tuuiere por mudança y liuiandad, esto se acabara en dos dias en boluiẽdose a la vnidad y semexança de todos parque ya no ay que notar, ni que murmurar, y de no hacerbo y continuar la dicha accion, es no querer voluer al centro, es reincidir en falta exterior y traer señuelo consigo y que durara esto mientras ella durare, y assi de dos inconuenientes, deue ser elegido el mas temporal y de mas breue resolucion para que el daño sea mas breue y menos aduertido y notado.*

Lo ſeptimo, & ſummopere notãdum *es que los que han llegado a probar el consuelo interior y hecho salba a los platos del espiritu, entienden que ya no han de pecar mas, y aunde pecados veniales se desdeñan pensando no los han de cometer; y de entender o presumir esto, se arroxan a hacer acciones exteriores de perfecion o de virtud: y como tras el dia se siga la noche y tras el verano, el inuierno, y el hombre sea inconstante en sus propositos, mayormente en los que se fundan en fe, suele algunas veces aunque sea muy espiritual caer en pecados graues, y muchissimas en veniales, y quando se ve caydo o deslustrado querria no hauer hecho alarde de virtud, que tan poca seguridad tenia, y de aqui le viene cierto empacho y tedio con las acciones publicas, que hico, y le pesa de no hauer preuenido lo que podia suceder, todo esto es digno de grande ponderacion para si no ha sucedido, temer que suceda, y guardar en silencio la virtud para entonces: acudiendo con las demas obras al exemplo de los proximos, que como son cada vna de por si, sin continuacion como la reformacion del habito, no estan hiriendo en tiempo de menguante y de aduersidad; que es muy ordinaria tras la prosperidad, y para aquella se debe tener hecho posito o deposito, para que su agrura no sea tan molesta y congoxosa: yo querria ser imitador de la abstinencia del lienco en lo interior, pero no en el traxe y habito exterior la qual siento no ser conueniente y que se debe quitar.*

Hoc tibi conſulo, quia amicus tuus ſum, hoc tibi ad meritum & excuſationem imperare poſſum, quia iudex tuus ſum.

Respuesta.

COmo a muchos dias que conozco su celo Christiano de vm, y el deseo que a mostrado de reformar mi vida, recibi muy particular merced con el papel que vm me embio, que contiene las raçones conque vm me pretende persuadir, a que sera mayor perfecion voluerme a ponor el cuello, que no el auer me le quitado y andar sin el, porque fue indiscrecion y imperfeccion el auer hecho semejante accion.

Lo primero digo, que creo, que en quanto la tal faccion procedio de mi que sera indiscreta, imperfecta, y mala pues que siendo, yo tan imperfecto, y malo no podria de mi proceder cosa que no lo fuese, pues dice nuestro buen Redemptor en su Euangelio, qu'el arbol malo no puede producir buen fructo, Non potest arbor mala bonos fructus facere.

Lo segundo digo, qu'en quanto procedio, del consejo de personas muy discretas y spirituales, con quien yo lo consulte, y de otras de grande autoridad, religiō y Iuycio que lo aprouaron que no solo fue accion indiscreta y imperfecta, como vm la llamo, sino honesta buena y discreta, y para dar a vm satisfaccion desta verdad ningun medio me a parecido mas a proposito qu'el responder a sus raçones de vm, que aunque tienen mucho de agudeça, y apariencia no se si tienen tanto de sustancia y fundamento.

A la primera raçon respondo, que la singularidad en apartarse de Dios, y de su sancta fee Catolica, no solamente desdice de la perfeccion, pero es muy contraria della, y que grandemente offende a la magestad diuina, pero la singularidad que se ordena a mayor honrra y gloria de Dios, y a seruirle con mayor pureça del alma no solamēte le desagrada, sino que es sumamente agradable a sus diuinos ojos, a ora sea singularidad en lo interior, aora sea en lo exterior, o en todo como se puede ver en las religiones sagradas, que en lo exterior de su habito, y en lo interior de su spiritu todas son singulares, y se apartan en todo del camino comun de los demas fieles, con sumo agrado de Dios, porque la singularidad de suyo no trae (como vm iuzga) enuuelta consigo la presumpcion, de ser tenido por mejor que otro, que eso procedera de la intencion mala, y deprauada del que a fin tan vano ordenare su singularidad, y no d'ella misma.

Y no se de donde vm aya collegido, que el quitar me yo el cuello naciese desta intencion deprauada, que aunque de vn sujeto tan malo, y tan vicioso como el mio, no pueda proceder cosa buena, esso no se puede presumir de vn Sacerdote honesto, que desea seruir a nuestro Señor de veras, y pudiera yo decir lo que el Apostol S. Pablo dixo tratando de los Iuycios ocultissimos de Dios, Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eis fuit. *mi pensamiento escōdido en mi coraçon, que esta*

esta reseruado, a solo el conocimiento de Dios quien le pudo conocer.

A la primera reuelacion de S. Brigida, que vm trae digo que sus reuelaciones se deben leer con atencion, y entender cum grana salis pues la Yglesia santa llama a la Virgen santissima Virgo singularis en el hymno comun de visperas, y sus historias de la misma Reyna de los Angeles affirmã que toda su vida andubo vestida de varice, que para vna Princesa soberana aquien Dios viste del Sol, y calça de la Luña, y corona de las Estrellas, fue singularissimo vestido.

A la segunda reuelacion, digo que no a menester respuesta, mas digo a esta primera raçon, que la accion de andar vn Sacerdote honesto sin cuello por mortificarse no solo en lo interior, sino tambien en lo exterior, que de suyo no es mala, sino honesta y vertuosa, porque si lo fuera no vsaran della los religiosissimos Clerigos de la Compañia de Iesus, y digo Clerigos porque asi los llama, el santo Concilio Tridentino, y dello, se precian los Santos, con mucho honor suyo, y del habito Clerical, losquales buscando vn habito decente, y honesto para vn Clerigo virtuoso y bueno no hallaron otro que mas lo fuesse, que el que ellos traen, que es andar sin cuello con mucha edificacion, y aprouacion del pueblo Christiano.

Y asi concluyo esta Respuesta y digo qu'en auer me yo quitado el cuello con animo de mortificarme, intus & foris, y de imitar a estos santos religiosos que no solamente desagrado a nuestro Señor, sino que quiça le hice vn seruicio mui agradable a sus diuinos ojos, loqual quiero confirmar con vna raçon de fe Catolica, cosa cierta y clara es, en nuestra fee que a nuestro buen Dios y Señor ninguna cosa le desagrada: si no es el pecado, aora sea mortal, o venial pues como el andar sin cuello de suyo, no solamente no sea pecado mortal, ni venial, sino que es virtud por lo menos se reduce a la virtud, de la honestidad, y compostura del cuerpo, como practicamente lo muestra la sagrada religiõ de la Compañia cosa cierta es que no desagrada a Dios, sino que le es cosa amable y agradable a su diuina Magestad.

A la segunda raçon, respondo, que de la misma definicion que vm da del feruor indiscreto, y necio se collige claramente, que la accion de auerme yo quitado el cuello, que no procedio del, pues si el feruor indiscreto dura poco, y se acaba luego esta faccion a dos años que dura, y con la ayuda de Dios no se acauara mientras la vida durare, si Dios no ordenare otra cosa, y quien lo puede mandar.

De la tercera raçon facilmente me pudiera librar, si con vm confessara, que el hauer me quitado el cuello, no solo no fue virtud, sino accion indiscreta, y imperfecta, segun esto ninguna virtud descubri sino antes liuiandad, y vauidad.

Pero respondo a la substancia de la raçon, digo que el ocultar la virtud, y tener encerrada en el alma esta

margarita

margarita preciosa es cosa muy excelente, y laudable, pero que tambien es muy glorioso manifestarla quando se ordena para mayor honrra y gloria de Dios, y para mayor aprouechamiento de quien la posse y, para edificacion del proximo, doctrina es, esta, muy Catolica, y enseñada por Christo nuestro, bien que nos dice, Vidi autem opera bona vestra vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. *Y si yo en esta obrilla tan miserable e pretendido yo la gloria de Dios remitolo a su diuina magestad en cuya diuina presencia,* Omnia sunt nuda & aperta, *como dice el Apostol S. Pablo, y si a sido el quitar me el cuello, de algun aprouechamiento para mi y para mi alma yo lo diria como y en que, me a aprouechado, y me aprouecha, y si a sido para edificacion de los otros digan los ellos añade vm. en esta raçon, que si es alguna virtud, andar sin cuello, que ya esa esta publicada y a si combiene aora voluer me le a poner, para mayor mortificacion, y vencer la voluntad propia, y ganar mucho con lo que dizeren, y murmuraren aora, a cerca, de parecir mudable, y variable, confiesso que fuera alguna ganancia mia, y mortificacion, el voluerme, a poner el cuello, lleuãdo con paciencia los dichos que en esso puede auer, pero fuera gran perdida, y menoscabo de la virtud, de su lustro y resplandor, a loqual grandemente se debe atender, porque no ay cosa que tanto desacredita, ni desflore la virtud, como la variacion y mudança en ella, y anda iugando con vna cosa tan preciosa, de cuya raçon es que sea solida, firme, y constante, y inuariable sin que oy parezca vno, y mañana otro, en vn mismo genero de virtud; como todos los hombres espirituales lo affirman.*

A la quinta raçon, ya queda bastantemente respondido arriba, y lo que poco a dixe que la accion que se ordena a mayor honrra y gloria de Dios, y a seruirle con mayor pureca, y perfeccion aunque sea con mudança singular en el habito, y en la persona ni se opone al espiritu de Dios (antes lo ensalça y glorifica) ni al vsso de la santa Yglesia, pues vemos en ello, con gran gloria y honrra suya, que todas las religiones son singulares en la vida, y en el habito, y que todos sus religiosos son singulares, pues los religiosos vnos andan discalços, vestidos de remiendos, otros de saial, y vestidos humildes despreciandose en lo interior, y exterior, para mas mortificarse, a si mismo, y para mouer, y edificar a todos, y no solamente son tenidos por indiscretos, y inprudentes, sino por muy prudentes, santos, discretos, y sieruos de Dios, quanto mas que yo no e mudado el habito clerical de donde se collige, que no debe ser la singularidad en si condenada, sino la que se ordena a vanidad, y offensa de Dios, de laqual por la bondad infinita suya, pienso que estoy libre en mi accion tan miserable y tan de poca substãcia (que es verguença toma la en la boca) pues en ella solo pretendo mortificarme

tificarme, y menospreciarmente, y que todos me menosprecien, pisen, y guellen, como la cosa mas vil, y vaxa del mundo.

Pero dira alguno, que la singularidad, y la mortificacion principal, en lo exterior, parece bien en los religiosos que son gente perfecta, sancta, y buena, que en los Clerigos, ninguna singularidad parece bien, sino que todos anden uniformemente en todo.

Objecion y replica al parecer indigna, de todo varon, pio, y Christiano, y ageno de toda caridad, y Spiritu de Dios, pues es cosa muy asentada, que cada vno en su estado, deue seruir à nuestro Señor, con la mayor perfecion que pudiere, imitando al mas perfecto, en quanto en si fuere, aunque sea apartandose, del camino ordinario de los demas, en quanto no fuere contra la ley de Dios, ni contra las buenas costumbres, ni contra la honestidad y decencia, de su habito, aunque sea singular, y esto principalmente a los Sacerdotes, aquien corren tantas obligaciones, de auentajarse, a los demas, en virtud y santidad, por auer los puesto Christo en su Yglesia, para exemplo viuo de los demas fieles, por espejo, en que se miren, por relojes a cuyo mouimiento se mueuan, y anden concertados, en su seruicio, y guarda de su diuina ley.

Pero o dolor grande digno de ser llorado, con lagrimas de sangre, sacadas del coraçon, que por nuestros pecados, los Sacerdotes somos los que peor viuimos, y los que mas mal exẽplo damos, sin procurar adelantar nuestro habito, y seguir la perfecion, como deuemos, cosa admirable, que en espacio de muy pocos años ayan los Religiosos, de casi todas las religiones, perficionado, y estrechado su vida, reformado, su habiso, mortificandose, y mas priuandose de todo regalo humano, descalçandose de pie y pierna, vistiendose de sacos, y sayales asperos, assi religiosos como religiosas, exercitandose en ayunos perpetuos, desnudandose de todo regalo de lienço, y cama blanda, contentandose, con lo muy moderado, para pasar la vida, y que los Clerigos en mas de 1600. años, que a que el Sacerdocio se instituyo, por Christo nuestro Redemptor, en la ley de gracia, no ayan perficionado su habito, ni estado, viuiendo con mayor honestidad, y pureça de vida, siendo su habito d'el mismo Christo, que es el summo Sacerdote, segun el orden de Melchisedech, y el de los Apostoles, que fueron los primeros Sacerdotes, que el mismo Señor consagro, el jueues de la Cena, y que habito tan santo que lo fue d'el Principe de la Yglesia el gloriosissimo san Pedro consagrado por tantos Pontifices, Obispos, y Sacerdotes santos, que con sus gloriosos martyrios le consagraron, y canoniçaron, este oy no se aya aumentado, al contrario que ande tan de capa cayda, tan abatido, y menospreciado, por los ruynes Sacerdotes, que oy le vestimos (con dolor de mi anima, y de mi coraçon lo digo) que ande por las tauernas el habito de S. Pedro,

por los bodegones, por las casas de las deshonestas mugeres, por las casas de juegos, iugando juegos prohibidos de gran suma de dineros, de mil ducados, y dos mil, aunque ay Clerigos que no tienen ciento de renta, con tanta publicidad, y escandolo de los seglares, que es lastimosa cosa el oyrlo, otros muchos ocupados en tratos illicitos, y malos, que sin grandecima indecencia d'el habito Clerical, no se pueden vsar, ni sin grande offensa d'el summo Dios tolerar, dando ocasion a los seglares de murmurar, y de desestimar vn habito tan santo, que si los Sacerdotes fueramos los que deuiamos, nos respetaran, y truxeran todos sobre los ombros, Dios lo remedie por su infinita bondad, y aura los ojos, a los Iueces, para que cada vno, en su iurisdicion procure remediar, corregir, y castigar, lo que le toca, temiendo el juycio temeroso de Dios donde se les a de pedir estrechissima quenta de la omission floxedad, y descuydo, que an tenido en castigar, y corregir los delictos, y pecados de sus subditos, remedie lo Dios como puede, y a mi me perdone v.m. hauer hecho esta disgression, que el celo de mi habito, y de la honrra de Dios me mueue, voluiendo a nuestro proposito a la 6. raçon respondo.

Y digo que cosa natural es, voluerse las cosas naturales a su centro, y todas las creaturas racionales a Dios, que es el centro de nuestras almas, y el fin vltimo, para donde fuymos ariados, y donde esta la quietud, y descanso de nuestros coraçones, como altamenoe lo noto, el sagrado Agustino en aquellas palabras tan memorables, que nos dexo escritas, para nuestro consuelo, y regalo, Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum donec reuertamur ad te. *Hiciste nos Señor para ti, y assi nuestro coraçon esta sin quietud, y reposo hasta que voluamos a ti, que eres el blanco de nuestros desseos, y el centro de nuestras almas, a este fin deuemos mirar todos, este es el centro adonde hauemos de procurar boluer, que es el principio eterno, de donde salimos, y esto se hace guardando la ley de Dios, amando a este dinino Señor con todas nuestras fuerças, alma, y coraçon, y a nuestros proximos, como a nos otros mismos, desnudando nos, de nuestras passiones, refrenando nuestros apetitos desordenados, vistiendo nos de Christo, como nos lo a conseja, el Apostol. san Pablo,* Induimini Christum, *Vestamonos de Christo, de la liurea de su amor y caridad: no consiste Señor nuestro la perfecion Christiana en quitarse, ni ponerse el cuello, que essas son niñerias, y iuguetes, que no tocan a lo viuo, d'el spiritu, ni a la pureça d'el alma, ni a la vnion con Dios, que no se hace con essos medios, sino con rendir el alma a su obediencia, y poner nuestra volantad, y libertad, deuaxa de la suya sanctissima; conformando nos en todo, y por todo, con ella, desseando que esto se cumpla, assi en la tierra, como en el Cielo, assi en*

el

el tiempo, como en la eternidad.

A la septima y vltima raçon, quam dicis summopere esse notandam, hunc ipsum dicendi modum super te retorqueo. *y digo que,* salua tanta viri autoritate, meo iudicio, nec veram, neque certam iudico. *La substancia de la raçon es esta: Los varones spirituales, que han llegado a prouar el consuelo interior, y hecho salua a los platos del spiritu, entienden que ya no han de pecar mas, y aun de pecados veniales se desdeñan, pensando que no los han de cometer, y de entender o presumir esto, se arrojan a hacer acciones exteriores de perfecion, o de virtud.*

Lo contrario a mi parecer corre en los varones de spiritu, que aunque ayan llegado a hecharse a pechos, a la fuente de los diuinos deleytes, y ayan començado a gustar el nector suauissimo, de su amor, no solo no entienden, que no han de pecar mas, sino que cuydo y recelo, (de que pueden caer, si Dios los dexa de su mano) los trae cuydadosos, y inquietos, suplicando al diuino esposo, los tenga de su mano, y conserue en su amor y gracia, esta es supeticion, y continua oracion como la experiencia lo muestra, y assi la dulçura de los diuinos fauores, no les sirue para arojarse (como v.m.^d a punta) a cosas exteriores, sino de freno, para no desmandarse vn punto a obra ninguna, con peligro de pecado venial, aunque sea mas remoto, en tanto grado temen los varones sanctos, el cometer vn pecado venial, que dice la santa Madre Teresa, en el libro del camino de la perfecion, que por todos los tesoros, y requezas d'el mundo, no cometeria vn pecado venial deliberadamente, y yo conozco a vn hombre harto gran pecador, que quando lo leyo en la santa, propuso en su coraçon, perder la vida, y mil, que tuuiera antes de offender a Dios venialmente con su diuina gracia, y el santo Rey Dauid tan ajustado con el coraçon de Dios, como el mismo Señor lo mostro, dixo en vn Psalmo, Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Deus, *que quando entraua a orar con Dios, hacia grande examen de su consciencia, porque si hallaua en ello algun pecado, sauia por muy cierto, que no le hauia de oyr Dios, y con grandes anxias pedia a Dios, no solo, que no le dexase caer en pecado conocido, sino que de los cultos pedia que le liurase,* Ab oculis meis mũda me Domine. *tan lexos luego estan los varones perfectos y buenos, de no temer los pecados, aunque sean veniales, que no solo se arrojan, ha hacer obras exteriores de perfecion, y virtud, con riezgo de algun pecado venial, sino que dexaran de hacer con solo el peligro de caer en el obras perfectas, porque como aman tan de veras, y con amor tan cordial a Dios, temen mucho el offender aquella summa bondad, aunque sea liuianamente, y tambien poque sauen, que la dulçura de su diuino amor, y suauissimas consolaciones, no se comunica, sino*

Hh 2 *a las*

a las almas, puras, y limpias, y assi procuran quanto es en si con todo cuydado, y desuelo conseruar la pureça d'el alma, para no impedir el influxo de los diuinos fauores.

Finalmente concluyo diciendo, hoc tibi consulo, quia amicus tuus sum, *estimo sobre mis ojos, el consejo, porque se que procede de muy buen celo, y amistad en el alma, porque se que es muy de veras*, hoc tibi ad meritum, & exercitationem imperare possum, quia iudex tuus sum. *muy de buena gana confiesso a v. m por mi Iuez, y mi Señor, pero cierto, que pienso, que aunque v. m. lo es para castigar mis delitos, que no esta tan assentado, que lo sea, para reformar mi vida, que Iuez de esso es el Serenissimo Infante, y el Visitador que su Alteza nombra para visitar, y reformar mi Cabildo, pero como quiera que sea, muy voluntariamente me pondre yo deuaxo de sus pies de v. m. para que me corrija y castigue, hasta dar me dos cientos açotes, por essas calles, que por mis maldades, y offensas cometidas, contra mi Dios, los tengo muy merecidos.*

Y yo tambien concluyo con decir los motiuos, que tuue, para quitar me el cuello, que arriua prometi de decir lo primero fue mortificarme en lo exterior, para yo mismo menospreciarme, y que todos me menospreciaran, y para mortificar mis apetitos, y passiones interiores, que lo vno, y lo otro ayuda mucho, en la gracia de Dios. La 2. fue poner me vn velo delante de los ojos, y vn freno a la lengua, y vnas esposas en las manos, y vnos grillos en los pies, para no offender mi Dios, en poco, ni en mucho, en hecho, ni en dicho, ni con desseo, porque me persuadi a mi mismo, con vn sancto temor, que si no traya, mis ojos muy honestos, y recogidos, que al punto me hauia de decir, padre o Señor, recoxa la vista, o saque se el cuello, y si me desmandaua a tratar, de la honrra de mis hermanos, y a murmurar como cosa tan comun, temi lo mismo que si me desmandaua a hacer alguna mala obra, o meterme en algun trato illicito, temia lo mismo, si me veyan andar en malos passos, y malas compañias, luego el cuello que estos temores, y principalmente el no offender a la diuina Magestad me traen mortificado, y cuydadoso, de mirar como assiento el pie, y si algun bien e conseguido, y algun pecado e euitado, con esta mortificacion exterior remitolo a que el Padre de las lumbres de quien viene todo el bien confirmado, que sea bendito alabado, y glorificado por todos los siglos de los siglos.

Amen.

Segunda

Segunda carta en que se satisface à la respuesta.

POr entretemimento puedo tener estos colloquios con v. m. ya en vna lengua, ya en otra, por la enseñança que dellos saco, he visto estas raçones en respuesta de las que represente para ponerse el cuello, y para mostrar que no concluyen ni satisfacen, escriuo este papel.

Lo primero, *la accion del cuello no se hauia de hacer por consexo de personas solamente, sino por precepto, y obediencia de Superior, porque la accion exterior pide obediencia exterior, y sin ella no puede ser perfecta, antes viene a ser voluntaria; pues los consexos no la pueden justificar mayormente en quanto al habito o traxe, en elqual no tienen superioridad alguna*: vnde in opere tuo, & in mortificatione tua, inuenitur voluntas tua, *a loqual no se puede satisfacer*, vt autem huius voluntatis nota, & imperfectio, tibi tantùm præiudicet, eam tibi annunciamus, & declaramus, voluntatem nostram ab illa remouendo.

Lo segundo, *la singularidad de las Religiones en el habito, no es notable sino perfecta por dos raçones, vna porque hacen cuerpo a parte, otra porque el habito desse cuerpo es vno en los miembros, y estas dos raçones no se aplican al caso presente pues v. m. no hace cuerpo a parte de la Clerecia, y no haciendole, no vsa del traxe comun della, y de la intencion de v. m. yo no he dudado: ni porque se diga que la singularidad trae consigo* regulariter *presuncion, se sigue en el sujeto, y caso presente, se note hauerla, y teneria.*

Lo tercero, *Maria sanctissima la Virgen, y Madre de Dios se llama* Virgo singularis, *en quanto a la excellencia, y singularidad de sus virtudes, a que nadie llego que por esso es proprio el apellido de* singularis, *y esto no tiene que ver con el habito de que vso en su vida, de que habla santa Brigida, en el qual no consintio singularidad alguna, porque no cabia en la perfeccion de su vida, y exemplo.*

Lo quarto, *el simil de la Compañia, y sus Clerigos no viene a proposito, antes del se comprueba mi intento, porque ellos hacen cuerpo a parte, y v. m. no: y porque ya traen algun genero de cuello blanco: y porque son Clerigos Regulares, y Religiosos, y nos otros seculares: y si alguno dellos quisiera traer metido el cuello que traen en cima del jubon, y no traer cosa blanca, o si quisiera alguno andar descalço, o apartarse algo de la vniformidad, preguntneles v. m. que hicieran, y esso mismo se debe hacer con los Clerigos seculares que se apartan vn punto del traxe exterior secular.*

Lo quinto *esta accion no es pecado mortal, pero es venial por hauer causa de nota, y murmuracion en la singularidad, laqual sin nota siempre es imperfecion mayormente no se haciendo con obediencia*, Vtrùm autem hoc verum sit, an non, conscientia, & ratio præsens & futuri sæculi purgatorium demonstrabit.

Lo sexto, *el feruor dura poco regularmente, pero despues que esta conuertido en carne y sangre, y voluntad propria, ya no es feruor mayormente en los que no tienen docil, y flexible condicion.*

Lo septimo, *tambien seria de vtilidad para los proximos, y exemplo (segun su sentimento de v. m.) que vn Relixioso de la Compañia anduuiesse descalço o mas abstinente que los demas*, vt videant opera vestra bona, *&c. y es notorio engaño: pues antes en lo interior fuera indiscreto, y en lo exterior castigado.*

Lo octauo *nadie puede negar, que si los Clerigos quieren, pueden acrecentar las virtudes, y la vida subiendo a lo mas acendrado de la perfeccion en los pensamientos palabras, y obras, y la singularidad en esto, es singula perfeccion, y santidad grande, pero ha de ser*, cum moderamine discretionis, & cum grano salis. *porque no seria santidad discreta que vn Sacerdote truxesse la cara llena de lodo, o ceniça que causasse horror o tedio, ni que hiciesse varios gestos demonstratiuos de virtud, ni que hablesse della sin saçon, ni que por dar limosna se quedasse en calçones, y sin sotana, o sin libros porque todas estas obras aunque sean de mortificacion, son de poco valor, y quiça culpalbles por no ir saçonadas con el estado prudencia, y habito exterior, en el qual se contiene el traxe del cuello de lienço, aunque las Religiones se han reformado, y descalçado algunas dellas; otras no lo han consentido en lo exterior, como son las Monachales, la Cartuxa, los Dominicos, y los de la Compañia, y no por esso dexan de fructificar muchos santos, y la Clerecia por constar de personas libres, y sueltas sin obediencia claustral, no es capaz de reformacion descalça, y porque han de habitar en el siglo, y no faltan Clerigos santos en las Cathedrales, Colegiales, y en los Curatos, y Ympentazgos, y Clerigos en sus casas, y en ellas conozco, yo algunos de purissima vida, y que se abstienen de todo lienço, y tan lexos estan de quitarse el cuello que seria menester vn gran precepto para no traerle por no differenciarse de los demas, y aunque ay muchos que tienen los vicios que v. m. refiere, los Iueces sauiendolo lo remediaran, sino son tan floxos como yo.*

Lo nono, *si es niñeria, y iuguete el quitarse elcuello, como se halla, v.m. duro en ponersele? mayormente si el quitar le fue sin obediencia, y el ponerle co gusto del Superior desta villa? y dice, que mientras viuiere le ha de hacer, y pone duda en si soy Iuez, o no,*

o no, eſtando eſto vencido, y con todo el cauildo; quanto mas con vno del: de que infiero ſer cierto lo que arriba dixe; quòd in opere tuo, & mortificatione tua inuenitur voluntas tua, quæ vel in præſenti, vel venturo ſæculo purganda erit, & quod tuum cor parum recens, & flexibile apparet ad obedientiam arripiendam, & ſaniora diligenda.

Lo decimo, *el ſauer de los fauores eſpirituales, no digo yo que ſea cauſa de pecar que no ſe dan para eſſo, y muchos vſan tan noblemente dellos que no pecan, ni aun venialmente de aduertencia pero otros que pienſan ſer ſiempre fauorecidos con la gracia que tal vez ſintieron, por entender ſeruir, y correſponder mexor, ſe dan a mayores aſpereças interiores, y exteriores, y ſe declaran por ſieruos de Dios con algun empeño indiſcreto, y como es poſſible pecar deſpues, y peco Dauid y otros, y ſan Pedro, ſienten deſpues hauerſe declarado tanto en lo exterior, y que aſſi es bien ocultar algo de la virtud, y no toda deſcubrilla, eſto es lo que dixe, y que me parecia ſanta cautela para que la virvirtud no quede deſpues conocida por floxa y el ſujeto por inconſtante, y como yo ſe tanto deſto de floxedad, y pecado preuengo lo que puede ſer, pero v.m. como mas fuerte, no eſtara tan lleno deſte temor, y como ya membrudo en la virtud y charidad, no le admitira los demas, que no han llegado a eſta fortaleça, es fuerça no ponerſe a los primeros, y mas declarados golpes de la batalla haſta que ſean antiguos y animoſos ſoldados.*

Yo agradezio a v.m. la humildad de los acotes que ſi eſta es de coraçon, como lo ſera en varon pio y bueno, muy facil ha de ſer la poſtura del cuelle, y yo la pido la deſſeo, y la mando porque entiendo le hago a v.m. ſeruicio, y buena obra, y que (ſi tengo voto) guſtara Dios della elqual ſacara della otros bienes, como v.m. dice, que los ha ſacado de la priuacion, y aſſi haura desfrutado, y merecido por vno y otro modo; ſi bien no me puedo conformar con que accion exterior hecha por hija de obediencia, haya ſido ſin ella perfecta, y buena, y la nota y murmuracion que ha hauido, y que dura lo declara: vnde qui ſine obedientia, meritum pœnitentiæ quæſiuiſti, exurge ſecuriùs, & cùm illa idem meritum, & lucrum apprehende, exemplo apum quarum obedientia ad Regem tanta eſt, vt in exeundo, & laborando ſemper ſtent ad nutum eius, nec voluntate propria, aut de conſilio cæterarum apum moueantur, ideò fructum ſuauitatis conficiunt. Tu, amice, apis es Dei, & in terra ſuperiorem habes: debes ergo ſtare in apiario tuo: id eſt, in habitu ſæculari Eccleſiaſtico, qui licèt in qualitate immutari, & reformari poteſt, in quantitate tamen, & modo vniformiter debet obſeruari, & ad exeundum ab hoc apiario, & habitu; immutando modú illius,

illius, debebas assensum superioris habere vt fructum suauitatis perciperes, nec cæterarum apum consilio gubernari, quarum mens inordinatè trahitur aliquando, vnde si obedientiæ, & Regis apû, & earum asyli vocem, & assensum contempseris; quid mirum si non suauitatis, sed amaritudinis, & purgationis fructum degustes.

Otra respuesta sobre el segundo papel.

Con este embio a v. m. su papel primero, y el segundo que oy me escribio, y tendre cuydado de buscar el que estaua aca, antes desto que cierto desseo mas de lo que saure decir que paresca para sacar a v. m. de cuydado, a este papel de oy, yo no respõdo porque el seruir mi canongia, y el acudir al ministerio de Sacerdote me tienen tan ocupado, que no me dan lugar para ello, quanto mas, que ni yo me hallo con suficiencia, ni caudal para responder a sus papeles de v. m. tan ellenos de erudicion, como de doctrina, de que yo me deseo aprouochar mucho, solo digo, que estimara en mucho, que Dios me huuiera dado a v. m. por mi Prelado como me le a dado por juez, para que interiormente y exteriormente reformara mi vida, y quitara mis imperfecciones, y indiscreciones que son harte mayores, que v. m. piensa, y que yo quisiera Dios me reforme en todo, y quite mis imperfecciones, como vee que lo he menester, y me perdone mis grandes pecados, como humilmente se lo suplico, y guarde à v. m. muchos años, como yo deseo desta su casa, y sien. 8. de 1627.

D. Franc. Agreda.

Ex quibus epistolis ad cleri habitum spectantibus perpendi poterit, quàm fallax sit hominis iudicium, & quomodo aliquando bonitatis prætextu, & perfectionis, illud quod in se imperfectum, & vitiosum est, amplectitur, & defendit, ideò docet Paulus Apostol. 3. *ad Corinth.* quòd *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu, litera enim occidit, spiritus autem viuificat*, &c. Qui enim cogitat suis viribus, & prudentiæ limites transgrediens, etiam cum alterius consilio, aut imperio operatur, iam ex sufficientia sua, & illius existimat cogitare, & operari, & ministrum idoneum se esse reputet, quòd fidelitas Dei non patitur, sine monitione transire, & sic hoc, vel illo modo, & frequentiùs lingua Prælatorum loquitur, & exhortatur, quòd non litera, aut licentia, sed spiritu sobrietatis, & discretionis operandum.

QVÆSTIO CVI.

Extrahentes ab Ecclesiis eos, qui immunitate gaudere prætendunt, an super sacrilegio à iudice Ecclesiastico puniendi, & refertur praxis super hac punitione.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium committunt qui confugientes extrahunt ab Ecclesiis.*
2 *Praxis procedendi in his causis immunitatis.*
3 *Praxis super sacrilegij causa, & condemnatio.*
4 *Traditur in hac praxi distinctio quædam.*
5 *Refertur in his causis quid de censuris à iure latis practicetur.*
6 *An solutis expensis absolutiones iudicum concedantur, & quo additamento.*

1 EXTRAHENTES ab Ecclesiis delinquentes ibi receptos, sacrilegium committere constat suprà *quæst.* 79. *num.* 6. offendunt enim Ecclesiæ priuilegium, & immunitatem, & locum sacrum, in quâ offensione, seu læsione sacrilegij substantia consistit, vnde cùm passim in Hispania delinquentes extrahantur à ministris sæcularibus, operæpretium duxi praxim omnem referre, vt cæteris iudicibus Ecclesiasticis constet.

2 Itaque extracti statim mittunt libellum coram Ecclesiastico narrando tenorem extractionis, & à qua Ecclesia, seu loco sacro, & à quibus apparitoribus, seu ministris, & simul offerunt informationem, qua facta, iudex interloquutoriè decernit præceptum iudici sæculari, seu ministris, vt restituant extractum intra terminum arbitrarium sub censuris aggrauatis, aut iuret de non innouando contra reum, & eo casu compareat, si voluerit super immunitate non profectura litigare, tunc sæcularis regulariter non restituit, sed iurat in processu Ecclesiastico coram Notario actuario, & postea mittit suum Procuratorem, & respondet quæ sibi videntur proficua, & petit copiam, & simul vt sua acta sæcularia compulsentur, quibus compulsatis, & coram Ecclesiastico præsentatis, processus ad probationem ordinariam recipitur, & intra illius terminum, qui solet esse breui reclamante reo extracto, ratificantur ipsius testes in summario recepti, & etiam ratificantur testes iudicis sæcularis, & concluso negotio iudex Ecclesiasticus aut immunitatem frequentiùs concedit, aut aliquando denegat, & si appellauerit curia sæcularis, censuræ aggrauantur, appellatione non obstante, vt retulimus suprà *q.* 14. *num.* 3. *& quæst.* 31. *num.* 1. Verùm post appellationem simul violentiæ remedium intentatur, & præsentantur litteræ Regales octuaginta dierum, & cum illis Ecclesiasticis, vel metu, seu precibus compulsus absoluit, ad reincidentiam postea defertur processus, & in Audientiis Regalibus aliquando violentiam fieri, & censuræ præcipiuntur auferri, aut non fieri, & causa Ecclesiastico remitti, declaratur.

Post quam declarationem solet fortiùs censurarum promulgatio decerni, 3
& etiam cum illis compelluntur extractores ad comparendum coram Ecclesiastico super culpa cum Promotore Fiscali in iudicio criminali circa sacrilegium. nam in his casibus possunt puniri pecuniaria pœna, ex *l. Partita*,

& Gregor. *ibi*, quam cum aliis refert Curia Philippica 3. *part. iuicio crimin.* §.12. *Retraidos num.61.* & sic aliquoties practicaui, non solùm ante declarationem violentiæ, sed ante, quando ab illo recursu fuit discessum. nam tūc rei extractores fuerunt citati, & inter illos Correctores, seu eorum Vicarij, vulgò *Correxidores, y Alcades mayores*, & solent mittere vnum qui pro omnibus respondeat, & cum illo processus substantiatur, & etiam aliquando omnes extrahentes comparent coram Vicario, & sententia pecuniaria iudicis arbitrio pronunciatur cum expensis processalibus, & simul cum expensis regalis recursus, quando causa ad Ecclesiasticum fuit remissa, & sic memor sum coram me fuisse actum, & practicatum.

4 Verùm hæc praxis fuit cum iudicibus sæcularibus, & eorum ministris in locis inferioribus degentibus, non verò in illis, qui in locis præeminentibus degunt, vulgò *Lugares que son cabeças de partido, o de Reyno*, tunc cum illis non deuenitur ad hoc iudicium criminale, non quia non possit, sed ob eorum excellentiam, & quia simul cum iudicibus Ecclesiasticis viuunt, & ideò illa cognitio criminalis iustis de causis silentio prætermittitur, & sic ego vidi practicari, cum distinctione tamen, vt hæc prętermissio cum iudicibus tantùm intelligatur, non verò cum eorum ministris, & apparitoribus, contra quos iam aliquando super hac culpa fuit processum, etiam in locis insignibus, & censuræ fuerunt in iudicio criminali fulminatæ, quæ ob negligentiam ministrorum Ecclesiasticorum diu obdormierunt.

5 Modò videamus quid de censuris fulminatis contra extractores, & an in hoc iudicio Ecclesiastico de illis fiat mentio, inueniuntur fulminatæ *in constitut. Gregoriana XIV.* quam refert Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 17. & *in constitutionibus Toletanis, constit.* 4. *de immunit. Ecclesiarum.* Sed dico quòd coram me de his censuris non fuit actum, sed solùm de pœna pecuniaria; fortassis, quia illæ ex hoc violentiæ remedio remanent confusæ; aut quia, vt ait Emanuel Rodriguez, illa constitut. Gregor. non fuit recepta, & ab eâ fuit supplicatum in summa *cap.* 154. *num.* 8. vel quia illæ censuræ iam denunciantur, & publicantur à iudicibus Ecclesiasticis circa iudicium immunitatis ad effectum, vt extracti reuertantur, quibus restitutis dantur absolutiones; non verò de illis censuris agitur quando extractis restitutis agitur de culpæ sacrilegio, quia nisi pœna pro illo imposita soluatur, Ecclesiasticus extrahentes non absoluit, & sic primò restituuntur extracti post iudicium violentiæ, vel declaratum in fauorem Ecclesiastici, vel omissum, postea extrahentes citantur ad criminalem sacrilegij punitionem, qua soluta dantur absolutiones, & sic terminantur processus tam ciuilis quoad immunitatem, quàm criminalis quoad sacrilegium, & si hoc non exequatur, extractis restitutis iudex sæcularis, & eorum ministri petunt absolutionem ab Ecclesiastico, & constito per fidem Notarij de restitutione, illam concedit, solutis aliquandò expensis causæ.

Nam vtplurimum nòn ponitur in absolutione quòd expensæ soluantur, quando contenditur cum iudicibus superioribus, nec extracti in hoc insistunt, cum restitutione contenti, & sic pro sua parte expensas soluunt, & iudices, & eorum Procuratores pro sua, semel tamen cum iudice superiore habuimus causam immunitatis, & diu censuris innodatus extitit, ex eo quòd noluit extractum restituere, nec iurare de nòn 6

inno

innouando, & vsque ad anathema, & Ecclesiasticum interdictum fuit peruentum, quo non obstante, iudex palàm spretis censuris conuersabat, postea ad obedientiam reuersus absolutionem postulauit, quam concessimus ei cum duobus additamentis, vnum quòd primò expensæ causæ ab ipso soluerentur. nam reus erat pauperrimus. Alterum quòd absolutionem publicè flexis genibus in Ecclesia Maiori reciperet, & hæc si fuerunt obseruata, & iustè nam inobedientia, & contumacia crescente, & adeò publicè, conuenienter publica obedientia, & satisfactio Ecclesiæ sequebatur, eo maximè cùm in aliquibus partibus absolutiones iudicum sæcularium in his casibus eo modo prout audiui concedantur, & adhuc absoluens percutit humeros absoluti cum manicis super publicis interim dum absoluit in locum flagellationis, & virgæ ferreæ qua regere oportet, iuxta Psalmum 2. *Reges eos in virga ferrea*, &c.

QVÆST. CVII.

Non vulgaris.

Denegatio alimentorum an sit iusta causa separationis matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus, & plures Doctores non tractantes referuntur.*
2 *Affertur in terminis Farinacius.*
3 *Opinio eius affirmatiua in hac quæstione rationis argumento comprobatur.*
4 *Iudicium quæstionis traditur.*

QVÆDAM vxor à suo viro non recipiebat alimenta, sed volebat vagabundus, & otio traditus ambulare; quare ipsa diuortium intentauit, ex hac causa; qua probata, & ad sententiam deueniendo inquirere proposui hunc punctum in terminis, & in primis P. Thomas Sanchez *de matrimonio, lib.* 10 *disp.* 17. *&* 18. Gutierrez *canon. qq. lib.* 1. *cap.* 24 *per tot. &* *tract. de matrimonio cap.* 129. *num.* 28. Riccius *praxi fori, tit. praxis matrimonial. decis.* 235. Genuensis *in praxi Archiep. cap.* 21. Campanil. *diuersor. iur. Canon. rubr.* 6. *cap.* 3. *num.* 44. Menoch. *de arbitr. cas.* 138. Barbosa *ff. solut. matr.* 2. *p. rubrica à num.* 28. *& pluribus seqq.* hi omnes à me aliqua diligentia reuoluti prædictum punctum non disputarunt. 1

Quare illum inueni in Farinacio *de delictis carnis*, *q.* 143. §. *sanitia, n.* 152. ibi, *Amplia* 14. *idem esse quando maritus denegat vxori alimenta, & vestimenta condecentia, ex allegat. per Syluestrum, Aldobr.* cons. 71. num. 48. in fin. vers. *Accedit aliud*, & num. 50. & quia in posterum non lateret, adiudicaui his scriptis illum locum commendare. 2

Et probatur hæc doctrina manifestè, nam si maritus denegat alimenta, iam ex hac denegatione in mortem vxoris intendit, & quasi ipsi morti insidias, & fomitem præstat, & iuxta præfatos DD. & Farinac. *vbi proximè, num.* 154. conceditur separatio, & diuortium quando coniux aliquo modo vxoris vitæ fuerit insidiatus. 3

Hanc sententiam amplexus in specie *num.* 1. proposita, separationem, & diuortium quoad thorum vxori postulanti concessimus. 4

QVÆST. CVIII.

Duo syndicatus, vnus post alterum, quomodo & quando admittendus, vel denegandus.

SVMMARIVM.

1 *Vna tantùm ratio cuiuslibet administrationis postulanda, illa finita & expleta.*

2 *Non expleta, an secundus syndicatus concedendus? Et refertur praxis qua post terminum syndicatus querela proponi nequeunt.*

3 *Maleuolorum animus reprehenditur, & communis distinctio traditur.*

4 *Iudex per modum syndicatus de vno & eodem tempore resyndicari non potest, & terribile iudicium affertur contra superiorem concedentem.*

5 *Superior in concessione secundi syndicatus quomodo se gerere debeat.*

6 *Secundus syndicatus in aliquibus negotijs durat.*

7 *De tempore diuersæ administrationis nouus syndicatus admittitur, & affertur Toletana constitutio & praxis.*

8 *Pro secundo syndicatu iniustè concesso consilium & praxis.*

9 *Ad superiores syndicatus decernentes annotatio.*

1 DIXIMVS suprà *quæst.* 61. *n.* 8. quòd vna tantùm ratio cuiuslibet administrationis est postulanda, non duplex, & *num.* 1. iura omnia de vna hac ratione loquentia retulimus, quæ loquuntur & procedunt finita & expleta administratione, seu officio, & ideo ad quæstionem secundi syndicatus non passim incidit disputatio.

Quid autem si post primum syndicatũ iterum currat administratio, sicuti in Vicariis & cæteris ministris Ecclesiasticis, qui vt in plurimum ad tempus non promouentur, sed de nouo etiam dato syndicatu reeliguntur, numquid iterum poterunt syndicari? Dico quòd iuxta iuris principium tempora sunt distinguenda, vt iura concordentur, & vniantur; quare primum tempus, & prima administratio, iam vna censura examinata in forma ordinaria, cum præconizatione, vocando omnes interesse habentes, & quòd post terminum non sint audiendi, operatur vt de rebus & culpis illius temporis nullus postea possit audiri, etiam coram proprio iudice, vt communiter traditur à DD. quos refert Paz *in praxi* 1. *tom.* 8. *part. cap. vnico, num.* 11. Anton. Gomez 3 *tom. variarum cap.* 1. *num.* 23. *in fine*, cum aliis refert Auctor Curiæ Philipp 4 *p. residencia,* § *cargos, num.* 5. & 6. Itaque de illo tempore iam syndicato & examinato, etiamsi plura sint impunita, & omissa, aut improbata, nequaquam alio secundo syndicatu poterunt syndicari, cùm non duplex, sed vnicum sit administrationis examen & purgatorium. 2

Ex quo aliquando respondebam contra maleuolos quosdam, secundum syndicatum contendentes de vno & eodem tempore, vt nullo iure suffulti, immo omni ratione destituti tanquam iudicis sanguinem inhiantes in malitia propria submersi contendebant, & proclamabant; reseruata tamen communi distinctione, vt de culpis in officio commissis non punitis in primo syndicatu, in quibus est pars læsa, possit iudex ad illius instantiam coram 3

proprio

proprio iudice secundò iudicari, si in syndicatu solùm fuit facta publicatio, sine comminatione & exclusione que-
4 relantium & postulantium; † non verò poterit iudicari secundò, per modum secundi syndicatus extra proprium iudicem, & si aliquando aut sit factum, aut faciendum, ex tunc & modò concedentem syndicatum secundum, in reatu grauis culpæ cum tertij præiudicio & restitutione lapsum & irretitum absque vllo dubio arbitra-
5 mur & opinamur; † & si latrantes plura referant impunita crimina, respondeat Prælatus, seu Rex, videatur syndicatus primi publicatio, verùm sit sola, aut addita comminatio & exclusio. Primo casu ad proprium iudicem syndicati punitio remittat, aduertendo tamen si iam est facta, vel non, secundo totaliter deneget secundum syndicatum.

6 Nisi fuerit actio orta post excussionem in fideiussoribus receptis alicuius tutelæ, vel in erroribus computationum Reipublicæ, vt cum Castillo *in polit. 2. part. lib. 5. cap. 3. n. 140. & 142.* tradidit idem Auctor Curiæ Philippic. *d. § 4. n. 7.*

7 Quæ omnia procedunt in vno & eodem tempore administrationis, seu officij, in diuerso tamen quando officium post primum syndicatum restituitur, iam de illa noua administratione noua ratio poterit postulari, & ideo in constitutionibus Toletanis est stabilitum sub tit. *de iudicijs, const. 3.* quòd anno tertio omnes iudices Ecclesiastici & eorum ministri syndicentur, quasi quòd de tribus annis recepta examinatio, de illis nequaquam alia sit petenda, donec alij tres anni nouiter transierint, & ideo in litteris syndicatus solet expressè dici quòd ille incipiat à tempore quo vltimus fuit finitus, quasi quòd tempora sint distinguenda, & vnicuique vna culpatum punctum respondeat.

Verùm si secundus syndicatus de 8
vno & eodem tempore sit suadente Diabolo concessus, oportet vt iudicibus syndicatis & ministris opportunè consilium explanemus, quod erit ad superiorem, vel Ecclesiasticum, vel secularem per querelæ recursum, seu appellationis & notoriæ iniustitiæ recurrere cum testimoniis primi syndicatus, & publicationis, seu notificationis secundi, & petere litteras contra iudices, quæ si tantùm inhibitoriæ & citatoriæ fuerint, postea tamen visis actis necessariò secundus syndicatus erit reuocandus, sed adhuc sine actorum transportatione cum eisdem testimoniis authenticis scribarum tam primi, quàm secundi syndicatus poterit superior iustè excusare expensas omnis processus, & prouidere quòd intra terminum contra testimonia dicatur, & petere postea illa ad decernendum & prouidendum, & prouisio erit quòd de vno & eodem tempore secundus syndicatus non sit legitimè concessus, & sic reuocetur cum reseruatione, vt de nouo tempore trium annorum, vel finiti officij decernatur.

Licèt, vt diximus suprà *num. 7.* illa 9
Toletana constitutio trium annorum curricula petierit ad secundum syndicatum, non ideo hoc vt sonat in practica obseruatur. nam plurium annorum transcursus labitur aliquando, oportet enim in hac syndicatus materia superiores nimium immorari, & difficiles extare, ne vaniloqui & malitiosi dicant in cordibus suis, Euge, euge animæ nostræ, nec dicant, deuorabimus eum, iuxta *Psalm. 34.*

* * *

QVÆST. CIX.

In criminibus mixti fori absolutus, vel condemnatus, an iterum ab altero iudice iudicandus, & quid in praxi accipiatur.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur crimina mixti fori, & loca in quibus de illis disputatur.*

2 *Doctores etiam referuntur, & distinctio communis pœna condigna, vel non, in delictis ordinariis, vt in illis seclusis grauioribus vna pœna excludat aliam.*

3 *Quæ pœna dicatur mensurata cum delicto, & quæ non.*

4 *Distinctio communis parum, aut nihil est in vsu.*

5 *Reprehenditur quidam iudex secularis, & refertur posse Ecclesiasticam pœnam condignam adhibere, quando ille non apposuit, sed ob vsum contrarium, aut sufficientem secularis castigationem non approbatur.*

1 DE his criminibus mixti fori, in quibus est locus præuentioni, loquuti fuimus *tract. de præcedentiis, quæst*... & in hoc opere in pluribus quæstionibus, nempe 12. *n.* 1. *& quæst.* 13. *num.* 1. *& quæst.* 30. *num.* 12. *& quæst.* 34. 36. 38. 39. 45. 55. *&* 59. *& quæst.* 101. *num.* 8. frequentiora crimina hæc sunt, sacrilegium, vsura, sortilegium, maleficium, concubinatus, lenocinium, adulterium, & alia, in quibus cùm regulariter delinquentes à Vicariis & iudicibus Ecclesiasticis puniantur, videndum est, an super eisdem criminibus à secularibus iudicibus iterum possit iudicari.

Tractarunt in specie de hac quæstione Couarr. *lib.* 2. *variarum resolutionum cap.* 10. *num.* 6. Anton. Gomez 3. *tom. variarum cap.* 1. *num.* 40 Paz *in praxi* 2. *tom.* 2 *prælud. num* 49 *vsque ad* 53. Auendañus 2. *part.* 2. *&* 5. *præl. n.* 18. Auiles *in cap.* 25. *præt. gloss.* 1. *num.* 11. *&* 12. Clarus, Bossius, Maranta; Follerius, Decianus, & Grillandus cum aliis pluribus congestis à Farinacio *in praxi criminali tom.* 1. *tit. de inquisitione, q.* 4. *à num.* 7. *& seqq.* vbi bene distinguit aliquos casus. Primus in casu pœnæ medicinalis ab Ecclesiastico positæ, quæ pœnam secularem non euadat. Secundus similiter in casu degradationis. Tertius in atrocissimis, in quibus Ecclesia pœnam sanguinis apponere nequit, ipsam secularis potestas apponat. Quartus in delictis non atrocibus, in quibus pœna condigna ab Ecclesia apponi potest, vt tunc iudex secularis iterum iudicare nequeat, & hæc est distinctio communiter recepta in ordinariis delictis, seclusis atrocissimis, vt si pœna semel imposita est condigna & mensurata, reus non possit iterum iudicari; secus verò si pœna est inordinata, & non recta. huius distinctionis mentionem fecimus suprà *d. q.* 30. *num.* 12. 2

Dicitur autem pœna mensurata, vel non, quando culpa & delictum per legem, vel consuetudinem pœnam habet, quæ non fuit apposita, nec aderat causa minuendi & temperandi. Dicitur etiam quando in arbitrariis, arbitrium attento rationis tramite non fuit assumptum; quando verò pœna fuit apposita, quæ frequenter poni solet, tunc non intrat distinctio præfata, quæ in excessu & ordinationis turbatione consistit. 3

Hucusque nihil notabile, seu vtile 4

quæstio

quæstionis retulimus; illud autem erit, aduertere circa praxim quòd in ea illa communis distinctio parum, aut nihil est in vsu. nam in dictis criminibus mixti fori, siue secularis, siue Ecclesiasticus puniat, alter ad puniendum non se intromittit, & meritò. nam vtcumque sit, iam reus punitus remansit, & non est tanto pondere culpa castiganda, nec temporis & status imbecillitas hoc patitur, & maximè, cùm difficile sit examinare, an culpa & pœna æqualiter processerint. Quare iustè in Audientiis vtriusque fori illa distinctio non admittitur in criminibus ordinariis, etiam grauibus, in quibus Ecclesia potest apponere gladium castigationis, seclusis illis altioris gradus, in quibus pœna sanguinis, aut membri est imponenda; & in pluribus casibus mixti fori illud obseruaui quòd alter iudex in secunda castigatione non intrat.

5 Quidam verò iudex secularis voluit hunc stylum innouare, & in casibus concubinatus, & sacrilegij, postquam reus à me competenter de more punitus extabat, iterum de facto illum puniuit, eo consentiente, quod contra iuris & æquitatis rationem factum iudicaui, tam quia frangere prædictum stylum est in iudice culpabile, quàm quia pœna frequenter apponenda, fuit apposita, & sic iniustè reus secundò molestatus remansit, & ipse quasi metuens non se defendit, prout posset comparendo coram Tribunali superioris iudicis, & cum testimonio primæ sententiæ Ecclesiastici, allegando se fuisse à competente iudice punitum, & quòd litteræ, ipsi tribuerentur contra secundum iudicem, vt secundò de causa non cognosceret, & credo tales litteras posse decerni absque vllo præiudicio iurisdictionis secularis, quæ in præfata specie vna præuentione & castigatione exclusa iudicatur, reprehendebam ego eumdem iudicem secularem, & arguebam cur causas ab Ecclesiastico iudicatas, iterum iudicabat? & quòd ego similiter ad inuicem facere potuissem de sententia Iulij Clari *quæst.* 57. *vers. sed quæro*, & Sigismundi Scacciæ *tract. de iudicijs, cap.* 12. *n.* 83. quos sequitur Farinacius *dicta quæst.* 4. *num.* 13. § *quintus casus, in fine*, & ipse iudex nihilominus in sua voluntate perseuerabat; numquam tamen voluit eamdem imitari, cùm in malum aliorum exemplum sequi non debeat; reseruato tamen casu, in quo iudex secularis pœnam condignam in casibus mixti fori non posuisset, in quo Ecclesiasticus illam poterit adhibere, de sententia prædictorum, quod aut numquam eueniet ob duram illius fori punitionem, aut ob stylum contrarium prædictæ distinctioni à iudice recto, & parum cupido benignè obseruandum.

QVÆST. CX.

Non vulgaris.

Locationes apum quæ à Confraternitatibus, seu ab alijs ad lucrum fiunt, ipsis saluis remanentibus, vtrùm vsuraria censeantur.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur casus & dubium in facti contingentia.*

2 *Vsura solùm cadit in mutuo vero, vel palliato.*

3 *Locationis contractus habet implicitum mutuum, & quando.*

4 *Dominij translatio requiritur in locatione*

catione ad mutuum, & vsuram ex illa prouenientem.

5 *Iudicium quæstionis ponitur, & doctrina quadam comprobatur.*

Recipiens oues cum conditione, vt sanas redhibeat, & insuper lucrum vsuram palliatam committit, ibid.

6 *Modus in practica assumptus ad tollendum vitium vsurarum in locationibus apum.*

7 *Refertur sententia ad literam, & modus iudicandi Hispano sermone concepta.*

8 *Contractus hic ex inæqualitate est iniustus, & periculum amissionis rei locatæ ad locatorem pertinet, etiamsi conductor casus fortuitos in se suscipiat.*

9 *Declarantur quædam verba sententiæ, posita ad tollendam locationis inæqualitatem, & iniustitiam.*

1 QVæstio hæc pluribus vicibus in praxi fuit reperta inter visitandum, & sic est vtilis Visitatoribus Ecclesiasticis. nam plerunque Confraternitates habent apiaria apum, vulgò *Colmenas de abexas*, quæ vt liberentur ab onere administrationis, ea tradere solent conductoribus pro vno, aut duobus Regalibus argenteis quotannis soluendis, & cum expressa conditione, & pacto quòd conductores teneantur reddere apiaria viua, & integra, quoties tempus locationis sit finitum, vel quoties ipsi à contractu resilire, & discedere voluerint, & quando confraternitatum libri, & rationes visitantur, inuento illo contractu locationis, dubitatum fuit an esset licitus.

2 Et pro parte affirmatiua videbatur quòd vsura secundùm ipsius substantiam, & definitionem solùm cadit in mutuo vero, vel palliato, & hæc est receptissima Theologorum, & Canonistarum sententia iam per Rotam Canonicata, teste Marescoto *var. resolut. lib. 2. cap. 133. num. 1.* vbi optimè ignaros redarguit, qui terminos iuris, & contractum illicitum ex capite iniustitiæ confundunt cum illicito ex capite vsurarum. Eandem sententiam receptam tenent Nauarr. *comment. de vsuris, quinto notabili, num. 6.* pluribus relatis Ioan. Parlador. *lib. 2. rer. quotid. cap. 2. num. 2.* pluribus etiam congestis Ioan. Campanil. *diuersor. iur. Can. rubric. 11. c. 20. num. 8.* Iacobus de Graffis *decis. conscientiæ lib. 2. cap. 101. num. 10.* Cùm ergo contractus hic, de quo agimus, sit locationis à mutuo diuersus, & distinctus, dicendum venit, minimè vsurarius censendus.

Pro parte autem negatiua videtur quòd sententia relata, licèt sit vera, concludit in mutuo vero, vel ficto, seu palliato, & hic contractus locationis habet implicitum, & palliatum mutuũ, quia apiaria, & apum valor quasi mutuatus traditur conductori, cum obligatione tantundem soluendi, & intrat definitio vsuræ. nam recipitur fors principalis, quando apes viuæ redduntur, & cum illis lucrum quotannis destinatum, & sic iam in mutuo palliato recipitur aliquid vltra sortem quod est vsuræ proprium requisitum, iuxta illud Euangelij Lucæ cap. 6. *Mutuum dantes, nihil inde sperantes*, cum aliis authoritatibus à Doctoribus suprà *n. 2.* congestis. 3

Vlteriùs licèt ad hoc vt locationis contractus sit fœneratitius, requiratur dominij translatio, vt eruditè notauit idem Marescot. *d. cap. 133. num. 7. per legem 2. ff. si certum petat.* & per Rotam coram Milino, & Abbatem *cõs. 15. lib. 1.* nam tunc cum dominij translatione resoluitur in mutuum, quod fuit in apparenti figura locatum, & rema- 4

net

net intus mutui palliatio; in præsenti tamen locatione apum, ipsæ in dominium conductorum transferuntur, ex illa conditione quòd viuæ semper reddantur, & statim conductores ad suum beneplacitum de illis possunt disponere, cùm in quocumque euentu ad earum, vel aliarum redditionem teneantur: vnde recipiunt functionem in genere suo, quod mutui proprium est, ex *l.2.§.mutui datio, & l.cùm quid, ff. si certum petat.* & refert idem Parlador. *d. cap.2.num.5.*

5 In praxi hæc sententia fuit à me aliquoties accepta, ex prædictis *n.3. & 4.* quæ concludunt, & contrariis satisfaciunt, insuper ex doctrina quadam eiusdem Graffis *d. lib.2. decis. conscientiæ, cap. 109. num. 15.* ibi, *Vndecima dans agricolæ oues per biennium, vt postea sanas redhibeat, & insuper recipiat medietatem fructuum, vsuram committit palliatam. nam est ac si accipiat mutuò quantum illæ valent, & pro interesse medietatem fructuum,* &c. quæ verba mirè conueniunt cum contractu locationis apum, de quo agimus, vbi apes dantur, vt postea sanas recipiens redhibeat, & insuper lucrum aliquod quotannis pro interesse, in quo consistit vsura palliata, quia idem est ac si recipiat mutuò quantum apes valent, quod est sors principalis mutui, quæ habet functionem in genere suo, & postea lucrum pro interesse, quod ad sortem accedit, & vsuram palliatam componit.

6 Ad tollendum ergo vitium supradictum in locationibus apum à Confraternitatibus, seu ab aliis receptum, excogitaui modum quendam quo ipse locationes ad salutem redderentur, & fuit tollere ipsam conditionem reddendi apes, siue mortuæ sint, aut viuæ; sed illam solùm obseruare eo casu, quo viuerent, seu ex fœtibus, vulgò *crips* mortuæ possent refici, & suscitari; illis autem deficientibus nequaquam conductores tenerentur ad mortuas apes, deficiente dolo, aut fraude, seu culpa, & solùm soluerent annuum stipendium, item & fructum, seu prouentum mortuarum. Prouisio autem, seu sententia in prædictis libris Confraternitatum in hunc modum relinquenda, & scribenda apparuit,

En tal lugar a tantos de tal mes el S.N. Visitador o Vicario general de tal partido, hauiendo visto los arrendamientos de colmenas, que en tal cofadria se hacen, con obligacion de dar las viuas en qualquier acontecimiento, y pagar en el interin tanto por el prouecho en cada año, y que el dicho contracto es vicioso, y contiene labe, y macula de logro y vsura. proueyendo de remedio dixe que mandaba y mando que de aqui adelante las colmenas desta cofradria se arrienden a perdida, y ganancia a persona de consciencia, y no hauiendo occasion desto se arrienden por el redito que se pudiere hallar, con obligacion de que vaya re haciendo las que se murieren de las que nacieren, y no hauiendo enxambre alguna declarandolo con juramento el arrendador ante el Alcalde, no tenga obligacion a dar viua la que se muriere, y pague lo que fuere justo por el prouecho de la muerta, y se le aduierta, que si jurare falso, y se le hallare que hauiendo tenido enxambres conque rehacer las muertas, las negare siendo conuencido sera castigado con las pena de los perjuros, y condenado en el interes assi en lo que negare, como en lo que constare, que por su culpa, dolo, o fraude, o omission se perdiere, y assi lo proueyo mando y firmo. 7

Nedum ex capite vsurarum prædictus locationis contractus est illicitus, sed ex capite iniustitiæ est iniustus, quia locator per illam conditionem transfundit omne periculum apum mortuarium in conductorem, remanente 8

ipso incolume, tam quo ad sortem principalem, quàm quo ad lucrum redditus ex illa prouenientis, ex quibus resultat iniustitia & inæqualitas contractus, qui inter contrahentes debet esse æqualis in omnibus, vt iustitiam præ se ferat, aliàs sine illa necessariò iniustus iudicabitur. idem Graffis *dict. lib.2.cap.*120.*num.*14. *&* 15. idem Marescot. *d.cap.* 133.*num.* 18. vbi reprobat cum aliis quòd conductor casus omnes fortuitos in se suscipiat, quo non obstante, periculum amissionis rei locatæ ad locatorem spectat, non ad conductorem. Bossius *de remission.merced.conduct.n.*61.*&* 85. Surdus *decis.*326.*num.* 55. Quare cùm in præsenti locator pro conditione periculum apum mortuarum ad conductorem spectare statuerit, & hunc casum fortuitum conductor in se susceperit, dicendum venit periculum remissionis rei locatæ, id est, apum, non ad conductorem, sed ad locatorem pertinere, & sic conductor apes mortuas sine culpa sua reddere non tenetur.

9 Ad tollendum ergo hoc inconueniens iniustitiæ, additur in sententia *num.*7.relata ibi, *que las colmenas desta Cofadria se arriendem a perdida y ganancia*, & vt sic contractus cessante inæqualitate iniustitiæ, ad æqualitatem & iustitiam reducatur, placuit hanc nouam quæstionem explanare, vt in praxi veritas eius cum vtilitate amplectatur, & cognoscatur, nec volumus de hac nouitate gloriari, vsurpando verba Dei apud Matthæum *cap.*11. sicuti in præfatione ad lectorem admonuimus, & idem in multis aliis, quæ eandem nouitatem in hoc opere præ se ferunt.

QVÆST. CXI.

Non vulgaris.

Capellania sacerdotalis habitu, vel actu, quando dicatur, & refertur casus in praxi.

SVMMARIVM.

1 *Casus in specie proponitur.*

2 *Clericus in minoribus infra annum ad Presbyterium assumendus, est habilis ad Capellaniam.*

3 *Vsus & consuetudo interpretandi vim habet.*

4 *Capellania duæ cum onere residentiæ teneri simul non possunt, & ordinatus ad vnius titulum sine licentia Ordinarij, illam dimittere nequit.*

5 *Capellania est sacerdotalis actu, nec sufficit aptitudine qua requirit, vt Capellanus per se ipsum celebret.*

6 *Quomodocumque colligatur ex fundatione quòd præsentatus sit Sacerdos, ipse debet præsentari, & indicium quæstionis ponitur.*

7 *Si fundator simpliciter loquitur, non requiritur sacerdotium, nisi adiungeret cum illo tempus præsentationis, & qualiter adiuncta verbo debet intelligi secundùm tempus verbi, secus si fundator in actu postulasset sacerdotium.*

8 *Vsus valet in obscuris declarare, non verò in claris.*

9 *Voluntas testatoris per vsum alterari non potest, & in primis est obseruanda, & exemplum iniquum non est continuandum.*

10 *Vsus & consuetudo non extenditur, &*

& in specie probari debet.

11 *Residentia incompatibilis dicitur, quæ est continua, non verò certis temporibus, & habens vnam Capellaniam residentiæ, potest ad aliam similem se opponere, per cuius assecutionem prima vacat ipso iure.*

12 *Decretum Concilij prohibens alienationem tituli, cùm quo quis fuit ordinatus, an extendatur ad vacationes ipso iure, & resoluitur non extendi.*

13 *Ex quibus verbis fundationis comprehendatur Capellaniam esse residentialem præcisè, seu causatiuè solùm respectu amissionis fructuum.*

14 *Etiamsi in fundatione non peteretur sacerdotium, Sacerdos præferri debet non Sacerdoti, & quæstionis resolutio repetitur.*

1 DVo oppositores concurrebant ad quandam Capellaniam iurispatronatus, sitam & fundatam in loco de Alcaudete à Parocho quodam illius Parochiæ, vnus ex eis erat Clericus in minoribus, alter erat Sacerdos, deuoluta fuit nominatio ad Vicarium generalem Talaueræ, quia inter cæteros nominatores adfuit discordia, vnus autem, nempe Parochus præsens nominauit Sacerdotem, communitas verò illius loci Clericum in minoribus, & per fundationem ad prædictum Vicarium erat commissum in casu discordiæ Capellanum alterum ex nominatis confirmare: cùm ergo ambo essent vicini, & naturales eiusdem oppidi, prout in fundatione positum erat, solùm dubitabatur an ad dictam Capellaniam qualitas sacerdotij actu, vel habitu requireretur. nam præfatus Clericus licèt in minoribus, in ea tamen constitutus erat ætate, vt infra annum poterat ad sacerdotium promoueri.

In quo dubio pro parte prædicti Clerici in minoribus cum aliqua proponebantur. 2

Primò sufficere esse talem, & quod infra annum possit ad presbyterium ascendere, Gonçalez cum Rebuffo & Spino, & iuribus relatis *super Reg.* 8. *Cancellariæ, gloss.* 5. *num.* 104. Nicol. Garcia relatis Rotæ decisionibus, simul & Gutierr. Ceuallos, & Parlador. *tract. de beneficiis* 7. *cap.* 1. *num.* 78. *& seqq.* & retulimus nos *tract. de præcedentiis q.* 12. *num.* 9.

Secundò quòd in præteritis nominationibus sic erat vsu obseruatum, quòd Clerici in minoribus nominati fuerunt, & hoc constitit per testes: vsus autem, & consuetudo interpretandi vim habent, ad tradita suprà *quæst.* 15. *num.* 15. Lara *de Capellaniis, lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 48. 3

Tertiò quòd Clericus Sacerdos habebat Capellaniam cum obligatione residentiæ in loco de Santa Cruz, & ita non poterat ad aliam residentiam in altero admitti, ex Concil. Trid. *cap.* 17. *sess.* 24. *de reform.* ibi. Dummodo vtrúque personalem residentiam non requirat, & cum pluribus notat, & docet Nicol. Garcia *d. tract. de beneficiis, p.* 11. *cap.* 5. *num.* 261. & erat ad titulum illius Capellaniæ ordinatus, & sine licentia Ordinarij eam dimittere non poterat, ex eod. Concilio *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* 4

Pro parte Sacerdotis totum suæ prætensionis fundamentum erat asserere, & contendere Capellaniam esse sacerdotalem actu, & non sufficere aptitudinem, in illis verbis fundationis, ibi, *El Capellan diga las Missas por su persona*, &c. nam si per se ipsum celebrare tenetur; ergo iam qualitas sacerdotij ante omnia actualiter requiritur, sine qua celebrare per se ipsum non potest, & 5

& sic tenent idem Gonçalez *dict. gloss.* 5. *num.* 105. idem Garcia *dicto cap.* 1. *num.* 86. & 93. & refert in terminis declarationem sacræ Congregationis, ibi, *Potest conferri simplici Clerico Capella habens onus celebrandi Missas, nisi in fundatione cautum sit, vt per se ipsum celebret,* & *num.* 94. refert aliam declarationem eiusdem rei, & *num.* 98. & 99. similiter tenet, & alia declaratione comprobat; refert etiam Maceraten. *lib.* 1. *variarum resolutionum, resolut.* 4. *in fine,* & notauimus *in dict. tractat. de præcedentijs, dicta quæst.* 12. *num* 9. tenet etiam Riccius *dicto tit. praxis Capellan. decis.* 401. *num.* 1. & 3. §. *his accedat,* & *tit. praxis iuris patron. decis.* 202. *n.* 232. sequitur Lara *dicto lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 20. & *seq.* Gutierr. *cons.* 1. *n.* 12. & *cons.* 2. *num.* 19.

6 Ex quibus omnibus colligitur quòd vbi ex verbis testatoris apertè, vt in hoc casu, vel obscurè colligitur quòd præsentatus sit Sacerdos, tunc qui talis est, debet præsentari, vt in hoc puncto, relatis Doctoribus conclusimus *dicto tractat.* & *quæst.* 12. *num.* 10. & sic iudicaui in hanc partem in prædicto casu, confirmando Sacerdotem à Parocho nominatum, & excludendo pro illa vice Clericum in minoribus.

7 Ad cuius fundamenta facilis erat satisfactio.

Ad primum, non esse necessarium sacerdotium ad Capellaniam, quando illud à testatore non requiritur, sed simpliciter loquitur, secundùm præfatos Doctores relatos *num.* 2. & adhuc si diceret quòd præsentetur Sacerdos, debet esse talis tempore præsentationis, quia qualitas adiuncta verbo, intelligitur secundùm tempus verbi, vt cum eodem Garcia tenuimus *dicto tractat.* & *quæst.* 12. *num* 9. Gutierrez *dicto consil.* 1. *num.* 14. quando verò testator non simpliciter mentionem facit de sacerdotio, sed in specie actualiter illud expostulat, grauando Capellanum, vt per se ipsum celebret, sicuti in præsenti, tunc non sufficit qualitatem illam in aptitudine habere, sed in actu & possessione, & sic iam res iudicata extat, & declarata, provt *in dicto num.* 5.

Ad secundum, quòd vsus & obseruantia interpretari valet obscuram testatoris voluntatem, sed non claram. nam in claris non est locus coniecturis, vt *in l. continuus, de verborum obligat.* & in specie præsenti non obscurè, sed apertè constat, quòd testator sacerdotium actualem desiderauerit in eo, nempe quòd Capellanum grauat ad dicendum per se ipsum Missas Capellaniæ, in quo grauamine apertè præmittere censetur qualitatem sacerdotij. 8

Nec potest per vsum, aut obseruantiam testatoris voluntas alterari, quæ in primis est obseruanda. Diximus *eodem tractat. de præcedentijs, quæst.* 12. *num.* 10. & suprà *quæst.* 70 *num.* 4. & si aliquando per vsum fuit alterata, hoc fuit iniustum & iniquum, cuius argumentum & exemplum numquam assumendum. 9

Nec in prædicto vsu per testes probato constabat, quòd in concursu Sacerdotis Clericus in minoribus fuisset nominatus, & vsus, aut consuetudo in terminis, & in specie, de qua agitur, probari debet, cùm non extendatur, diximus suprà *quæst.* 21. *num.* 5. 10

Ad tertium similiter respondetur, quòd licèt Clericus haberet aliam Capellaniam cum obligatione assistentiæ; ex hoc solum poterat referri quòd alia Capellania cum eodē onere simul tenere non poterat ratione incompatibilitatis, ad quam esset necessarium quòd residentia ambarum esset tota hebdomada & anno in vnoquoque loco continua, provt hîc; secus verò si 11

discon

discontinua,& certis diebus, aut temporibus, vt eruditè docuerunt Gonçalez *super regul.8. gloss.5. num.21.* Nicol. Garcia *dict.part.11.cap.5.num.86.* non tamen poterat inferri quòd etiam post habitam Capellaniam vnam cum dicto onere non posset Capellanus ad aliam eiusdem oneris se opponere, vt in præsenti, quia tunc per assecutionem secundæ Capellaniæ vacat ipso iure prima Capellania, vt in terminis cum Rotæ decisionibus docet idem Gonçalez *dicta gloss.5. num.19.* idem Garcia *dicto cap. 5. num. 86. vsque ad 93.*

12 Nec obstat quòd ad titulum primæ Capellaniæ sit Capellanus ordinatus, quam dimittere non possit sine requisitis à Concilio *dict. sess. 21. & cap.2.* quia illud statutum solum cadit in resignatione, alienatione, vel remissione facta ministerio hominis,in quo potest Clericus suo iudicio lædi,& defraudari, & in Cleri opprobrium mendicare. Paris *de resignat. benefic. lib.3.q.14. num. 4.* Garcia *1.tom. 2.part.cap.5. num. 197.* secus verò in dimissione & vacatione facta ministerio iuris,& ipso iure per assecutionem secundæ Capellaniæ incompatibilis, in quo læsio,aut defraudatio non intrat, nec interuenit factum partis, sed legis, & ita extat declaratum per sacram Congregationem, quæ in illo decreto Concilij declarauit solùm comprehendi dimissiones & resignationes voluntarias, non priuationes, & refert idem Garcia *1.tom.2.part.cap.5.num.219.*

13 Vlteriùs ponderata fuerunt verba fundationis primæ Capellaniæ, ad videndum quam vim ponant super residentiæ obligatione, & an esset continua, seu causatiua, & verba sic se habebant: *Item mando y es mi voluntad que si algun pariente mio se quisiere ordenar, de Missa a titulo desta Capellania, quiero y es mi voluntad que sea preferido mas que otro alguno, mas no ha de goçar cosa alguna, hasta tanto que diga las Missas, y assista en este dicho lugar personalmente, porque ansi es mi voluntad,*&c. Ex quibus verbis cùm fundator non priuet Capellanum ob non residentiam, & de titulo nihil loquatur, sed solùm de amissione fructuum, seu prouentuum, dicendum est residentiam illius Capellaniæ primæ habitæ non esse pretiosam vsque ad annullationem tituli, sed solùm causatiuam vsque ad priuationem, vel amissionem fructuum,ex qua non nascitur incompatibilitas, cùm fructibus amissis possit Capellanus titulum in se reseruare, & fructus alio substituto deseruienti relinquere, & sic non erat in præsenti incompatibilitas,cùm ex dicta amissione solùm resultet residentia causatiua,non præcisa, quæ dictam incompatibilitatem non generat. idem Gonçalez in terminis *d.gloss.5.num.21.* idem Garcia *dicta parte 11. cap. 5. num.86.*

Denique, etiam si hæc Capellania non requireret sacerdotium actualem, vt suprà *num.5.& 6.* adhuc Capellanus Sacerdos erat Clerico Capellano in minoribus præferendus, tanquam dignior. Gutierrez *cons.2. num.22. in fine*, Lara *de Capellanijs, lib. 2. cap 3. num.16.* quos retulimus & sequuti fuimus *dict. tractat. de præcedentijs, quæst.12. num.10.* Ex quibus resultat optimè fuisse iudicatum in fauorem Capellani Sacerdotis,& optimè exclusum Clericum in minoribus tanquam non Sacerdotem, nec digniorem, nec obstantia Sacerdoti opposita esse alicuius roboris; & illis remanet abundanter satisfactum. 14

* * *

QVÆST. CXII.

Ecclesia in praxi ex vulnere, & sanguinis effusione quando polluta, & profanata dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Casus proponitur in praxi.*
2 *Quæ requirantur vt Ecclesia polluatur.*
3 *Quibus expensis consecratio facienda.*
4 *In specie quid constitit circa consecrationem.*
5 *Ecclesia quando consecrata censeatur.*
6 *An per vnicum testem consecratio probetur, & impugnatur opinio affirmatiua, & adhibetur distinctio quædam.*

1 LICET in pluribus quæstionibus de sacrilegiis, & rixis in Ecclesiis actum sit suprà *q.*18. *&* 55. *tit.*79. *num.*6. *&* 106. hoc enim delictum inter ea, quæ sunt mixti fori, annumerantur suprà *quæst.* 109. *v.* 1. tamen adhuc in specie de Ecclesiæ pollutione quicquam annotauimus; ne ergo hoc opusculum hac praxi fraudaretur, quemdam casum repetere decreuimus. nam quidam contendentes intra Ecclesiam Regularem sancti Francisci, & rixantes, alter alterum acriter vulnerauit, cum clauibus in capite, & facie, de quo vulnere effusio sanguinis non modica profluxit. Reus fuit captus, & delictum tam testibus conformibus, quàm rei confessione probatum extitit, & arbitrio iudicis sequuta fuit pecuniaria condemnatio, incidenter etiam ad Ecclesiæ iniuriam veniendo fuit dubitatum, an esset polluta? & in affirmatiuam partem declaraui ex sequentibus,

Primò, quia sanguinis effusio debet esse iniuriosa, & voluntaria. 2

Secundò, non modica ex naribus, sed magna ex vulnere.

Tertiò quòd sit publica facti notorietate, & intra Ecclesiam, hæc enim omnia si concurrant, faciunt Ecclesiæ pollutionem, in terminis tradunt Riccius *in praxi fori, tit. praxis Episcoporum, decis.*747. Iacobus de Graffis *decis. conscient. lib.*2. *cap.*48. *num.*11. Franciscus Leo *Thesauro fori Eccles. p.*1. *c.*5. *num.*6. Antonius Maceraten. *var. resol. lib.*1. *resolut.*112. *casu* 6. Cùm ergo in præsenti illa omnia concurrant, apertum est Ecclesiam fuisse ex prædicto vulnere pollutam, & ita iudicaui declarando illam talem, & debere reconciliari, vel per Episcopum, si erat consecrata, per text. *in cap. aqua, de consecrat. Ecclesiæ, vel Alt.* Leo *d. cap.*5. *n.*9. Riccius *vbi suprà num.*2. Graffis *d. loco num.*10, vel per simplicem Sacerdotem aqua benedicta, si Ecclesia tantùm talis erat. Riccius *d. num.*2. Graffis *d. n.* 10. Leo *d. cap.*5. *num.* 10. & est textus *in cap. fin. & ibi gl. finalis, de consecrat. Eccles. vel Altaris*, admonendo superiorem Regularem dictæ Ecclesiæ, quòd ante reconciliationem diuinæ laudis organa suspendantur, vt ait text. *in d. cap. finali.*

Quando ergo in prædicta reconciliatione est Episcopus adhibendus, solet dubitari quibus expensis viaticum fiat? Et communiter respondetur expensis rei, si est soluendo: sin autem, Parochi, vel populi, iuxta consuetudinem, si Ecclesia est Parochialis, in quorum defectum suis sumptibus Episcopus accedere tenetur; si verò Ecclesia sit Regularis, tunc primò reus est compellen- 3

pellendus, & ipso deficiente Regulares suis expensis prouidere debent, si habeant proprium, nisi etiam sponte Episcopus munus suum velit impartiri, quod laudabile erit, & necessarium proprio Regularium deficiente. colligitur hæc praxis ex Francisco Leone *d.cap.5.num.*18.& ex Maceratensi *dict. resolut.*112.*casu* 12.

4 Verùm in præsenti Ecclesia fuit habita solùm pro benedicta, & ita cum simplici Sacerdote ex aquæ benedictæ aspersione, reconciliatio fuit facta: vnde si esset consecrata, & Episcopus venire teneretur. Primò reus, & ipso non habente, vt in præsenti, ipsi Regulares suis sumptibus Episcopum trahere debebant, qui etiam de suo in subsidium expendere oportebat, quia Regulares erant Franciscani, & notorium sit, neque in communi, neque in particulari proprium possidere.

5 Quomodo autem Ecclesia consecrata censeatur, aduertit idem Riccius *d.decis.*747. *num.* 3. vbi bene distinguit inter Ecclesias Cathedrales, & inferiores, vt illæ in casu dubio consecratæ præsumantur, non verò illæ: in aperto tamen consecratio probatur ex titulo erectionis, seu fundationis, vel ex literis antiquis Ecclesiæ, seu libris, præter testes de visu, & auditu, si inueniri potuerint, etiamsi vnicus fuerit, cùm de nullius præiudicio tractetur, ex Innocentio, Abbate, & Sayro ab ipso Riccio relatis *d.num.* 3. quibus ego addo plures, quos congerit Farinac. *tract.de testibus, quæst.*63.*num.*26.

Quorum opinio in vnico teste sufficiente, mihi non placet. nam ex eadem ratione quòd, ideò sufficit vnicus testis, ex eo quòd consecratio nemini præiudicium imponit, fallaciam huius sententiæ cognosco. nam imò in casu litigij præiudicium affert consecratio vel reo, vel Episcopo, vel populo, vel Rectori, quorum expensis consecratio facienda est, vt suprà retulimus *num.* 3. ideò illa opinio in extraiudicialibus poterit admitti; in iudicialibus verò vbi expensarum incommoda interueniunt, nequaquam per vnicum testem consecratio probanda, sed aliis modis, prout diximus *num.* 5. vel de iure colligitur hæc distinctio ex alia quam circa probationem Clericatus probauit idem Farinac. *d.q.*63.*num.*28.& eodem modo distinguendum erit in probatione consecrationis, extendendo, & ampliando distinctionem probationis clericatus ad Ecclesiæ consecrationis probationem. nam licèt vno ictu de vtraque probatione disseruerit idem Farinacius *d. num* 27. illa tamen distinctio ad clericatum solummodo applicauit, cùm re vera etiam in consecrationis probatione optimè procedat. 6

FINIS.

INDEX
Rerum, & Verborum hac prima Parte contentorum.

Prior numerus paginam signat, posterior est marginalis.

A.

A B

A C

A D

L l

Arbitrio

C E

Cleri-

Conse

C R

de

E.

E C

Eccle

F.

F A

F I

F O

G.

G E

H.

H A

I.

I G

L.

L A

L E

L I

O.

O B

P.

P A

P V

QVA

Sortilo

V.

V A

F I N I S.